





A
11
475











i 1759 8067

delectationem in se habet & de gratia

CONCIONES

R. 3813
IN EPISTOLAS ET

EVANGELIA,

QVÆ

PER SACRAM QVADRAGESIMAM POPVLO
in Ecclesia proponi solent: Ecclesiasticis omnibus atq; præ-
sentis tēporis fidelibus summopere viles & perquam ne-
cessariæ, è Tabulis D. IACOBI VELDII concinnatæ:

ATQVE NVNC PRIMVM

*Plurimis in locis cum Sacrarum literarum, tum Catholicorum antiquorum
Neotericorumque scriptis supra primam editionem diligentis
cura auctæ & completatæ:*

PER

F. DOMINICVM AEGID. TOPIARIVM,
ab Aspelario, Flandrum, instituti S. Dominici apud in-
clytam Antverpiam.

*Salus semper per omnia iudicio correctioneq; Ecclesie Catholice,
& S. Sedis Apostolicae Romanae.*

Marc. i.

Impletum est tempus, & appropinquavit regnum
Dei: Pœnitemini & credite Euangelio.



ANTVERPIÆ,

Apud Antonium Filenium Brechtanum
sub Struthio.

M. D. LXXIII.



SVMMA PRIVILEGII.

*CAVTVM est Regio Priuilegio, ne quis alius
præter Christophorum Plantinum, & Antonium
Tilenium, librum, cui titulus est: Conciones in
Epistolas & Euangelia, quæ per Sacram Qua-
dragesimam populo in Ecclesia proponi so-
lent, &c. imprimat, vel alibi impressum vendat
hinc ad sexennium, sub pœna confiscationis libro-
rum, vt latius patet in literis.*

Subsignat.

H. Boot.

REVERENDO IN
CHRISTO PATRI, ET DOMINO

suo. obseruando, Domino Francisco Sonnio Episcopo Antvverpiensi meritissimo, F. Dominicus Aegid. Topianus Mecenati suo benignissimo perpetuam pacem precatur atque aeternam salutem.



UPER cùm ex Flandricis oris, quieti utique secessus fruendi gratia, Antvverpianam in Dominicanæ Religionis instituto mihi ab ineunte ætate alumnam, remeassem, Præsul colendissime, commodè ad me perlata est à doctis & piis quibusdam amicis, celebris, de tua in omnes pietate, fama: qua permotus ad eò animum erexi, ut ab eo tẽpore cogitare cœperim, qua via, quibusuẽ mediis tuam mihi possem conciliare amicitia, quæ non adulatione, sed virtutum integritate, non recordi socordia, sed vigilantia sacrarũ literarum evolutione conciliatur. Sed interea temporis dum hæc mecum cogito, proh dolor, tanta totque inciderunt incõmoda Christianæ Ecclesiæ, vna cum imperio Romano, ut non tam ab aduenis, quàm ab incolis quies nulla sit relicta, nisi & alienetur religio, & transferatur potestas. Incolas eos appello, qui è nobis egressi, ciuitatem Dei Caino furore horribiliter oppugnant, aliò non spectantes, quàm ad internecionem veteris Christianismi tot seculis approbati. Quorum innumerabilia machinamenta ad coniurationes ac crudelissimas seditiones vsq; processerunt, ut plurimi schismatici esse malint, quàm catholici. Quapropter non immeritò Ecclesiastici Ecclesiæ ruinas sanguineis lachrymis deplorare debemus, & cum S. Ieremia lamentari,

Eusebius lib.
5. Eccles. hi-
stor. cap. 21.
ex Irenaeo.

mentari, d. Mactum factum est in dolore cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. Et rursus: Expectauimus pacem, & non est bonum: tempus curationis, & ecce turbatio. Quod si S. ille Polycarpus martyr, & B. Ioannis Apost. discipulus (vt refert Eusebius) quoties audiret aliquid, quo Deus offenderetur, quod scandalosum esset, & proximum lederet: item cum hostes Christianae religionis puram & Catholicam fidem falsis dogmatibus contaminarent, & conuitiis profcinderent, exclamare solitus est: O bone Deus, in qua tempora me reseruasti vt hoc audiam! multo magis exulceratis nostris temporibus haec querela conuenit. Nos enim vltima hac tempestate iactamur, indignissima quaeque videmus & audimus. Quae mala vndiq; ingruentia vtiã Deus opt. max. pro suo arbitrio, aut mitigare aut finire dignetur. Nec dubium quin daturus sit his quoq; finem, modò nos vitiis nostris finem imponamus, & sicut Poeta dicit: noxia quisque suo zizania demetat horto. Vt ergo sub hoc infelici euentu, inter tot tantaque mala aliquo pacto oblectarer, in mentem mihi venit, quam benigno candidoq; affectu olim me admonuerint pij quidam Pastores atque Presbyteri, inò improbis precibus quodammodo cõpulerint, quatenus Conciones nostras Quadragesimales in Epistolas & Euangelia, quas è Tabulis Veldij viri admodum doctissimi pro mei ingenioli tenuitate, vtcunque in continuum stylum cõgesseram, paulò locupletiores & correctiores redderem: nimirum quòd doctiorum sagacissimo iudicio, multis in locis tennes nimium & concisiores viderentur. Quare sinceram candidamque mei erga te studij significationem extare percipiens, statim vbi has Conciones à capite ad calcem vsque euoluisssem, necnon in eis Christianam atque Catholicam quidem

quidem doctrinam strictim satis contentam compe-
 rissimam: easque nihilominus à compluribus Parochis,
 diuini verbi præconibus, aliisque huiusmodi viris
 probis, vt vt essent, expeti, quo deinceps auidius ab
 aliis quoque desideraretur, mēdis (si quæ fuerāt) prius
 à me repurgatas, atque multis in locis auctas ad incu-
 dem reuocare operæpretium putauī: nostrorumque
 singulariū amicorum Christophori Plantini, Archi-
 typographi, Pontificij & Regij, necnon Antonij
 Tilenij in indyta feliciq; vrbe Antverpiana Biblio-
 polæ prælo cōmissas, tuæ præsertim pietati dedican-
 das censui, vt quas & tibi non ingratas fore, & omni-
 bus verbi Dei declamatoribus, vt Apostolicum ha-
 bet axioma, ad docendum, ad arguendum, ad corri-
 piendum, ad erudiendum in iustitia, magno esse præ-
 fidio existimarem. Te igitur nūc ad Episcopatus cul-
 men vocatum, domui Israhel speculatorem designa-
 rum, vt euellas & plantes, destruas & ædifices, ver-
 biq; pabulo, vt semper solitus es, gregem Christi
 recrees, hoc qualicunq; dono munusculo. Hoc enim
 ipso tibi gratius illud futurum spero, quod non quæ
 mea fert opinio, sed quæ antiquorum Ecclesiæ Patrū
 fides & interpretatio, complectitur. Quam etiam ob
 causam, nec dubiæ fidei & doctrinæ paradigmata sum
 imitatus, sed Fr. Thomæ Beaulxamis Carmelitæ Par-
 rasini in sacris literis atque sanctorū Patrum doctrina
 exercitatissimi, Homilias, prototypi loco mihi pro-
 posui, quibus instar industrii pictoris imaginem ali-
 quam fuligine obductam purpurillo aut alio quouis
 nouo colore politioreni facere tentantis, Conciones
 Veldij tanquam optimis coloribus illustriores red-
 dere conatus sum: necnon mutuatas inde plerasque
 Catholicorum Patrum sententias vbi sensus & ordo
 admittebat, iisdem ita inferni, vt cohercant omnia, &

2. Tim. 3.

Ierem. I.

continua oratio videri possit. Licet ergo in toto isto opere parum aut nihil meum sit; tamen prudentia tua facile videbit, absque magno & labore & molestia non potuisse me quamque sententiam in suū rectum ordinem redegisse, & in debitum congruumque locum assignasse. Nam postquam mihi candidatorum arbitrato id laboris incumberet, vt meo tenui labore in re non parua multorum profectibus non deessem; arbitratus sum nihil satius mihi esse, quàm depositū fideliter custodire, & in demandata prouincia diligentem vigilem agere. Homerus quippe, in eo cui rerum curæ commissæ sunt, non ignauam socordiam, sed vigilem diligentiam laudat. Sic tu quoque cū in diœcesi Buscoducensi, Pōtificia munia fidelissimè laudatissimeque administrares, cū ad omnia impietatis studia profliganda, tum ad sacrosanctæ religionis Christianæ iura retinenda atque conseruanda, officio tuo minimè defuisti, tuisque iam per aliquot annos pié non tantū, sed vigilantī studio, laboribusque summis impigrè prædicādo, præfuisi. Potuisses certè, si Deo opt. max. sic visum fuisset, pro ea qua polles gratiarum felicitate, familiæ Buscoducensi nō parum ad hoc profuisse, vt ex parua quàm amplissimam faceres, & ex misera & desolata quàm felicissimā. Cui etiam præcipua semper cura fuit, vt verus minimeque fucatus cultus religionis restitueretur, cæremoniæ auctoritate verbi Dei eiusque Ecclesiæ institutæ, in ea qua debent puritate obseruentur, mandata & præcepta ipsius minimè negligantur; quodque ad numen eius adorandum & extollendum videtur pertinere vehementer, tradatur sanctè, & perpetuis temporibus non tam retineatur, quàm deducatur. Vnde neque dubium est, tuam amplissimam P. perpetuò Christianæ etiam Reipublicæ summo desiderio (quod ex magnis

gnis tuis conatibus tam ciues Buscoducenses quàm
Antvverpienses experti sunt) restorationem petiuis-
se. Qua de re cum diuina maiestas paratissimam tuam
voluntatem intelligat, dubio procul, id quod tibi in
votis fuit, in felicissimū exitum gratiosè deduxit, cu-
ius primū nutu, atque deinde promotione illustris-
simi Principis atque Catholici Domini Ferdinandi,
Ducis Albani, viri planè religiosissimi, qui in hanc
vsque horam strenuum sese pro Iesu Christi Eccle-
sia pugilem exhibuit, secundissimis auibus in Ant-
vverpiensium cum omni illius Diœcesis populi ap-
plausu, exceptus es in Præsulem, à quo vno iam eorū
tranquillitas tota depēdet. Quapropter etiam neque
dubium erit, quin diuina maiestas eò hominum ani-
mos inclinabit, vt sub tanti Antistitis auspiciatissimo
regimine, & Ecclesiastica Respublica pristino nitore,
& Ciuili suę integritati restituantur. Certa vtique est
promissio Christi, qua omnibus illis quibus plebem
suam regendam commisit, per Spiritum s. perenne
solatium denuntiat, se eorum consiliis adfore, sum-
mamque Curia Pontificia ad suę voluntatis arbitriū
moderaturum. Rogabo, inquit, Patrem, & alium pa-
raclerum dabit vobis, vt maneat vobiscum in aternū. Ioan. 14.
Amplissimis hîc te à me decorari titulis, ac turgidis
deprædicari buccis, nec meus fert animus, nec diuina
in tuo pectore patitur virtus. Quæ quo cælatur stu-
diosius, hoc publicatur liberaliùs: eadem enim virtu-
tis atque flammæ ratio. Cæterum si mihi ante plures
menses aut ea concessa fuisset libertas, aut tantillum
otij datum, & auctior & castigatior iam dudum ex-
iisset hic liber in publicum. Interim dum lenta festi-
natione hæc molior, vt his nostris lucubrationibus
verbi Dei ministrorum & memoriam releuarem, &
antiquissimorū Ecclesię patrum doctrina imbuerem:

duo se ingessere impedimenta. Nam primùm illapsus
in curarum & distractionũ catenas (quæ nescio quo
fato me continent totum) insuper in multorum im-
pegi dentes genuinos, qui in me confringantur. Vi-
deas enim quosdam, & si videantur sibi ex ordine sa-
tis religiosuli, fraternæ dilectionis nimis immemo-
res, vel pro arbitrio vel ingenij malitia lacerãdi rabie
vsque aded efferatos, vt expolitissima quæque & ad
vnguem facta, dente (quod aiunt) Theonino conuel-
lere audeãt: perinde ac si nihil sit approbandũ quan-
tumlibet frugiferum, quod ipsi vel non confecerint,
vel conficere non valuerint. Taceo interim de Veldio
nostro, qui præter omnem nostram opinionem labo-
res nostros, quos ab eo foueri potius prouehiq; spe-
raueram quàm carpi, in nuncupatoria quadam epi-
stola, quam R. Tornacensium Præsuli consecrauit,
haud sincero animo interpretatus esse conuincitur.
Verùm an hoc sibi laudi detur, an vituperio, aliorum
esto iudicium. Tolerabilius sanè res humanæ sese ha-
berent, placidaque pace omnia conquiescerent, si hu-
iusmodi Aristarchi atque dii terræ, qui maledictis
certare sapientiam opinantur, imò odio plusquã no-
uercali nihil non persequuntur, cristas suas abiicerẽt,
atque vt aliud habet vulgate dictum, obderent ori
suo pessulũ, qui licere sibi credunt, quicquid libuerit.
Hæc vt ea sint, quæ calamum scribenti excutiant, non
potui tamen vel multis adhuc fortassis lacessendus
æmulis non scribere, opusque inceptum perficere,
quo præsentissima, nobisque ob oculos posita atque
perspecta longè grauiissima pericula ratione quadã aut
depellam omninò, aut saltem, quoad Deus potentem
manum suam admouerit, mitigem: pro nihilo interim
pendēs latratorũ *μικτιρίσκιος* & rictus, dũmodo etiam
rudi simplici que plebeculæ nonnihil per me accre-
scat

scat profectus: ac præsertim tibi tuiq; similibus opel-
lam nostram non sentiam sordere. Quandoquidem
à laudatis laudari, & ab illaudatis vituperari, æqua
laus est. Imò in certissimã spem adducor, hunc nostrũ
laborem tibi consecratum, non improbatum iri, quo
non pauci Concionatores leuari sperarunt. Siquidem
pernouĩ tuã in censendo æquitatem inuictam, quippe
qui non tam suo pondere quàm donantis animo me-
tialis omnia. Porro quòd in tanta præstantiũ virorum
corona te solum præfecerim, affectus erga te sincerio-
ris crede symbolon. Sic enim immobilis semper ste-
tit sententia, tali arte atque sacro quodam lenocinio,
præstantissimorum virorum venari beneuolentiã. Ad
hæc vt per tui nominis celebritatẽ sitientiores redde-
rentur cælestis Philosophiæ omnes Catholicæ reli-
gionis professores. Comperias enim non paucos eo
præditos ingenio, vt authorem libri, & eum cui liber
dedicatus est, iuxta suspiciãt deamentq;ue. Scio quidẽ
hoc sacrum munusculum esse infra Episcopalem fun-
ctionem ac dignitatem: verũm cùm mola litent falsa,
qui thura non habent, hoc ego te contentũ fore au-
guror. Verũm enimuerò non mihi tam suffenus sum,
quin credam quàm plurimos etiã esse viros, omni ge-
nere doctrinæ ornatos, qui hoc opus exactius & ele-
gantius perpõlire potuissent: verũm fortassis ij gra-
uioribus studiis occupati, vt humilia & abiecta reii-
ciunt. Ego autem, tantũm abest, vt quod Reipublicæ
informandæ erudiendæq;ue causã suscipitur, id hu-
mile, ac negligẽdum existimem, vt eos maxima lau-
de dignissimos censeam, qui de illa quouis modo,
vel minimum quidem bene merentur; quiq;ue pro
nihilò habitis malorũ calumniis in hoc incumbunt,
vt ad omne opus bonum vulgus Christianũ imbua-
tur: quod quidem hĩc præstare conatus sum: at quàm

feliciter, peritorum iudicabit discretio. Tantum ergo te deprecor obsecroque, ut qualescunque has nostras lucubrationes amoris veri indices & defendere velis, & exporrecta fronte excipere, meamque voluntatem tua cum beneuolentia, tum gratia promouere: ita enim currentem iam incitabis magis, ut minime grauer & alias Christianae doctrinae mineralia dona elargiri. Nam auctorem in Epistolas & Euangelia quae per totum annum leguntur, meditamur & molimur: quin etiam opellam de negotio omnium maximo, videlicet de Christi saluatoris nostri passione, eiusque merito, in lucem emittere decreuimus. Faxit autem Deus, ut iuxta votum, & intentionem meam sic & propagetur hic noster labor, ut & tibi gratus sit, & cum fructu efficaciter admoneat officij sui Pastores, Concionatores, atque Presbyteros omnes: nouarum quoque sectarum duces ac propugnatores ab impiis coeptis reuocet, atque a Barbarica, contra vetusta sacra & antiquas Ecclesiae caeremonias, Gigantomachia, salubriter deterreat & auertat. Quod praestare dignetur is a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum. Bene vale optime Praesul, ornatissimum Antverpiensium decus atque sincerioris Theologiae Maecenas & patrone: meamque exiguam & humilem personam aduersus mordaces rabulas & domesticos etiam hostes tueri perge, qui sibi diserti non videntur (ut Quintilianum sequar) nisi omnia tumultu & vociferatione concusserint. Obiter Antverpia, Anno Domini 1571. 16. Nouembris.

CHRISTIANUS

CHRISTIANO LECTORI

FR. AEGID. TOPIARIUS

S. P. D.



VNCTIS MORTALIBVS IN-
situm est, *Catholice Lector*, vt felicitatem expetāt, ac iuxta Philosophi dictum, scire desiderent. Hac duo (veluti praecepta illa atq; longè præstātiſſima humana mentis studia) affectibus, multi mūdāna quadam sapientia præpollentes, alij proditiis legibus, alij traditis variis Catechismis, atque vniuersi præceptiſſimis hæcenus polliciti sunt; sed quoniā homines erant animales, spiritū nō habentes, non valuerunt præstare quod arroganter pollicebantur. Nec enim nouerant quanam esset vera hominis felicitas, aut quibus in rebus sita ea sit, quibusſue deueniatur ad verā Dei Opt. Max. noticiam. Multi enim, ait quidam, multa sciunt, sed Deum, & seipſos nesciunt. Vnde factū est, vt pro vera felicitate fallacem quandam felicitatis imaginem sint amplexi, & errorem suum in alios pariter transfuderint, falsi simul & fallentes. Attulerūt igitur & olim Philosophi quādam sapientiam suam, sed partim vanam & fallacem, partim dilutam & inefficacem, vt potè meris nugis & sophermatibus scaturientem. Certior autem multo ac solidior prodita est à Mose & prophetis, sed figuris & umbris inuoluta, nec satis efficax ad præstandū perfectam salutem, quam ad hanc tamen, adibus aliquot prouehens, videlicet diuina sapientia naturam ipsam referente, qua nos à rerum visibilium cognitione veluti manu ducat ad cognitionem invisibilem. Post hæc nouissimis tēporibus prodita est illa verè perfecta, lata & omnibus amplectenda Philosophia Euangelica, qua (testē Apostolo Rom. 1.) Dei virtus est, & Dei sapientia,

piencia, quòd vniuersis mundi nationibus vltro adferat abolitionem omnium peccatorum, eterna salutis viam commonestret, veram que Dei notitiam praestet. Sinè hac scientia (vt D. Aurelius testatur) nec virtutes ipsae, quibus rectè viuuntur, haberi possunt, per quas aliqui hac vita misera sic gubernantur, vt ad illam qua verè beata est, tandem perueniatur aeternam. Rursus qui hac pollent, Deum hic per speculū & enigma, & alibi facie ad faciem, sicuti est, limpidius cognoscent, attestante hoc ipsum Daniele Propheta desideriorū viro, cap. 12. Qui docti fuerint, inquit, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui multos ad iustitiam erudiunt, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Grandis certè merces, quae ad ardua quaeque promptè subeunda, quàm plurimos meritò ac praecipuè Catholicos quosque verbi interpretes hodie extimulet. Atque haec ipsa me quoque ante annos aliquot (vt liberè dicam) potissimam allexit, vt Tabulas D. Laurentij à Villauicentio in Epistolas & Euangelia, in alium stylum verterem, quòd sic omnibus diuini verbi declamatoribus maiori vsui esse possent. Quanquam hic non abs re animū mibi frequenter perculserit, retraxerit, ac planè deiecerit, curiosissimum hoc delicatissimum que nostrum seculum, quod nihil modò nisi nitidum, elaboratum & prorsus perpolitum, recipit vel agnoscit. Unde etiam cōsciū indignitatis propriae, visus sum mibi facinus aggressus vehementer audax & improbum, ac periculosae (quod aiunt) aleae, adeò vt posteaquam totius negotij periculum expertus essem, planè contractis velis destitutus fuerim ab instituto cursu, ac me ipsum contenturus intra pelliculam, nisi me quorundam amicorum concursus consensus, vii pergerem, omninò perpulisset. Obtulerunt ergo ij mihi R. D. Iacobi Veldij Augustiniani, viri, meo iudicio, in re Theologica omnibus numeris absolutissimi, Tabulas in Euangelia & Epistolas, quae per sacram Quadragesimam populo Christiano in Ecclesia proponi solent, improbis precibus instantes,

stantes, ut easdem simili phrasi traderem, qua priores reddideram; quo sic simpliciiori Concionatori Catholico per totum annum nihil deesset, quo minus instructior aliquantò declamaret apud populum, & maiori animo annuntiaret eis, moriente Propheta, scelera eorum. At ego contemplatus sincerum ipsorum animum, atque erga Euangelicam veritatem piissimum zelum, ausus non sum illorum diutius reluctari instigationibus, quorum consiliis etiam viri graues & maturi grauissimis in rebus solent non illibenter subinde obtemperare. Accepto igitur calamo deduxeram opus vsque in Dominicam secundam Quadragesimæ: sed ob graues causas, quibus tum vrgebar, aliq̄ vocatus, non fuerat mihi commodum incepto operi suum colophonem addere. Interim verò dum res sic heret atque differtur, irrepfit quidam, qui non sit veritus meo nomine vel titulo, cuculi in morem, qui oua sua in alienum nidum ponit, laboribus meis suos subinserere, & (ut prouerbiū habet) falcem suam in alienam messem mittere: sed factus ipse prodidit hominem, quia non bene concinnauit, non bene distinxit, nec ritè omnia redegit in ordinem. Præter hanc iniuriam, dum Antuerpiæ ipsis D. Bernardi feriis anno ab incarnato Christo 1566. sacra omnia contaminantur, profanantur templa, & monasteria deuantantur; denique vniuersa per furta, & sacrilegia semel diripiuntur; tum etiam vnà scripta mea à furiosis atque seditiosis Calvinistis dilacerantur atque minutatim discernuntur, inter quæ contigit fuisse reliquas Conciones, quæ operi incepto deerant. Quare iam denuò; ne non bonorum amicorum aliorum quæ Catholicorum sanctis desideriis obtemperarem, eandem operam reimpendere curauit: quod quidem non feci ideò, ut ipse literatus aut videar, aut popularem auram captem, sed ut quàm plurimos ad Christianam vitam pelliciam, atque per alios, qui hoc nostro labore vterentur, Christo lucrifaciam. Atque tale quiddam utcūque mihi parturiit animus, eo quòd
videans

videam Christianorum vulgus, non affectibus modo, verum etiam opinionibus pravis esse corruptum. Et in tanta rerum caligine, in tantis mundi tumultibus, in tanta humanarum opinionum varietate cogitabam ita apud me, quò potius confugiendum, quàm ad verè sacram anchoram Evangelicæ doctrinæ? Inter homines nusquam iam tutæ fides, inimici hominis domestici eius: ex creaturis parum aut nihil solidæ consolationis. Sacra igitur scriptura unicum in tribulationibus refugium; hoc nimirum attestante B. Apost. 2. Timoth. 3. Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, utilis est ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonū instructus. Idem affirmat B. Petrus. 2. Canon. cap. 1. Item Rom. 15. Quæcunque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. In hoc ergo enitendum, vt omnis hominum prunis, has scintillas; relictis cisternis, has venas scrutemur, donec reperiamus aquam vitam salientem in vitam æternam, vt simus paratiores semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea qua in nobis est spe. Huic ergo tam pio nostro conatui confido R. D. ac patres Laurentium à Villauicentio, & Iacobum Veldium scientia ac moribus apprimè præstantissimos, aliosq; omnes sacris studiis optimè affectos, minimè refragaturos, sed præcipuos in hac re Macenates futuros, quandoquidem (vt fertur) in hoc toti sint, vt sacrarum literarum candidatis semper bene velint, & ex animo fauceant: nimirum persuasum habentes, quòd talium industria ad cognitionem Christiana sapientia Christianum vulgus vel excitetur, vel adiuuetur. Nam si hoc inprimis cura est, ait quidã, vt potissimū in metropolitanis oppidis semper adsint exactè docti, ac perspectæ fidei medici, qui curam agant aliquando morituri corporis; quando magis conuenit illic versari spiritales medicos, qui non scammonio, aut elleboro tueantur

tueantur corporis bonam valetudinem ; sed caeleſti pharmaco
liberent animum à morbis ad aeternam mortem pertrahenti-
bus ? qui ſunt ignorantia veri , diſſidentia erga Deum , amor
huius mundi , ambitio , auaritia , ſuperbia , luxus , odium , in-
uidia , & eius generis alia . Videor ergo mihi non inanem ope-
ram adhibuiſſe , quòd in tot rerum calamitatibus , euoluen-
dis ſacris voluminibus animum meum exercuerim , quòdque
Conciones (quas communiter vocant *Quadrageſimales*) è
praefatis Tabulis in euraaxiam quandam coadunauerim , mul-
tis que in locis cum S. Scriptura , tum patrum antiquorum
& neotericorum auctoritatibus locupletauerim , non vt elo-
quentem ac rhetoricum ſermonem , qui aures deliniat corpo-
ris , ſed humilem & vulgarem , qui mentem permoueat , nec
non cuiusque hominis animum ad veram reſipiſcentiam per-
trahat , depromam . Det ergo pater ille caeleſtis , vt ex hoc no-
ſtro ſacro labore Euangelica religio propagetur : impertiat
item Dominus Ieſus ſpiritum ſuum , vt magis ac magis in Chri-
ſtianorum cordibus floreat veritas Euangelica , habitet chari-
tas , & regnet ſincera pietas . Hanc meam operam vt ſpero
vobis fore commendatiſſimam , ita velim per vos omnibus red-
di commendatiorem , quibus , abſque dubio credo , nihil anti-
quius , nihil charius , nihil venerabilius eſt , quàm caeleſtis illa
Philosophia , quam tot iam ſeculis totius orbis conſenſus pro-
bavit . Concedat quoque nobis Deus Opt. Max. ſacra ſcri-
ptura clypeis ſic eſſe munitos , vt poſſimus ſemper erecti &
illabefaecti aduerſus omnes huius mundi machinas , & præci-
puè Eccleſiæ Catholicæ aduerſariorum impios conatus ſuſſi-
ſtere . His paucis valete feliciter , & quod facio boni conſulti-
te . Datum Antuerpiæ 19. Martij .

F. ANTON. ANTONINVS FABER
Duynckercanus Candido Lectori.

Quisquis Dædalij quaris monumenta laboris:
Ecce tibi ingenio Dædalus alter adest.
Dædaluus haud corpus, anima sed pingere formam
Gnarus, qua possis scandere celsa poli.
Hoc lege lectoꝝ opus, verumq; fateberis esse:
Conueniunt rebus nomina sepe suis.
Floribus vt vernis pulchre Topiaria fulgent:
Virtutum gemmis sic liber iste nitet.
Namq; Stagiritica non hic documenta Sophia:
Fæda Poëtarum carmina nulla leges.
Te vitare docet pro veris falsa sequentes,
Perditus incautum ne gradiaris iter.
Doctrinas hominum falsas, mandat atq; praua
Amouet, & veram curat adesse fidem.
Virtuti quid conueniat, quid pugnet honesto
Edocet, atq; quibus mens perit egra modis.
Spiritus & vitæ confert medicamina læsæ:
Nectareas toto spargit in orbe dapes.
Est tibi si Domini lex infinita voluptas,
Hunc labi ex manibus tempora nulla sinant.
Vix ego laudarim tibi tanta volumina Lectoꝝ:
Hinc (peto) lecta legas, & relegenda petas.

AD ZOILVM.

Bucerio se rana boui prestare coaxans:
Pulchrior & nuceo coruus olore putat:
Vile culex animal se robur habere Elephantis:
Mus, leo terribilis: num lupus agnus erit?
Noctua noctiuolans aquila de lumine certat:
An non ridendus Zoilus iste foret?

IN DIE CINERVM

EPISTOLA, IOHELIS

I I. C A P.

Hac dicit Dominus Deus: Conuertimini ad me in toto corde vestro: &c. Finis Epistolæ. Et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus, dicit Dominus omnipotens.



UOH E L Prophetes per quem dominus præmissa verba locutus est, populo Israël, quantum in se fuit studiosè inferuinit, si fieri potuisset, in eius salutem. Adubravit ergo illi, atque ob oculos posuit Dei iram & vindictam, excitauit atq; inuitauit eum ad salutarem pœnitentiam, defleuit eius exterminium & exitium, publicam eius luxit calamitatem & cladem, clamauit pro populo eo ad dominũ Deum extoto corde suo. Sed præfractus populus benedictionem Dei noluit, ideoque elongata est ab eo. Psal. 108. Vtrò sibi malum consciuit pertinax populus. Hinc etiam prophetæ varia illi perdidere Dei iustitiæ flagella. Primò Assyriorum: deinde Babyloniorum siue Chaldæorum: tertio, Medorum, & Persarum, & Macedonum: quarto Romanorum. Hæc sunt cornua illa quatuor quæ propheta Zacharias longè antè præuidit, vt patet eiusdem cap. 1. Cum itaque graui comminatione propheta Iohel populũ Iudaicum perterritisset, hac lectione docet vnicum amouendi mali remedium esse pœnitentiam. Hoc ipsum etiam contestante Ieremia cap. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiã super malo quod cogitavi vt facerem ei, &c. Agit autem potissimum tria:

Ira & vindicta Dei lucet ob oculos ponitur.

Pœnitentia amonendi mali remediũ vnicum.

I Primò, hortatur ad veram pœnitentiam, quam constituit in vera cordis ad Deum conuersione, ieiunio, fletu, planctu, & cordis scissura, d. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, hoc est Celsate facere malum, absistite peccato, & facite bonum per reliquum temporis, quod vobis ad pœnitentiam est supernè datum. Nam conuerti, primò est malum consiliũ carpere, secundo à Belial ad Christum conuerti, deniq; fructus dignos pœnitentiæ proferre: pro superbia, humilitatem: pro auaritia, elemosynæ largitionem & hospitalitatem: pro libidine, cælibem vitam: pro luxuria & crapula, abstinentiam & ieiunium. *Toto corde* addidit, hoc est, concepto odio peccati, & amore iustitiæ. Totum cor exprimit affectum bonum, quem sequitur effectus

Populus Iudaicus ad pœnitentiam inuitatur.

Pœnitentia in quibus consistit.

Conuerti quid sit.

Toto corde

A non



Cor scindere
quid sit.

non malus. In ieiunio, per quod, vitia comprimantur, mens eleuetur, virtus & præmia largiantur. In fletu & planctu, vt exitus aquarum deducant oculi, quia non custodierunt legem Dei, exemplo Dauidis, Petri & Magdalene. Et scindite corda vestra, hoc est, tuam propriam prauitatem, mali cordis pessimum con silium, quia cor praua eructat, cor est malæ voluntatis prauus consultor, Matth. 15. Et non vestimenta vestra, more hypocritico: nihil enim commetueret velles, neque vestis suauis vt præuari careris & delinqueres.

Pœnitentia
partes contra
expressum Dei
verbum Lu
therus rejicit
omnes.

Quæ sanè prophetica doctrina, multis parasangis ab illo Lutheri distat axiomate, qui pœnitentiã tantum esse vult no uam vitam, eamque nescio quo spiritali gaudio exordiedam, ac proinde omnes pœnitentiæ partes, scilicet contritionem ex cordis conuersione prodeuntem: confessionem, scissura ve stium significatam: & satisfactionem, quæ ieiunio, fletu, plan ctu, restitutione peragitur, tollit, quanquam expresso Dei ver bo præceptas. Si enim cordis contritio propter Dei offensam & gehennæ merum, sit vera ad Deum conuersio, profeclo non efficit hominem hypocritam. Siquidem hunc Deus abomina tur: Spiritum autem contritum & humiliatum Deus non de spicit, Psalm. 50.

Pœnitentiã ve
ra & falsa
distinguitur.

Eleganter autem distinguit propheta inter veram & falsam pœnitentiã, dum ait: Scindite corda vestra, quæ, scilicet tu ment purulentia peccati vtrium instar, quæ nisi scindantur, rumpuntur: spontaneam itaque significat Deum exigere pec cati confessionem. Non vestimenta vestra, vt solent hypocri tæ sua facere, vt videantur ab hominibus, sine fide, vel amore Dei. Matth. 6.

Opera exter
na absq; cor
dis pietate ve
niam nõ me
tentur.

Quibus verbis significat propheta, externam illam operũ laruam, si cordis pietate destituatur, veniam non promereri: iuxta illud. 1. Timoth. 4. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, &c. Ac ne quis desperaret de magnitudine scele rum, Dei proponit benignitatem, mansuetudinem, miseri cordiam, patientiam & longanimitatem, qui non solum reci pit pœnitentes, sed vt pœniteant præuenit, auferendo (vt lo quitur Ezech. 19.) cor lapideum, & conferendo cor car neum. Hinc secundò ait: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum.

Dei misericor
dia, patientia
& longanimi
tas inuensa.

quia benignus & misericors est, patiens, & multa misericordia, & pra stabili super malitia. Quorsum dominus dicitur resipiscentes in suam gratiã recipere? Nunquid vt pergamus peccare? Haudquaquam: Sed vt iam clementem, tam bonum dominum nobis reconciliare studeamus, paratum nobis parcere resipiscen tibus: Nam ait, Non est mee voluntatis mors impij, sed magis vt conuertatur & viuat. Ezech. 18.

Fiducia et se
curitas quo
runda tollitur

2. Secundò, Nostri temporis Hæreticorum fiduciam & secu ritatem

titatem tollit, quæ sibi omnia statim tuta pollicentur, si tantum credant. *Quis scit*, inquit, si Deum conuertatur, scilicet à malis quæ peccantibus comminatur: & ignoscat agentibus pœnitentiam: & relinquat post se benedictionem, gratiæ, scilicet & misericordiæ? Sub dubio enim de Dei misericordia loquitur Propheta, ne magnitudo clemenciæ faciat negligentem, atque vt optare nos potius doceat quàm præsumere. Sensus ergo est, Conuertetur Deus certò ad nos, modò nos quoq; reuertamur ad ipsum: Pœniteat nos peccati, & pœnitebit eum in nos destinatæ plagæ siue pœnæ. Palam hoc factum est olim, Psal. 105. vbi sic legitur: Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Vide item Ierem. 26. Ionæ 3. Exemplo sunt Ninuita. S. Hieronymus in hunc locum propheticum ait: *Quis scit*, &c. q. d. Sententiam tempero, & opto magis quàm præsumo. Sperandum pœnitentibus, quoniam Deus bonus est: imò vt Euangelista habet, solus bonus. Non solum ergo culpas remittet, sed & pœnam secundum diuitias bonitatis suæ tradet obliuioni, benedicet terræ, & dabit fructum suum, aërem attemperabit, Martis furorem compefcet, omnia expectanda è manu clemenciæ eius. 1. Paral. 19. Post remissam culpam & acceptam Dei benedictionem, ostendit & hortatur, sacrificium & libamen Domino Deo nostro offerendum, q. d. Reconciliati Deo, assidue vos ipsos victimam laudis illi offeratis: Illi soli vos totos offerite, quia oves eius pacificæ estis. Roman. 12. Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placeantem.

*Pœnitentibus
sperandum nõ
præsumendum.*

Cæterum quia vera pœnitentia res sit admodum difficilis & rara, vehementi spiritu omnes cuiuscunque sortis homines ad pœnitentiæ medicinam hortatur, dicens: *Canite tuba in Sion*, id est, prædicatione verbi Dei, omnes exhortemini ad pugnam contra spiritualia nequitia in cælestibus: ne quis desit, quoniã incautum hostis possit opprimere: *sanctificate ieiunium*: est enim hoc præcipuum scutum quo hostiam tela excipiuntur, quæ à carnis illecebris sumere solet. Tunc autem verè sanctificatur ieiunium, quando non ex tristitia fit, sed vt præcipit Christus, *Matth. 6. Vocate cæcum, congregate populum*: quasi dicat, nemo salutis consequendæ occasionem negligat: omnibus enim hanc Deus parauit, qui vult, voluntate sua antecedente, omnes homines saluos fieri, primo ad *Timoth. 2.* si tamen ipsi non desint vocationi. *sanctificate Ecclesiam*; & si ad communem plebem ista referri possint, tamen ad Ecclesiæ ministros non ineptè referes, quos vbique ad sanctimoniam hortantur *Prophetæ, Isai. 52.* Mundamini qui fertis vasa Domini. *coadunate senes*, vt scilicet ipsorum exemplo lasciui iuuentus prouocetur fieri.

*Exhortatio vni
gens ad pœni-
tentiam.*

*Ieiunium quan-
do sanctificetur.*

*Voluntate an-
tecedente vult
omnes homi-
nes saluos*

Sanctificatio ad pietatem, extincto concupiscentiæ carnalis ardore. *Congregate parvulos, & sugentes ubera*, sicut videlicet olim Niniuitæ, *Ion. 3.* Pauperum enim & humiliū semper Deo placuit deprecatio. *Psal. 8.* Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudē,

Pœnitentia corporis & animi puritatem requirit. & c. *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*, id est, tēpore pœnitentiæ ij qui delitijs & voluptatibus assueverunt, abstineant ab opere nuptiali. Pœnitentia enim tam corporis quā animi puritatem requirit. Simile vides *Exod. 19.* Vbi conjugale debitum propter festa solemnia, & in alijs arduis per Moſen prohibetur Synagogæ officiis. Et *Apoſt.* Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex cōsensu, vt vacetis ieiunio & precatiōni. Quia enim omnes peccauerūt, iusto Dei iudicio in omnes ipsius ira defœuit: Sed qui nequit obliuisci misereri Deus, *Psal. 76.* concione isthac prophetica omnes se paratū recipere pollicetur: si tamē ex fide & vera pœnitentia, mutatis affectiōnibus, veniant: & vt loquitur *Isa. cap. 1.* si quiescant agere peruersē, discāt benefacere, quærant iudicium, subueniāt oppresso, iudicent pupillo, & defendant viduam. Ea enim est Dei benignitas, vt si ista præstiterimus, sese nobis obstringat: Venite, inquit, & arguite me, si videlicet misericordiæ sinum præclusero, si gratiam denegauero.

Benignitas Dei sese nobis obstringit.

Supplicationes hic fundantur.

Fundatur etiam ex hoc loco ille laudatus mos ecclesiæ, quo in necessitatibus, stationes, processiones, & hoc genus supplicationum, solet celebrare, quem vt papisticum noui euangelici irrident: cum tamen Christus quoque dicat, *Matth. 18.* Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo; & vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Vulgo quoque dicitur: Publica vota placant.

Sacerdotes sese ira Dei opponant.

Oratio iuncta lachrymis in Ecclesia celebris.

3 Tertiò, Non contentus Prophetes ad pœnitentiæ medicinam inuitasse magistratum politicum, nobiles, plebeios, senes, & parvulos, siquidem omnis ætas offenderat, & maledicto erat obnoxia: Sacerdotes quoq; quos ministros Dei appellat, quasi ipsorum preces efficaciores esse possent, hortatur, vt sese ira Dei opponant, & inter vestibulum & altare plorent, dicentes: *Parce domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt non dominantur eis nationes.* Celebris est in sacra scriptura oratio iuncta lachrymis. Vtinam hanc formam nunc imitentur Ecclesiæ ministri, & sese mutum opponant pro domo Dei. *Ezech. 13.* quam singularis ferus depascitur. *Psal. 78.* Perfodit fur, nemine vigilante: & falsa hæreticorum doctrina, vt cancer serpens, miserē dilaniat. Alia sanè mox foret Ecclesiæ facies: consequeretur enim effectum promissionum diuinarum, hoc est, remissionem peccatorum, pacem cum Deo, Roman 5. perfectionem virtutum, & continuum gratiæ auxilium. Hæc enim

enim sub metaphotis frumenti, vini, & olei significauit propheta, dum ait: Zelatus est dominus terram suam, indignatione scilicet, quam propter peccata conceperat, remissa: pepercit populo suo, qui non vult aliquem perire, sed omnes ad veritatem venire: memor scilicet promissionum, pacti, iuramenti & testamenti, quæ pepigit cū patribus nostris, & perfecit in filio suo, quem proposuit propitiatorem per fidem Ihs, qui per veram penitentiam respicerent à laqueis diaboli. 2. Timoth. 2.

Pulchrum est, & Deo acceptabile sacrificium, Sacerdotem in presbyterio, hoc est, in loco sacerdotibus duntaxat consecrato, (quem ne quidem Cæsaré Theodosium occupare permisit Ambrosius) stare, & officio suo fungentem pro suis & populi orare errans, Hebr. 5. Post hæc enim sequitur, hominē cum Deo in gratiam redire, post hæc, inquam, sequitur reconciliatio & indulgentia. Primò oratur: Parce Domine, &c. Ad hoc respondetur: Zelatus est dominus terram suam, & pepercit populo suo. Item Matthæi 18. Quia rogasti me, exorasti: ecce omne debitum remisit: Quin etiam, victus, amictus, salubritas corporum, temperies aëris, pax, & hoc genus temporalium donorum subiciuntur, tum sub pedibus nostris, nobis primò regnum Dei & eius iustitiam quærentibus, Matth. 6. Scit namque Deus pater quale figmentum simus, & quibus opus habeamus: vnde & apud Isai. 55. ca. sic ait: Imber cæli & nix inebriet & fecundet terram, faciatque eam germinare, & det semē ferenti, & panem edenti, &c.

Sacerdotium officium pro suis & populi erratis orare.

Orationem humilem committatur Dei misericordia & benedictio.

E P I L O G V S.

verbum dominicum denuntiatur per vniuersum orbem terrarum omni populo, ipsam vehementissimè ad penitentiam, dum eius adhuc locus est, vocans. Penitentia ea non verbis simulanda, sed re ipsa præstanda, in scædalarum omnigenum euitationem, & communem omnium adificationem, eaque non procrastinanda. Penitendum citò. Stultum est dicere: cras vinã, & conuicium hodie. Ecclesiast. 5. & Eccle. 9. Ad penitentiam pertinet contritio, & confessio Adams interni lugentis & plangentis peccata cum occultata tum manifesta, nota nobis simul atque ignota, voluntaria non solum, verum etiam ea que casu commissimus. Ad quam etiã pertinet fides firma in Deum, & fiducia certa gratia diuina. Talis penitentia habet vim & efficaciam ad commouendam Dei clementiam, ad auferendum à nobis omne indignationis eius supplicium, & ad consequendam pacem & benedictionem omnem. Penitentiam agite, ait Seruator, & appropinquabit regnum calorum. Matth. 4.

Penitendum citò.

Matth. 6.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, &c. Finis
Euangelij: Vbi enim est thesaurus tuus ibi est & cor tuum.

Modus ieiunandi & regula.

HOC Evangelio Christus nos docet modum ieiunandi & regulam. Quemadmodum enim Christus docuit qua regula orationem fundere & eleemosynam distribuere debeamus: ita, praestitit ieiunium legem, inquit Tertull. lib. de ieiunio contra Psychicos. Non vult enim disciplinae caelestis magister irreligiosè agi, quod fieri pro religione praecipitur, nec patitur inuocantium se laborem & abstinentiam, quibus aeternam parat mercedem infructuosè iactantiae vitio deperire, quia gloria vana, siue Pharisaeica illa ostentatio & hypocritis praesens nebula est, omnia corrumpens opera bona: Et praestertim tria proponit.

Ieiunium hypocriticum.

1. Primò damnat hypocritarum ieiunium, qui simulatè tristes, exterrinant facies suas, veniunt laudem humanam ex abstinentia, lucidaque ex ieiunio ora circumferunt, vt scilicet appareant hominibus ieiunantes. Quia sciebat Dominus vanam gloriam ex omni bono procedere, ideo spinam illam, quae nascitur in terra bona, iubet praecidere: ne spina vanae gloriae suffocet ieiunij fructum, ait Chrysost. opere imperf. in Matth. Homil. 15.

Hypocrita.

Vocat autem scriptura eos hypocritas, qui labijs Deum honorant, & corde alieni sunt ab eo. Isa. 29. hoc est, vt loquitur Apost. Tit. 1. verbis fatentur se nosse Deum, & factis negant: aut vt Christus Matthaei 15. ait. Qui transgrediuntur mandatum Dei propter traditiones suas: qui cum suam velint statuerè operum iustitiam sine Christo, iustitiae Dei non sunt subiecti, Roman. 10. atque inflati hac sua sanctimonia audet cum Deo expostulare dicentes, vt est Isa. 58. Quare ieiunauimus, & non adspexisti? Quare humiliuimus animas nostras, & nescisti? Rogant denique iudicia iustitiae, & appropinquare Deo volunt, sic omnia suis operibus tribuentes, vt gratiae Dei prorsus nihil concedant: Quibus pulchrè respondet Propheta docens, cur, vt caetera ipsorum opera, ieiunium quoque Deus abominetur: quia ad lites & contentiones ieiunarent, percuterent pugno impiè, & omnes debitores repeterent, &c. Igitur quia omnia hypocrytarum opera cum ex fide & charitate erga Deum non proficiantur, sunt inutilia, quanquam iram potius quam gratiam promereantur, merito ab eorum imitatione dehortatur Christus, dicens: Cum ieiunatis, vel ex Ecclesiae precepto, vel ex voti obligatione vel voluntario assumptoque aliquo

Opera ex fide & charitate non proficiunt inuisilia.

aliquo ieiunio, *Nolite fieri sicut hypocrita tristes*: de quibus Iob 8. cap. ait: Spes hypocritæ peribit. Idem cap. 21. Isai. 29.

In summa ergo ieiunandum docet, sed veri ieiunij formam præscribit. q. d. Ieiunabitis. Hoc enim velut acceptum & ratum, prætereo: sed quæ tandem vobis præscribenda sit regula, quid cauendum, & quid faciendum sit, assigno. Primum, vt longè sit ab hypocriti & iactantia, laudisque venatione. 2. Vt in hilaritate spiritus & eleemosyna. 3. In conscientia puritate, & humilitate iactantia & hypocriti opposita, obseruetur. 4. Ne quis ieiunet spe parcendi bonis suis, aut lucri apud homines assequendi perfectam pietatem. 5. Sed solo Deo & iudice, & compensatore ob oculos habito. Ieiunij laudes libris etiam antiquissimis patres descripserunt: Tertullianus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Augustinus, Ambrosius, Chryostom. Origenes. Et vt compendius loquar, ferè omnes. Mirum est ergo, quomodo non erubescant hæretici, ieiuniorum institutioni aduersari. Ieiunarunt Legislatores: vt Moses, quadraginta diebus Exod. 24. Deuter. 9. Propheta: Daniel, Helias, Ioannes Baptista. Reges, Dauid, Achab, Ezechias. Et principes: vt Iosue. Mulieres: Iudith, Hester. Populus Israël sæpissimè. Imò & Gentiles, vt Ninuitorum. Sacerdotes, vt in omni afflictione. Omnis generis denique homines: prout & ad saccum & cinerem inuirtantur à Iohel in Epistola hodie lecta, ex cap. 2. Ieiunauit Christus. Ieiunarunt Apostoli, vt patet Act. 1. & 13. Ieiunauit postmodum tota Ecclesia. Vnde B. Ignatius in Epistol. ad Philip. Ieiunium quadragesimale in memoriam conversationis & legislationis Christi obseruare monet cap. 13. Quo extrinsecus virtus augetur, corpus affligitur, & diabolus effugatur. Imò aduersarij, vt Calvinus ipse, instituit. sua. cap. 8. fateri coguntur ieiunij fructus esse multiplices. 1. Ad domandum carnem. 2. Ad orandum & meditandum piè quædam. 3. Ad humilitatis nostræ insinuationem cum peccata nostra Deo confitemur. Quæ vt astruat, adducit Luc. 1. prodi Annam filiam Phaniel prophetissam ob ieiunia celebrem. Et Act. 13. Christianos Antiochiæ ieiunasse. Et ibidem 14. Paulum & Barnabam presbyteros instituentes, idem fecisse. Sicque inimici nostri sunt iudices.

Nolite fieri, inquit, Sciens enim dominus quia non potest fieri vt sit hilaris qui ieiunat, ideo non dicit: Nolite esse tristes, sed nolite fieri. Aliud enim est esse, aliud fieri. Qui enim naturaliter propter assiduum ieiunium tristis est, ille est tristis, non autem fit. Qui autem per imposturas aliquas pallentes apparêt, illi non sunt tristes, sed fiunt, ait Chryost. in Matth. opere imperfecto. Homil. 15. Sic vidua illa quæ ad Dauidem pro Absalone recõciliando venerat missa à Ioab (2. Reg. 14.) necnon &

Pharisæi ferinè omnes fiebant tristes coram populo, vt patet, Matth. 23. non autem erāt, solo naturæ delectu vt gente. Sicut Hypocritæ tristes. Hypocritæ sunt qui se alios astu & iactantia volunt facere quàm sint: vt deuotos, cum sint obdurati corde: humiles cum ambiciosi: affabiles, cum crudeles: pios, cum impij: id què ab arte venantur quod sua ipsorum conscientia negat. Hæreticos tales permultos videas, vt ait Origen. homil. 4. in diuersos: qui fronte simulata, erecto in cælum vultu. (quales modo sunt Anabaptistæ, aut demisso in terram (quales olim Waldenses, aut Valentiniiani hæretici extiterunt) se in Deum raptos: vt olim Priscilla, Maximilla, & Cathaphygyum virgines (quod ex Epiphanio contra earum, hæreses, colligitur) & velut è terra in cælum euectos simulant. Sic Paulus 2. Corinth. 12. Sathanam dicit se transfigurare in angelū lucis. &c. Vnde Christus; Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnū cælorū. Matt. 7. *Exterminant enim facies suas: id est, demoluntur conscientiam aut obscurant, vt Hilarius vult: vel extra terminos naturæ eas obscurant, vt qui (ait Hieronymus) animo fortè latante, tristitiam simulant.* Huius generis sunt. 1. mulieres, quæ ac si plasmatore suo sapientiores essent (ait Chrysofost. in hunc locum: & Ambros. lib. Exameron: Origenes quoque homi. 4. in diuersos) arte, & fuce natium colorè corrigere, imò corrumpere nituntur. 2. Pauperes mendici permulti, quod segnicie quadam adducti victum sudore comparare nolint, deformant facies suas herbis quibusdam & sanguine, vt tandem eorum, qui verè pauperes sunt elemosynas sibi comparant, contra quos D. Paulus 1. Thessal. vlt. Qui non laborat, non māducet. Ad tales viderit Magistratus, vt habetur in Codice de Valerudinariis mēdicis. 3. Sunt hypocriticè ieiunantes quos ita depingit D. Gregor. 8. Moral. Ora palescunt (inquit) corpus debilitatè quatitur, pectus interruptentibus suspirijs vrgetur, nihilquè tanto labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur.

vt videantur hominibus ieiunantes. Non malum est videri bonum ab hominibus: Ait enim Christus Matth. 5. Videant homines opera vestra bona, & glorific. pat. vest. & c. Sed ea lex adhibēda est, vt idē intus sis, quales foris vis videri. Vide Chrysofost. hom. 21. in cap. Matth. 6. *Amen dico vobis, receperunt mercedē suam.* Mercedem omnes recipiunt ab his, in quibus sperant. In his autem magis sperate videntur, quibus magis placere nituntur. Idcirco cum hypocrytæ hominibus magis quàm Deo placere studuerint, ab his quoque temporaneam accipient mercedem. Ita vt dictum est Iob 8. Spes hypocritæ peribit, & sicut telaraneorum fiducia eius. *Quid enim leuius humano rumore & fauore, cui se tamen addixerunt.* Vide Chrysofost. hom. 21. in

Marth.

Matt. Ibi. Hypocritam personatis scenicis confert.

Peccatum ergo Pharisæicum fuit vanam gloriam venari ex virtutibus, easq; facere vt videretur ab hominibus: vnde affirmante Christo receperunt hic mercedem suam. At nos vero longè eorum malitiam superamus, qui non de virtute gloriamur, vt ieiunio, abstinentia, castitate, sed de gula, ebrietate, adulterio, raptu, stupro, iniustitia, &c. De quibus rectè locutus est Salomon, Proverb. 2. Latantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Contra quos Dauid duriter agit, Psal. 51. d. Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? &c. Propterea, inquit, destruet te Deus in finem, euellet te, & emigrabit te, &c.

Peccatū Pharisæicum.

Malitiā Pharisæicam superantes.

2. Secundò, vbi docuisset quid cauendū sit, nunc docet Christus quid faciendum sit, & quale verū Christiani hominis esse debeat ieiunium, quom dicit: Tu autem cum ieiunas, &c. scilicet, qui Christianus es, aliter quàm is, qui ab hominibus tantum mercedem sperat, ieiunare debes: cuius scilicet spes in cælis est. Vult autem illud ornari capitis vnctione, & faciei lotione. Quæ cum apud Palestinos siue Iudæos, imò etiam apud plebsque Ethnicos, fuerint lætitiæ & hilaritatis symbola, facile ostendit Christus, ieiunium non esse tātum, apud Christianos rem ad id oporere, sed gratiam & acceptam Deo, nec tantum pro natura aut valetudinis ratione suscipiendū, vt volunt nostri Sardanapali, qui vt quibusuis voluptatibus explendis sufficere possint, nullam volunt corpori molestiam ciborum mendia adferri. Si quidem vt illi volunt, ventris vacuitas, capitis vertigines, cerebri debilitatem, ac stomachi molestiam ob malos humores, quibus ventriculus impletur, parit. Proinde nescio qua imprudentia docere non verentur Deum aut hæc non præcepisse, aut non requirere, eo quòd naturæ repugnēt. Atqui longè aliter Christus, qui quomodo ieiunandum sit formulam tradens, vult hilari vultu, candido affectu & pura conscientia obseruari. Per olei quippe vnctionem, spiritualem lætitiā & exultationem intellegit qua Pater filium suum vnxit, Psal. 44. Hilare namq; datorem diligit Deus. 1. Cor. 9. Et hilari mente Deo seruiendum. Iudith nimirum peractis ieiuniis vncta ad lætitiā, pergit ad Holofernem. Iudith 10. & 11. Hester eodē apparatu, ad Assuerum pro eripiendis Iudæis. Hester 4. & 5. & ipsē Daniel post ieiunia vnctus, apparuit lætus cum suis, qui tamē siccis cibus vsus erat. Id ergo est, ac si Saluator dicat: Velim te hilari ac prompto animo, nō autem fucato ieiunare. Nemo enim, ait Basilus, Hom. 1. de laudibus Ieiunij. Deiectionis coronatur: nemo mœrens trophæam statuit. Noli tristis esse dum curaris. Cur enim triste (inquit Tertull.) quod salutare docuit, etiā aduersus diriora dæmonia ieiuniis præliandum?

Hominis Christiani ieiuniū.

Sardanapalorum commentum & impudentia.

Olei vnctio & faciei lotio quid deot aut.

dum? Per faciei lotionem omnis depositio sordium intelligitur: de qua lotionem Isai. 1. cap. agit: Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, ait dominus. *Facies enim anima, conscientia est.* Quia vt in facie homines, ita in conscientia videt Deus omnium indolem. 1. Re. 16. Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. Deinde à facie quis apud homines aut deformis aut pulcher dicitur. Apud Deum quoque à conscientia aut bonus aut malus censetur. Id igitur est, ac si dicat, vt Esa. 58. Hoc est ieiunium quod elegi: dissolue colligationes impietatis, &c. Et in Epist. hodierna Ioël ait: Sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam Deo ostendere carnis abstinentiam. Quid aliàs prodest tibi, inquit Chrysoptom. si quotidie à carnibus abstines, & quotidie carnes stratis tui deuoras, & inuidia pallefcis: Huiusmodi namque ieiunatores à cibis tantum abstinentes, & interim prauè agentes, dæmones imitantur, quibus esca carnalis non est, & nequitia spiritualis semper inest. Conscientia ipsidem modis lauari potest, quibus facies lauatur aut mundatur. Primò, aqua, nimirum lachrymis contritionis, conscientia abluitur. Vnde Dauid: Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis; per lectum conscientiam intelligens. Et per Iohelem cap. 2. hodie nos inuitat Ecclesia, dicens: Cōuertimini ad dominum in ieiunio, fletu, & planctu, &c. Secundò, puluere humilitatis. Sic quippe Achab ieiunantem commendat dominus Heliæ. 3. Reg. 22. Item caput nostrum Christus est. Ephes. 1. & 5. Vnctio elemosyna & pia charitatis officia sunt. Cùm ergo ieiunamus, hoc caput vngere iubemur, quod fit (teste Ambros.) quando prandia nostra quæ nobis subtrahimus, pauperibus erogantur, iuxta illud, Isa. 58. Frange esurienti panem tuum, &c. Nam Christus, Matth. 25. dicturus est: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Idque hilari vultu lætoque animo fieri à nobis debet, iuxta illud Eccl. 35. in omni dato, hilarem fac vultum tuum.

Ieiunium sanctificare quid.

Ieiunatores externi demum imitantes.

Caput nostrum quando ungitur

Ieiunij nomine quid intelligat Christus

Certè qui quomodo agendum sit ieiunium præscribit, is nunquam id damnabit, nisi secum ipse pugnare velit. Intelligit autem Christus ieiunij nomine vniuersam corporis castigationem, qua abstinemus ab illicitis voluptatibus, impietate, secularibus desideriis & concupiscentiis malis, vt scilicet exhibeamus nos sicut Dei ministros, 2. Cor. 6. sed ita vt fletum, planctum, & cordis scissionem, cæteraque penitentiae opera adhibeamus: non auaritiæ & ostentationis causa, sed vt Deo placeamus, & & carnem spiritui subijciamus. Neque enim gloria mundi gloria Christianorum est, sed conscientiae bonæ interrogatio apud Deum, qui omnia videt etiam abscondita. Quod & Susanna meditata est, vt à seniorum scelere declinaret. Dan. 3. Vnde si ali-

qua

qua occurrerit tentatio, cogitemus Deum præsentem, vt iudicem, quo tandem concupiscentiæ nostræ impetum compescamus. Sic enim fiet, vt sit apud Deum meritiorum, iuxta illud, *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Gratia enim Dei, operibus bonis præmia vndique in scriptura connectit. Matt. 10. Ioan. 5. 1. Timoth. 4. Hebr. 10.

Et ne putes ideo quia secreta est iustitia, nullum esse qui respiciat: addunt Græci, Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in aperto, ceu in *propatulo*. Qui finxit oculum non considerat, ait Psal. & qui docet hominem scientiam? Omnia nuda & operta sunt oculis eius. Hebr. 4. Is vtique reddet tibi. Neque enim tenebris obruæ manebunt iustitiæ tuæ, sed in lucem emittentur. Hinc Psaltes Psal. 36. Reuela inquit domino viam tuam, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum quasi meridiem. Contra vero iustitiæ hypocriticæ & fictæ tenebris mancipabuntur & à Deo nõ agnoscentur. Iob. 1. Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

3 Tertiò, ne suspicarentur auari se posse quod genio subtrahunt cupiditati & auaritiæ accumulare, docet ieiunium nõ tantum in ciborum abstinentia, corporis maceratione, & ventris inedia esse constitutum, vt impij putabant hypocritæ, verum alteram illius partem, eleemosynam nempe, adiungendam iubet, quæ non secus atq; ignem aqua, ita peccatum extinguit. Hinc Christus, date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis. Sine hac (inquit Augustinus) ieiunium nullũ bonum est. Porro priusquam Christus formulam eleemosynæ præferibat, prius malorum omnium radicem cupiditatem, diuitiarum sitim, atq; thesaurizandi studium animis suorum eximere conatur, dum thesaurizare vetat in terra, quòd huiusmodi thesauri variis sint periculis abnoxij. Nam vel ærugo & tinea demolitur, vel latrones & fures effodiunt & furantur, vel ipsi quoque thesauri suos congestores in laqueos diaboli coniciunt, & desideria multa inuutilia & nociua, ipsos in interitum & perditionem demergentia. Vbi sunt (inquit Baruch 3. cap.) principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? Qui in aubus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est interitio operum illorum? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt.

Obseruandus ergo est noster thesaurus non in terra, quia nõ habemus hic permanentem ciuitatẽ. Heb. 13. hoc quasi agnouisset Diogenes, vt docet Laërtius, imo philosophorũ permulti, sua etiam abdicarunt. Et multò perfectius Apostoli, inter quos

Ieiunio eleemosyna adiungi iubetur.

Thesaurizare vetat in terra.

quos Petrus: Ecce (ait Matth. 19.) nos reliquimus omnia . &c.

Vbi arugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Hęc miseriam Deus adiecit hominum auaritię & diffidentię: vt vbi humanus iacet thesaurus. Si tria hęc adsint, secundum tres diuersitates diuitiarum (ait Rabanus) Metalla, nimirum arugine: vestes tinea demoliuntur. Sunt autem alia quę neutrum timent, sicut lapides preciosi. Et ideo ponit generale detrimentum, scilicet fures: qui omnes diuitias rapere possunt. Interim vt discas quam fallax sit diuitum fortuna, vide vt vnico bello prostrati Reges & captiui ducti sint: sicut Manasses, & Sedechias. Et vt narratur Iudic. 1. Adonibezec 20. regibus captiuis, manuum ac pedum summitates amputasse; qui tandem colligebant sub mensa eius ciborum reliquias. Idem etiam postea similes pœnas luit, captus à tribu Iuda. Ita diues è summo fastu etiam miserimus aliquando redditur: & à boue (quod aiunt) ad asinum descendit.

Rectè ergo monet diuites Apostolus 1. ad Tim. 6. non sperare in incerto diuitiarū, sed in Deo viuo, atque adeò veris virtutibus animum exornare. Item Sap. Eccl. 1. Noli anxius esse in diuitiis iniustis, noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: mihi sufficiens est vira. nihil enim proderunt in tempore vindictę & obductionis. Nulla autem virtus æquè nos Deo gratos atque acceptos reddit, atq; ipsa elemosyna, quam Apostolus vocat hostiam acceptam Deo, odorem suauem & benedictionem, si tamè non ex tristitia, aut ex necessitate offeratur. Vide Ecclesiastici 17. Sic enim omnia mundat, Luc. 11. id est, interna & externa, dum pro malitiā quam exhibuimus, charitatem proximo impendimus: pro rapina munificentiam, iuxta illud Ephes. 4. Qui furabatur, iam non furetur: magis autè laboret manibus suis, vt habeat vnde tribuat necessitatē patienti. Sic enim fiet vt in cælo thesauros incorruptibiles cōparemus: dicit ergo saluator: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque arugo neque tinea demolitur.* &c: Thesaurum non intelligit metalli saltem, sed omnium huius mundi opum. Thesaurus est ieiunium, oratio, castitas, obedientia, & hoc virtutum omnigenum genus. Thesaurum eum angeli aureis acerbis Deo offerunt, tanquam sacrificiū holocaustomatis. Thesaurus item est panis, vinū, vestis, domus, & hoc genus bona pauperibus data. Thesaurum eum manus pauperum deferent in cælū. Ecce quibus vtaris iumentis, quibus vehiculis & nauibus. Vis ergo mente semper in cælum rapi? Age, thesaurum tuum illuc præmitte. *Vbi neque arugo neque tinea demolitur, aut fures effodiunt, &c.* Summatim his verbis ostendit, (inquit Gregorius Nyssenus) quòd nulla vis: quę beatitudinem illam corrumpere possit, in superna vita versetur. Nullus hic latro, nullus fur, aut prædo:
Deiectus

*Virtus nulla
gratiore nos
Deo reddit
atque elec-
mosyna.*

Luc. 12.

*Theauri
Christianorū,
qui.*

Deiectus est in deſciliſicet, diabolus accuſator fratrum, &c. Apoc. 12. Nihil igitur amittimus, ſi terrena caeleſtibus commutamus, lucrum ſanè facimus, pro fluxis æterna recipientes. *Vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Si itaque terræ defoſſus, permanſerit cor tuum in cælum nunquam erigetur. Primò id videre eſt in auaris, qui, vt & diues apud Lucam 12. à Chriſto inducitur, dicens: Fruere anima mea, &c. ita omnè ſuam ſollicitudinem diuitiis deuouerit, vt Paulus merito auaritiã vocet idolorum ſeruitutem. Gaza verò tua miſſa in cælum, animus tuus in terra ſuppreſſus nunquam remanebit. Nam pij & electi quod omnem ſuam ſpem & theſaurum in cælo re-poſuerint, in cælo etiam conuerſari dicuntur. Si ad perfectiõnis faſtigium contingere nequis, vt per viam arctiorem ſecutus Chriſtum, omnia tua des pauperibus, ſaltè vel ſuperflua pauperibus eroga, de quo ait Apoſtolus, 2. Corinth. 8. Non vt aliis ſit relaxatio, vobis autè anguſtia: ſed vt ex æqualitate in præſenti tempore veſtra copia ſuccurrat illorum inopiã, &c. Ioannes quoque docet partem dandã non totum. Et Zacharũ ait, Lucæ 19. Dimidium do pauperibus. Apoſtolus iterum commendat idipſum diuitibus, 1. Timoth. 6. eos contra deſperationem muniens, vbi ait: Sint faciles ad impertiendum, libèter communicantes, recondentes ſibi ipſis fundamentum bonum in poſterum. Chriſtiani enim, cum non terrænũ regnum præſtolentur, ſed immareceſſibilem gloriæ coronam expectent; quicquid agant, non eſt quod ab hominibus gloriã venari, ſed cum humilitate omnia ad Deum referte debent.

EPILOGVS.

Præceptor noſter & ſeruator Chriſtus Ieſus docuit nos in præſenti lectione ieiunandi modum, cuius abuſus taxatur, nõ ieiunium ipſum, quod teſtimonium habet tam legis quàm Euangelij. Docuit nos item theſaurizandi viam, ieiunandi modum non vult eſſe hypocriticum, diuitias congregandi viam, non vult eſſe auaritiã, ſacramque auri famem. Quam inuet præceptum hoc tam rarum & tam ſalutare audire. hætenus paucis reuelatum.

Ieiunij legis
& Euangelij
teſtimonium
habet.

FERIA QVINTA POST CINE-
RVM EPISTOLA.

In diebus illis: Aegrotauit Ezechias uſque ad mortem, &c. Finis Epistolæ. & protegam eam, dicit Dominus omnipotens.

PRÆSENS historia facta eſt eo tempore quo Sennacherib Iſaia 38. rex Aſſyriorum maxima manu totam depopulatus erat Iudæam, & ipſam quoque obſidione cinxerat Ieroſolymam. Rex Ezechias vndique conturbatus, cupiebat vel auro pacem ſibi

sibi coëmere: missis itaque ingentibus donis Sennacherib, nihil profecit. Fatale hoc fuit, Dominus Deus tyrannum indurauit, vt gloriam suam in ipso illustraret. Inter hæc mala rex improba oratione Dei inuocauit auxilium, consolatur per Isaiã, qui ei denuntiat orationem eius à Deo exauditam, nempe tantum Assyriorum exercitum Deo Israël & omni Iudaorum populo ludibrium futurum, & ea via qua uenerat, regem ad suos rediturum. Hæc ad longum non solum apud Prophetã, sed & historicum videre licet. 4. Reg. 18. & 19. 2. Paralip. 32. Sub hoc tempore ægrotauit Ezechias. Quo enim morbo laborauerit, textus non exprimit: habet tamen quòd uehemens, & acutus fuerit, cui etiam mors comes erat: dominus Deus hoc morbo regem tetigit, vt ipsum à uana gloria vel sic liberaret. Poterat nanq; de Assyriis percussis & in fugam actis inaniter & carnaliter gloriarì: hoc ne faceret, ipsum percussit (teste Hieronymo) Voluit etiam eius fidem probare. Solet Deus quos diligit, percutere. Percutere item solet, vt curare queat. Quapropter hæc Epistola Prophetã docet, Deo familiare esse, suos electos in hac uita punire, ne cum hoc mundo damnent. Agit autem potissimum tria.

I Primò, Comminatur mortis denuntiatione Ezechia, qua eius conscientiam corporis infirmitate afflictam percellit, dicens: *Dispone domui tue, quia morieris tu, & non uiues.* Sic enim solet Deus suos electos, ne felicitate rerum præsentium efferrantur, plerunque meru mortis, & futuri iudicij percellere, vt abiecta propria fiducia, illi sese totos committant, qui & uult & potest illos de tentatione eripere, vt docent exempla, Abraham de Vè Chaldæorum. Genes. 11. Danielis de lacu leonum, Dan. 13. Iob de maxima afflictione, Iob 1. Susannæ de falsis iudicijs, Daniel. 13.

Est autem obseruanda omnibus Episcopis, Pastoribus, prædicatoribus & Confessarijs, magna hæc Prophetæ in dicendo apud regẽ potissimũ, & nobili uictoria clarũ, libertas, qua postposita omni adulatione, liberè Dei uoluntatẽ annuntiat, nihil ueritus regis indignationẽ, capitis periculum & officij priuationem. Quibus hodie illi qui principibus à secleris conscientia sunt, ita impediuntur, vt aut raro, aut nusquam sicut oportet, Dei uoluntatem ipsis annuntient, sed potius omnia placetia, quo fit vt principes, regna, respublica, & imperia funditus perdantur & corruant, vt docet historia Achab, 3. Re. 22. Quæ permittuntur nonnunquam à Deo sic fieri iusto suo iudicio, & merito nostrorum peccatorum. Qui regnate facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Iob 34.

Nulla autem est doctrina æquè necessaria regibus, principibus, imperatoribus, atque dynastis, quàm vt disponant domui suæ

*Ezechias con-
solatur per
Isaiam.*

*Ezechias eui
morbo tactus.*

*Prouerb. 3.
Hebra. 11.
Apocal. 3.*

*Metu mortis
& iudicij fu-
turi, cur suos
Deus aliquã-
do percellit.*

*Libertas Pro-
phete in docẽ
do obseruãda.*

*Adulatores in
principũ aulis
regnorum &
rerum publi-
carum ruina
sunt.*

*Doctrina
principibus*

suæ, & sciant se morituros, seduloque animo reuoluant hoc *permaximè necessaria.*
 Poëticum: mors sceptra ligonibus æquat. Sic enim facile tyrannidem omnem & fastum deponent, atque adeò horrendas illas *superstitiones*, quibus miserè suas respublicas exhauriunt, relinquunt. De hac re vide Isai. 3. Item Mich. 3.

2. Secundò proponit decumbentis Ezechia, Primò pœnitentiã, quæ significatur auersione faciei à rebus momentaneis *ambitibus pœnitentiã & fiducia* & caducis ad parietem cordis, per veram contritionem & fiduciam in Deum, deinde orationem eius proponit, quam obtulit *oratio, & lachryma.*
 ex fide, qua credidit Deum exauditurum inuocantes, iuxta illud: Cùm clamauerint ad me, exaudiam eos, Psalm. 90. Tertiò eius lachrymas proponit, quibus tanquam testibus declarauit assidentibus animi sui consternationem, ex comminatione diuina conceptam. D. Hieronymus dicit, Ezechiam propterea faciem suam ad parietem uertisse, quòd templum ad eam partem situm fuisset. Locum orationi sanctificatum mente adiit, cùm hoc corpore non posset.

Ex quibus intelligimus, efficaciam uerbi Dei penetrantis *Verbi Dei efficaciam.*
 usque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Heb. 4. Quod lenissimo momento amputat quicquid est carnalium affectionum, ac restituit charitatem, qua totus in Deum animus fertur, amplectiturque orationem, qua Deo non tam colloqui licet, quàm ipsum iratum placate. Hinc de ipso Ezechia sic dicit S. August. Supplicantis fleibus regis & famuli sui pius dominus ad misericordiam flexus est.

Sed quid est quod sanctissimus hic rex adeò ostentat operum *Questio.*
 suorum merita, dicens se ambulasse coram Deo in veritate, in corde perfecto, & fecisse quod bonum est in oculis domini? Nunquid meritis operum fidere cuiquam licet? cùm dicat Daniel cap. 9. se nolle prosternere pœces in iustificationibus suis: cùm gloriari nemo possit, mundum se habere cor. Prouer. 20. & facientes quæ præcepta sunt, serui inutiles simus? Lucæ 17. Paucis responderetur, nos non fidere operibus, ut à uiribus liberi arbitrii proficiuntur: atqui cùm ex fide, & spiritu Christi inhibitante, & charitate diffusa in cordibus nostris excitemur ad opera pietatis, quæ in nobis & per nos operatur Deus: ut sunt ieiunium, corporis afflictio, oratio, elemosyna, & charitatis, sperare nos posse mercedem, docent scripturæ, iuxta illud Matthæi 20. Redde operariis mercedem. Et apostolicum hoc: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. 2. Timoth. 4. Ita fit, ut coronet in nobis deus sua dona. Vnde & Paulus Roman. 6. uitam æternam gratiam uocat: quia gratis illa donantur, quibus redditur uita æterna. Quando igitur in oratione Ezechias prætexit comminationi diuinae suam

Responsio.

Ex operibus possumus sperare mercedem.

*Laudat se ali-
quādo sancti
& quæ ratio-
ne hoc faciūt.* nax suam innocentiam, animi integritatem & iustitiam, nequaquam id ea opinione fecit : quæ illi, quos damnat Apostolus Roman. 10. sed humiliter quædam est beneficiorum Dei commemoratio. Sic celebre fuit regio prophetae Dauidi, dicere se legem Dei custodivisse, Psalm. 58. & 118. Daniel etiam in spelunca leonum exēptus, dicit leones sibi non nocuisse, quod iustitia apud ipsum sit iuventa, cap. 6. Samuel item sinceritatem suam prædicat, 1. Reg. 12. d. Loquimini de me coram domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiuspiam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiuspiam munus accepi, &c. Hoc Pharisaico supercilio non faciunt sancti, sed Dei gloriam quærunt, non suam; Deum iustificat, non se: denique omnia ad adificationem & faciunt & loquuntur. Docemur hic quales conscientias exemplo sanctorum patrum habere debeamus. Sic nobis viuendum, in hoc incumbendum, vt & nos similia dicere possimus.

*Veritas Eze-
chie.*

Veritas verò ea de qua Ezechias hic potissimum agit, opponitur duplicitati & hypocrisi, & est religionis puritas quæ solum Deum Israël coluit, idola abominando omnia. Huius loci habes exemplum, 4. Reg. 17. Aeneum anguem comminuit, atque ipsum Nehustan vocavit. Excelsa & lucos abstulit, adhæsit domino Deo Israël, & præcepta eius conseruauit, &c. In veritate ambulare vides quid sit, 3. Reg. 2. vbi Dauid præcepta dat filio suo Salomoni. Ioannes præcipue veritatis vocabulo vitur, veritatem loqui, veritatem facere, veritatem in se habere, in veritate stare & manere, Deum in veritate inuocare, adorare, quærere, Deo in veritate seruire, &c. Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Prisci ergo reges & electi veteris testamenti, in veritate solum Deum Israël odorauerunt. 3. Re. 8. 15. 1. Paral. 12. 28. & 2. Paral. 16.

*Pœnitentia
Ezechia effe-
ctus triplex.*

3 Tertiò docet Propheta, quem effectum humilis ista regis pœnitentia est consecuta, nimirum triplicem: Sententiæ scilicet diuinæ mutationem; inopinatæ salutis restitutionem: ac vitæ ad quindecim annos prorogationem. Est enim ea Dei erga pœnitentes clementia, vt ultra quàm petant aut intelligant rependat, 2. Corint. 9. Denique quàm grata sint veræ pœnitentiæ opera, testatur hic locus. Hæc inquit propheta, dicit dominus Deus Dauid patris tui. *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, &c.* Errant igitur vehementer, qui impudenter docent omnia bona opera esse peccata, & iram potius quàm misericordiam promereri: aut contritionem, quæ ex consideratione iræ Dei nascitur, constituere magis peccatorem.

*Error opera
damnantiū.*

Certè Dauid gloriatur Deum tanti fecisse suas lachrymas, vt eas posuerit in conspectu suo, Psalm. 55. Imò Dauid mortuo
cuius

eius adhuc merita viuunt: vt testatur scripturæ. Isa. 37. Ezech. 6. adeo vt Deus ciuitatem sanguinum idololatriæ deditâ, voluptuosam & fornicariam Hierusalem, vt est apud prophetas, pollicetur se protecturum à tyrannide hostium, Assyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, & Babyloniorum, merito sanctorum. Tanti enim apud Deum pietas valet, vt impiis quasi patrocinari videatur, dum vindicæ Dei iustitiam remoratur, Gen. 18. Sed cum sententia Dei sit semel determinata, nec possit aliter quàm diffinierit euenire, quomodo Ezechiae oratione & lachrymis mutari semel diffinita potuit sine Dei mutatione? Respondeo, ex fide potius quàm ratione, Deum in quo præteritum & præscientia non significant actum prætereuntem prorsus esse immutabilem. Proinde cum res in se, & secundum inferiores causas sint contingentes; necessariae tamen sunt, quatenus subii ciuntur sententiæ diuinæ, quæ falli non potest. Ita Ezechias secundum causas inferiores erat moriturus, dum dicebatur illi: Dispone domui tuæ, &c. qui tamen secundum Deum non erat moriturus. Iustus est Deus & clemens. Vnde nonnunquam sententiam mutat, videos nos vitam mutauisse nostram. Simile vides Ionæ 3. vbi post sententiam datam, Niniuus pepercit. Apostolo item post mortis sententiam, vitam permisit. 2. Cor. 1.

Dauidi mortui merita adhuc viuunt.

Mutat Deus aliquando sententiam contra nos latâ.

EPILOGVS.

Ezechias rex pius decumbens, iussus se morti præparare, stendo atque orando dominum Deum, in cuius manu est & mors & vita, exorauit, & Fidei oratio exorando vitam ipse sibi prorogauit. Fidei namque oratio, quæ cum lachrymis & bono proposito, hoc est, in veritate fit, calos penetrat. Deo ergo in necessitatibus confidendum. Non est quod ad eam Deum Accaron inuocare, 4. Reg. 1. Non possunt idola, quæ nihil sunt, nos inuare. Ochozias occidit, Ezechia morti addicto resurgente.

FERIA QUINTA POST CINERVM
EVANGELIUM.

Cum autem introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, &c. Finis Euangelij: Et sanatus est puer ex illa hora. Matth. 8.
Luc. 7.

QUIA nullum est tam ignobile, ac abiectum membrum corporis, cui si quid aduersi acciderit, cætera etiã membra compatiuntur: imò etiam maximè cõducit ad totius corporis leuamen. 1. Corinth. 12. pari quoque ratione qui inter nos vilis & despectæ conditionis sunt, dicam etiam seruilis, tanto nobis sunt necessarij, quanto his carere vix possumus. Vnde si qua illis afflictio contigerit, succurrere tenemur. Duobus hoc docemur exemplis. Nam Centurio pueri sui paralytici

B

tantam

tantam curam gerit, vt seniores sibi patronos accersat, & ipse-
met pro eius sanitate Christo prociat. Christus verò despectū
alioqui gentilem mancipij loco à Iudæis habitum, propter fi-
dem extollit, quod perierat, indulget. & Gentes olim hospites
& aduenas, ciues & domesticos Dei reddit, ommissis Iudæis, qui
dominorum & hæredum loco erant. Idcirco Capernaum in-
greditur, soloq; verbo domini, seruū etiā absens, sanitati resti-
tuit. Qua curatione peracta, Iudæorum reprobationem: Gen-
tium verò electionem pronunciat.

Euangelium ergo hoc, in quo quadrifaria eaque insignia
præsertim exempla habemus, fidei scilicet, charitatis, orationis
& humilitatis, proponit quatuor.

*Centurionis
erga famulū
amor & pre-
stas.*

2. Reg. 30

*Seruis equa-
litas præ-
standa.*

*Serui humiles
amici.
Anabaptista-
rum error
impis*

I Primò, Centurionis singularem erga famulum amorem,
benevolentiam & pietatem, dum ægrum tanta prosequitur hu-
manitate, vt quasi filium complectatur, nec, vt solent improbi
heri, (quos *οἰσὸπρυς*, id est, sine affectione vocat Apostolus) do-
mo expellit, vt Amalechites Aegyptium seruum, quem tamen
inuentum Dauid, pane & aqua refecit. 2. Reg. 30. Atque ad pu-
blica nosocomia deferri iubet, sed impulsam legis naturæ se-
cutus, distantis vt alteri faceret quod sibi fieri vellet, docen-
tisque seruis (teste Cicerone) æqualitatem præstandam, cisq;
tanquam mercenariis vtendum, domi ipsum fouet, nutrit, & vt
sano eo vsus est in domo, ita ægri curam gerit, medicisque cu-
randum tradit, nihil non humanitatis impendens, intelligens
hoc veri esse domini officium, vt quod æquum & iustum est,
seruis præster. Re ipsa quasi præfagiens, quòd in Christo Iesu
non sit neque seruus, neque liber, Galat. 3. & quod fidelis ser-
uus velut altera anima in pretio sit habendus, Ecclesiastic. 33.
Noluit esse sicut leo in domo sua, Eccles. 4. nimirum visus scilicet
uisse quæ Paulus 1. Timoth. 5. postmodum scripsit: Si quis
suorum, & maximè domesticorum curam non habet, est infi-
deli deterior. Quauis enim fortuna & conditio vilior, domi-
nos à seruis distinxerit: communis tamen vtriusque natura, &
eadem lex diuina. Item monet dominos seruis cõpati, lex capi-
tis ad membra. Cui enim membrorum caput non compati-
tur, & si caput sit? Tertiò ob peccatum, vt ait August. libr. de
ciuitate Dei, cap. 15. Nos autem omnes peccatores sumus,
cur non igitur omnium compatimur? Quartò, quis tam li-
ber, qui tandem seruus esse non possit? Nescis qua ætate He-
cuba seruire cœpit: qua Cresus: qua Darij mater: qua Plato
ipse? Denique seruus bonus amicus est, vt docet August. to-
9. tract. 95. in Ioannem. Nam serui (vt Seneca dicit) humiles
sunt amici, & ideo amicabiliter debent tractari. Non quòd in
Repub. Christiana (vt impij volunt Anabaptistæ) seruorum er-
ga dominos tollenda sit obedientia, cum Paulus in politica
quam

quam vult optimè institutam, eam præcipiat. Ephes. 6. Coll. 3. Serui, inquit, obedite dominis cum timore, tremore, & simplicitate cordis, sicut Christo, non ad oculum seruientes. Vide etiã ad Tit. 2. & 1. Pet. 2.

Capernaum oppidum est Galileæ gentium, nobile emporium. In illud primò venit Christus, quasi ad ostium pulsaturus, qui ibidem gentilem sciebat agrotum. Deinde in maius vrbis ipsius & Iudæorum iudicium: quia cum multa in ea signa ediderit, Gentilis tamen, non autem Iudæus credidit. Quod & illis exprobat Matth. 11. d. Et tu Capernaum (inquit) nonne vsque in cælum exaltata es? &c.

Hic Centurionis cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus. Centurio dicitur qui præest centū peditibus: vnde hunc præsidariū fuisse nõ dubium est, & à Romanis deputatum, hac in vrbe velut Galileæ metropoli egisse, vt præsto esset sedandis seditionibus, & rebellibus compescendis: deinde incursum quoque, si quæ à Persis fierent (quod Romanorum ditioni non subiacerent) statim repellendis adesset, quo tandem pacifica Iudæa Romano redderetur imperio. Hic tamen miles erat, nec proinde reprobus. Nam electionis signa in eo fuerunt. 1. Quod honorificat Sacerdotes. Eccl. 7. quorum tamen facies infideles non erubescunt. Thren. 4. 2. Eos pro se intercedere compellit. Nimirum Leuit. 5. & 17. per ipsos offerre. Et Iaco, 5. ad infirmos accersere iubetur. 3. Agnoscit maiores eos esse omni potentatu temporalis, vt qui arma habeant spiritus, & in dæmones, bellum gerant. Chrys. tom. 1. ho. 4. de verbis Esaiæ: Vidi dominum, &c. Gentilis erat, honorat tamen Iudæos quasi iam Spiritu sancto ad vniuersi dei cultum instinctus: vt & Naaman militiae princeps regis Syriæ. 4. Re. 5. Et Achior, Judith 14. Ex gentilibus enim tres maximè Centuriones commendantur in nouo Testamento. Ille, cuius famulus lecto decumbebat: necnõ is, qui viso terræ motu, cum spiritum Christus edidisset, ait: Verè filius Dei erat iste. Et Cornelius Centurio, à Petro baptizatus. Act. 10.

De Capharnaitide Centurione dicunt seniores Iudæorum: Et ipse synagogam nobis edificauit. Nam licet vnicum esset in Iudæa tēplum, multæ tamen erant Synagogæ: collegia scilicet Sacerdotum, doctorum, eorumque quibus doctrina concedita erat. Pietas igitur huius Gentilis, non minor est ea, qua Cyrus commendatur. Post Deum enim pietas in sacerdotes exhibita laudata fuit, etiam in Gentilibus: Vt in Alexandro (vt refert Iosephus lib. 11. de antiquit. Iud. ca. 8.) qui cum iratus Ioiade, Iudæorum Pontifici, Hierosolymam eũ exercitu accederet, vt Pontificem sacra stola indutum, cum agmine sacerdotum vidit, ex quo exiliens adorauit: non hominem se adorare, sed Deum,

cuius Pontifex esset minister, sciens. Idem Attilæ contigit regi Hunnorum, cum Romam euersurus properaret: occurrentem enim Leonem papam, excepit, & exaudiuit: vt testatur Paulus diaconus, lib. 5. rerum Roman. Contra verò hæretici, hoc ipso suam in Christi ecclesiam furorem aperuerunt: quod primum in sacerdotes seuerent: vt Valens Atrianus in 80. presbyteros, Theodoret. lib. 4. hist. Ecclesiast. ca. 24. Et Methodius in suis reuelationibus prædicit futurum hoc ipsum in diebus vltimis. Quod nunc (proh dolor) per Calvinistas (qui se in Belgia nostra meritò Geuseos, hoc est, ribaldos appellarunt) in magnum religionis Christianæ detrimentum, perpetratum experti sumus.

*Centurionis
fides & obe-
dientia.*

Deinde Centurionis singularem erga Christum fidem & obedientiam declarat. Nam cum intelligeret famuli ægritudinem esse talem, vt humana arte iuvari non posset, non tamen desperat, aut malis artibus remedium quærit, sed concepta in Christum fiducia, cuius mäsuetudo, pietas & misericordia, qua passim non venientes solum admittebat, sed vt venirent inuitabat. Matt. 11. Ipsi iam innotuerat, ac ægretudine famuli per-motus, impellente eum charitate, quæ nunquã otiosa esse potest, sed flet cum flentibus, infirmatur cum infirmantibus: nõ contentus seniores Synagogæ & amicos ad Christum misisse, qui pro ipso deprecarentur, ex nimia sui ipsius deiectione, qua sese Christi colloquio & familiaritate indignum aestimauerat, sumpta tandè ex Christi humanitate fiducia ipsum adit, animi angustiam alterius causa susceptam aperit.

Quòd enim primum non accesserat, humilitatis fuit: vt qui se indignum hac supplicatione indicaret. 1. quia Gentilis erat, Christus Iudæus. 2. quia sanguine & bello gaudebat, Christus verò rex erat pacificus.

*Centurio bo-
nus princeps,
& paterfa-
miliæ.*

Ex his etiam liquefcit, Centurionè cum boni patris familias, tum boni principis officijs optimè perfunctum fuisse. Ad bonum patrem familias pertinet familiam ritè regere, instituire & curare, ei que benè præesse: Principis verò est paci & concordix communitatis studere, cultum, honorem, ac Dei timorem promouere. Ceterum vt cupet plus à subditis amari, quàm timeri. Talem fuisse Centurionem testatur Lucas cap. 7. Præstat enim Salomonem esse, quàm Roboamum.

*Oratio Cen-
tutionis.*

2. Secundò, admirandam ipsius Ceturionis ad Christum habitam orationem proponit, qua famuli ægritudinem & sui ipsius anxietatem, magna animi deiectione ostendit, dicens: *Domine puer meus iacet in domo Paralyticus, & male torquetur.* Captat beneuolentiam dominum eum vocans, remque illi perfacilem quam postulaturus est, declarat, vt qui sit dominus mortis & vitæ. Ecclef. 8. Sap. 16. Ioan. 5. Exod. 15. Dominus nomè illi.

Fideliem

Fidelem quoque ei suam fatetur seruitutem. Personam quoque pro qua intercedit, explicat, puerum suum dicens. Habent autem emphasim, puer, & meus; ut & sibi dilectum, simulque fidelem insinuet. q. d. Mihi iste seruus est, & ego creatori. Ille me super terram, & ego magnum in cælis habeo dominum. Si ergo eius non misereor, quomodo mei miserebitur ille? Origenes homil. 5. in diuersos. Proinde in magnam eius laudem cedit, quod ait illū in domo sua iacere paralyticū, ut satis præmissum est. Species huius morbi perniciosissima est, ut docet Galenus libro 3. de patientibus locis, cap. 10. Estque cum alterum latus, sensum & motum amittit; aut cum omnia corporis membra suo usu destituuntur. Quod addit: & malè torquetur, à sui commiseratione Iesum excitat: q. d. Non possum domine, non molesto ferre animo quæ ille patitur: adeò confidero conquerentem & ciulantem illum, ut mihi ipsi hæc accedite videantur.

Extorsit autem hanc orationem necessitas, quæ efficacissima esse solet occasio conversionis ad Deum: iuxta illud, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Habet hic quod imitetur quisquis aduersitate, & gritudine, inopia, fame, ac paupertate laborat, ut, scilicet, non pedibus, sed fide Christum adeat, in ipsum curam omnem proiciat, iuxta illud Psalmi: Iacta in domino curam tuam, & ipse te enutriet. Id quisquis ex toto corde Deo potius quam suæ industriæ, operi, aut curæ fidens fecerit, is haud dubiè non aliâ erga se Dei experiatur clementiam, quàm Centurio hic expertus est Christum: fit enim ob magnam multorum dissidentiam, qua Deum laboribus suis postponunt, quod vel egestate, vel miseria, vel inedia perire videantur, ut contra præter magnam conscientie quam experiuntur tranquillitatem, felicitatem quoque vitæ præsentis adsequuntur, qui toti à Deo pendent, quærètes primum regnum Dei & iustitiam eius. Matth. 6. Quibus & si aduersi quid accidat, mox cum Centurione ex fide Christum inuocant, & statim audiunt suauissimam illam consolationem: Ego veniam: ego curabo eum. Nulla enim est animæ afflictio, nulla miseria corporis, cui non statim ubi salute expedire iudicauerit, medetur mitissimus Iesus: qui sanat omnes contritos corde, & sanat contritiones eorum. Psalm. 1. 46. Iesus itaque delectatus hominis fide, qua non dubitaret & absenti verbo mederi posse, quo magis notam faceret hominis fiduciam cum summa humilitate coniunctam, respondit per interuentum, dicens, Ego veniam, & curabo eum. Ex quo liquido constat primò, Christum semper maiora dare quàm rogatur. Liberalis enim Deus in donis suis. Iac. 1. qui tribuit abundanter, neque impropertat. 2. Ire pollicetur ut fidem Centurionis palam pro-

Necessitas orationem extorquet.

In aduersitatibus quid faciendum.

Dissidentia quid faciat in hominibus.

Christus semper maiora dat quàm rogatur.

mulgari sinat, qui absentem solo verbo curare potuisse crediderit. 3. vt se facillè succurrendis pauperibus doceret, & personarum acceptionem non esse apud eum ostenderet.

*personarum
acceptores
nobilitate.*

Nam ad filium Reguli (inquit Gregorius) ire noluit, etiam rogatus, ne diuitias honorare videretur: ad seruilem verò personam ne spernere videretur, mox iste consensus. Iesus ibat cum eis, ait Lucas septimo cap. Contra hoc exemplum multi peccant hodie maximè nobilitate, de quibus cõqueritur Innocentius, d. Clamat pauper, & nullus audit, loquitur diues, & quilibet applaudit: hos adhortatur Iacobus 2. cap. d. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens, in veste cãdida: introierit autem & pauper in sordido habitu, &c. Vide item Leui. 19. Deut. 16. Prou. 24. Eccl. 42.

*Humilitas
Centurionis.*

3 Tertiò, Centurionis, quam Christo exhibuit, humilitatem proponit, dum ait: *Domine nõ sum dignus vt intres sub tectum meum, Tantũ dic verbo, & sanabitur puer meus.* Vt Christi maiestatem ita suam indignitatem expendit. Exemplo sit Centurio iste, omnibus militibus humiliter ad Deum accessuris. Igne quippe cœlesti concremantur quinquagenarij illi, qui quõdam ad Heliam 4. Reg. 1. superbè locuti sunt. Discant igitur deum, ministrosque eius vereri. Nouit enim ex lumine rationis Deum esse immensum, quem cœli cœlorum capere non possunt. Ac si dicat. Alienigena ego sum, & gentilis idololatra, effusor sanguinis, & accinctus gladio, sanguinem fundens, & ad prælium exiens, minimus catellus. Edam ergo tantum miculam mensæ filiorum: Indignus enim sum vt intres sub tectum meum. Ita Petrus, vbi Christum rerum cognouit auctorem, exclamauit, Lucæ 5. Exi à me domine, quia homo peccator sum. Dicendo ergo se indignum, præstitit dignum: non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret, ait August. serm. 6. de verbis domini. Humilitate enim, Christi ad nos aduentus procuratur, vt fugatur superbia. Luc. 18. Sic humilis Publicanus iustificatur: Phariseus superbus minimè.

Quando igitur sanctum cibum (ait Origenes Homil. 7. in diuersos) illudque incorruptũ accipis epulum: quãdo vitæ pane, & poculo frueris. Mâducas & bibis corpus & sanguinẽ domini, tunc dominus sub tectũ tuũ ingreditur. Ita ergo humilias remetipsum, imitare hunc Centurionẽ, & dicito: Domine, nõ sum dignus vt intres sub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. 1. Cor. 11.

Sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus. Tu es verbum Patris missum, vt sanes miseros. Vt superiora Centurionis verba humilitatis fuerunt, ita sequetia fidei. Nam quod homini vide-

videbatur impossibile, Dei verbo facillimū esse credidit. Luce 1. quodque per illud sanentur vniuersa. Sap. 16. Hebr. 1. Nimirum ultra corporis tegumen, latētem in Christo videtis diuinitatem, ait B. Hieron.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, &c. A minori ad maius verbo illius omnia præstari posse confirmat. Aded vt habeant singula verba suam vim. Q. d. Ego homo sum tantum, tu verò Deus. Ego sub potestate alterius constitutus sum, nimirū Cæsaris: tu potestati potestas, omnipotens. Habeo sub me milites centū: tu omnes caelestes virtutes, omnē creaturā visibilē & inuisibilē: omnē miserā & felicitatē. Dico huic ē meis militibus, vade, & vadit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Quātō igitur magis, si morbo imperaueris, cedit? Si vt olim Raphaēlē ad cæcitātē Tobīæ curandā: aut Esaiam ad Ezechīæ morbū curādum aut purgandum, ita mādato destines aliquem ad puerū meū sanitati restituendū, mox conualescet. Satis est te dixisse & imperasse, cū sis omnīū dominus. Quæ profectō virtus tanti est à Christo æstimata, siquidē aliarū omnīū virtutum quasi basis sit, vt sibi mētis, & famulo corporis, ex Christi misericordia consequeretur salutem, vt dicit Origenes. Significauit autem hoc miraculo Christus sese verum esse à deo patre orbi datum liberatorem ac seruatorē, qui (quod impossibile erat legi, tum naturæ, tum Mosaicæ, confesse scilicet verā salutem, nimirum peccatorum remissionem, gratiam qua tentationibus resistamus, reconciliationem cum deo) gratis exhiberet, vt iustificati gratis ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Tit. 3.

Liberator at-
que Seruator
orbi datus
Christus.

4. Quartō, Euangelium hoc proponit ipsius Christi præclarum de Centurionis fide testimonium, qui sequentibus se turbis & Apostolis dixit: *Non inueni tantam fidem in Israhel.* Pensata scilicet hominis qualitate (ait Chrysostr. hom. 22. oper. imper. sect. in Matth.) Nec enim Iudæus, sed Gētilis miles erat. Præterea per Israhel non quemuis Iudæum intellige, sed eos tantum qui pro suorum curatione ad dominum conuenerant. Obserua Christum fidem Centurionis charitate in puerum munitam commendasse. Hinc ne dixeris (inquit S. Maximus. libr. 1. de charitate.) quod nuda fides in dominum nostrū Iesum Christum te seruare possit, nisi charitatē quoque in illam per opera possederis. Siquidem nudē credere, nouerunt etiam dæmones, & contremiscunt. Et sicut ignis recordatio corpus non calefacit: sic fides sine charitate non operatur in anima cognitionis illuminationem.

Testimonium
Christi præ-
clarum de fi-
de Cēturionis

Ex quibus intelligimus quā verē dixerit Christus, Ioan. 9. Ego in iudicium veni in mundum, vt qui non vident, videāt: & quī vident, cæci fiant. Horrendum profectō dei iudicium,

*Judæorum ab
ieclio, & vo-
catio gentium
prædicatur.*

quo populum Israëliticum quem vt peculium suum tantis beneficiis ornauerat, nimirum sui cognitione, lege, Prophetis & scripturis, tanta seueritate : iustissimo tamen iudicio, passus est ita excæcari, & obdurari, vt agnitam veritatem, id est, Christū opprimerent, vt meritò hic Centurio homo bellis, rapinis, idolatriæ & auaritiæ quondã deditus, ob animi affectiones (iam enim istis valedixerat, adeoque religionem imbiberat, vt Iudæis synagogã extruxerit) ipsis præponeretur à Christo. Quo haud dubiè significabatur fore, vt gentes fierent ciues Sanctorum, domestici Dei, & gratiæ Dei cohæredes. Ephes. 2. Hoc enim indicat Christus, dum ait : *Dico vobis, multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob. &c. Filij autem regni proiciuntur in tenebras exteriores.* Vide Isa. 2. Ioan. 10. Romanorum 11.

Argumento ab hoc gentili habito, gentium vocationē prædicat. q. d. Prædixerunt vbique Prophetæ gentes saluandas. Ego quoque, in quem conspirant lex & Prophetæ, idem confirmo vobis Iudæis, in vestræ in crudelitaris & duritiei maiorem condemnationem : *Multi* (ait) non omnes, quia non omnium est fides : Et 4. Esdr. 8. Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur : Multi quidem respectu Iudæorum : pauci respectu vniuersorum infidelium & reproborum. *Venient*, non tam gressu corporis, quàm affectu mentis, ab Oriente & Occidente, hoc est ab omni parte terrarum, quas sol ab ortu ad occasum vsq; perlustrat. Quemadmodum regina Austri à finibus terræ venit, vt Salomonis sapientiam audiret. 3. Reg. 8.

Et recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, &c. Id est, eadē fruuntur gloria, qua Abraham, Isaac, & Iacob. Quam gloriam, sumpta metaphora, ab his qui mensæ recumbunt, & lautioribus epulis excipiuntur, subaperit & manifestat, quòd planè fruitio illius gloriæ animam satiabit : Vnde & angelicus cibus nuncupatur. En vt propter viuæ fidei meritam Christus gentibus accessum ad Deum promittat. Ephes. 1. *Filij autem regni eiicientur.* &c. Filij regni sunt Iudæi, vel quia Deus in eis ante regnauit (inquit Hieronymus in Matth.) vel quod regnum Dei esset illis præparatum ; quod magis illos mordebat, ait Chryost. ho. 27. in Matth. Vel quòd Ecclesiæ Dei filij essent, quæ regnum dicitur. Eiicientur in tenebras exteriores. Turpius eiicitur, quã non admittitur hospes. Prædicat ergo dominus his verbis historicis, Iudæos per nationes & regiones varias propter infidelitatem, dispergendos, adeò vt ob earum intemperie, modò igne torridi, modò frigore stridentes passum appareant. Hæc D. Remigius in Matth. Vel tenebræ exteriores dicuntur, quoniam qui à domino expellitur, foras relinquit lumen. Hierony.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Per metaphoram membrorum pennis

pœnas describit tormentorum. Haymo in Euangel. Solent enim oculi præ fumo lachrymas emittere, dentes verò præ nimio frigore stridere. Hinc Iob 24. Trāsibunt ab aquis niuū, ad nimium calorem ignium: quibus supplicia damnatorum intelliguntur, similitudine sumpta à febricitantibus, qui vbi maximo calore exsudarunt extremo frigore palpitare incipiūt. Vide Chrysoft. lib. de reparatione lapsi, de pœnis illis futuris.

Dixit Iesus Centurioni: Vade: quod non rigorē indicat, vt Matt. 4. sed signū est exauditiæ petitionis. Fiat tibi. quæ vox est Deo familiaris, vt qui quæcunque vult, faciat, Sicut credidisti. Fides enim maximum patrocinium est. Et statim sanatus est puer eius ex illa hora. Quoniam in ictu oculi, puncto temporis, & statim operatur Deus.

EPILOGVS.

Cū Dominus docuisset sinceritatem fidei in leproso facillimam esse viam ad salutem, qui Iudæus erat, declarans Iudæis hanc primum oblatā gratiam, Matth. 10. Ita mox in Centurione ostendit ne gentibus quidem esse præclusam, si modo fides adsit Euangelio digna, imò declaratur, quia Iudæi oblatam salutem respuerunt, regnum Christi translatum in ad gentes, quarum primitia fuit Centurio, hoc ipsum etiam prædixit Christus, Matth. 21. *Gentium primitia Centurio.* Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Item Paulus & Barnabas, Act. 13. *vobis oportebat primum loqui verbū Dei, sed quoniam repellitis illud, &c.*

FERIA SEXTA POST CINE-

RVM EPISTOLA.

Hæc dicit Dominus Deus: Clama ne cesses, &c. Finis Epistolæ: quia Isaiæ. 58. misericors sum dominus Deus tuus.

QUIA Isaias Propheta inciderat in mores Iudæorum corruptissimos, iubetur à Deo satyrica oratione ipsos perstringere, ac laudata vera iustitia & virtute, damnat hypocrisim, atque in ipso Propheta omnes verbi Dei ministros instruit, ostenditque non solum fidei Euangelium, omni statui & ordini denuntiandum, sed etiā vniuersis & singulis peccata eorum annuntianda. Prædicat quippe Euangelium pœnitentiam in remissionem peccatorum. Hinc Apost. 1. Corinth. 14. Si omnes prophetetis, ingrediaturq; incredulus vel idiota, coarguitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, atque ita prociðes in faciem suam, adorabit Deū, renuntians quòd Deus reuera in vobis sit.

Pœnitentiam prædicat Euāgelium in remissionē peccatorum.

Agit autem potissimum quinque.

x Primò, Quia legatione fungitur, tanquam Deo exhortare

B 5

per

Verbi Dei
predicatori
necessaria.

per ipsum. verbi minister, necesse esse docet Propheta, vt clamet quasi tuba Stentoria exaltet vocem suam, & annuntiet populo Dei peccata eorum. Sunt autem predicatori verbi Dei in primis necessaria: Dicendi libertas, ne scilicet metu vel amore, veritatem eloqui vereatur. Corripere, ait Apost. coram omnibus, quia auribus graues sunt peccatores omnes, Isa. 6. alioqui, qui non intonat, canis mutus damnabitur, Isa. 56. Ezech. 33. Exiget Deus ab eius manibus animas eorum quæ perierunt: Auctoritas, ne domini maledictioni obnoxius erret, Hierem. 23. Cognitio scripturarum, ne scilicet, cæcus cæco ducatum præstet, & dicat malum bonum, & bonum malum. Isa. 5. Ezech. 3. Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël, &c. Et Pietas, ne in docendo cor à lingua dissentiat. Salutis enim reus existit, qui quod dicit, negligit, August. serm. 3. de verbis dom. Act. 1. Cœpit Iesus facere & docere.

Hæreses &
Schismata
unde excre-
uerint.

Hæc quisquis neglexerit præsidia, pro panacea cicutam offert, vt nostra hæc ætas magno suo experitur damno. Nec enim aliunde tantum excreuerunt hæreses & schismata, quam ex imperitorum hominum magna, pro dolor, temeritate, qua non missi à domino, currunt, Iere. 23. inscitia, qua non intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant. 1. Timot. 1. cupiditate, qua docent quæ ignorant, suo ventri potius quam Christo seruientes, Roma. 16. Philip. 3. & auaritia, qua exæcati adulterant verbum Dei ad gratiam hominum. 2. Corinth. 2. 4. cap.

Proinde quum nulla re magis egeant regiones albæ ad messem, quam fidelibus operariis, rogandus est Dominus messis, vt mittat operarios in messem suam, Matt. 10. Ioan. 4. qui falce verbi Dei hæreses, schismata & scandala ex agro Ecclesiæ colligant.

Ecclesiasta
veri munus.

Secundo docet veri Ecclesiastæ munus esse, non solum vt est Hier. 1. ædificare & plantare, verum prius destruere & euellere ex animis hominum omnem falsam religionem, fidem, doctrinam, atque opinionem, quam leui momento, concipiunt de Deo, iustitia & operibus. Quemadmodum hi Iudæi falsâ superstitione imbuti, ignorantes Dei iustitiam, ita suam volebant statuere, vt Deum quasi iniustitiæ arguerent, quod ipsorum opera videretur negligere, quum non secus ac gens quæ iustitiam faceret, & iudicium Dei sui non dereliqueret, sed simulata quadam pietate, de die in diem Deum quærerent, & scire vias eius vellent: Et quasi fiducia bonæ conscientie freti, rogant iudicia iustitiæ, quasi dicentes: Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Psalm. 25. & appropinquare Deo volunt, quod nemini licet, nisi qui vias impias deseruerit. Est hæc verè hypocritarum iustitia, quæ sine fide

Superstitio
Iudæica.

Iustitia hypo-
critica.
1. Cor. 1.

In Christum constat, qui factus est nobis à Deo patre iustitia, sanctificatio, redemptio, cui nisi & nostra inuitatur iustitia, frustra illi initeremur. Deuia ergo, tam ad dextram, quàm sinistram, vitanda sunt omnia. Alterum est manum mittere ad aratrum, & retrospicere, hoc est, animum despondere, deficere, cessare, &c. Alterum sese extollere, & se coronare. Pij verò dicunt, se inutiles esse seruos. Lucæ 17. Seipsos accusant, Prouerb. 18. Desipit & deuiat, qui cum domino in iudicium ire præsumit, misericordia remota, Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

3 Tertiò, quasi per mimisim ipsorum hypocritarum de suis operibus gloriantium, & Deo quasi oscitantiam exprobrantiũ, proponit quæstiones, dicens: *Quare ieiunauimus, & non affexisti? quare humiliuimus animas nostras, & nescisti?* Quasi dicat: Nunquid (vt est Iob 22.) circa cardines cæli versaris, & humanarũ rerum curam negligis? Sic enim mox iniquè de Deo cogitat caro ebria opinione propriæ sanctimonix: quam frequenter in ijs constituit quæ odit Deus, vt sunt ea quæ fiunt sine fide in Deum: charitate in proximum & misericordia: sola scilicet opinione comparandæ existimationis apud homines, quos perstringit Christus, Luc. 16. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra, &c. Errant autem qui ex hoc loco quæcunque pietatis, fidei, misericordix, obedientix, humilitatis, abstinentiæ, & voluntariæ paupertatis exercitia, libera voluntate suscepta, damnant, quasi quæ eadem sint cum Iudaicis istis operibus. neque enim opera ipsa ieiunij & humilitatis Iudæorum damnat Deus, sed quòd fierent praua intentione, corruptis circumstantiis. Ideò scilicet, quòd in diebus ieiunij, inueniretur voluntas ipsorum plus æquo indulgens libidini, & affectibus suis, auaritiæ, simoniæ, inuidiæ, aliisque vitiis: Omnes debitores repeterent, non quòd debita exigere non liceat, & iustè data repeterere, sed seueritatem reprehendit erga eos qui soluendo non essent. Vide 1. Cor. 6. Quòd ad lites & contentiones ieiunarent, quum seruum Dei non oporteat litigare, sed mansuetum esse, 2. ad Timoth. 2. Quòd denique percuterent pugno impiè, scilicet contra ordinem iuris, contra legem, ex cupiditate vindictæ. Ideò Apostolus non vult Episcopum esse percussorem: nunquam enim concupiscentiam coërcebit, qui manum continere nequit. Probantur ergo hic ea opera bona, quæ fiunt affectu bono, Zachar. 7. reprobantur quæ fiunt prauo, sicut patuit olim in Abel & Cain. Gen. 4. Quare concionator quisque Catholicus debet schismaticos & hereticos sanctas Ecclesiæ disciplinas ridentes, iuxta atque supersticiosos Catholicos hypocriticè ieiunantes

Hypocritarũ mimisim.

Opera non dantur Deus, sed prauam intentionem.

Opera bono affectu facta probantur, & reprobantur prauo affectu facta.

iuuantes & sabbatizantes, acriter arguere, & vtrique suum errorem diligenter indicare.

Animus in ie- 4 Quàrtò, docet qualem velit sibi Deus in ieiunio & pietate animum exhibere, nimirum candidum & syncerum, *Ne ieiuniate candidus* inquit, *ut audiat in excelsis clamor vester*, quem de vobis pau- esse debet & peres quos affligitis ad cælum vsq; efferunt. Eccles. 35. *Vt con-* torqueatis caput, superstitiosè scilicet ieiunio corpus dolore vexantes, ad ostentationem & hypocrisim, non depositis malis animi affectibus: *ut saccum & cinerem sternatis*: neque enim solâ corporis afflictionem quaerit Deus, & humiliationem animæ per iniuriam corporis: sed potius, inquit Hiero. ea facere, quæ præcepit dominus. Atq; idèd, vt ostendat Propheta huiusmodi operum laruas sine fide & vera pietate Deo non placere, interrogat: *An istud vocabitis ieiunium & diem acceptabile domino?* quo scilicet paratus sit audiendis orationibus vestris. Quasi dicat minimè. Sicut non delectatur victimarum nidoribus, oblationibus ex iniquo, ita nec huiusmodi prodigiosis ieiunijs: Placet tamen abstinentia coniuncta fidei & charitati. hoc enim

Abstinentia fidei & charitati cõiuncta est quod ait placet.

1 *Solue colligationes impietatis*, id est, iniquas cautiones, quibus per calumniam opprimitis pauperes.

2 *Solue fasciculos deprimentes*, id est, syngraphas vsurarias, alioqui licet iusta reperere: hæc Hieron.

3 *Dimitte eos qui constricti sunt liberos*, quos scilicet iniquis exactionibus in carceribus & ergastulis detinetis.

4 *Omne onus dirumpet*, quo pauperes deprimitis, Iac. 5. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos? &c. Iubet ergo Prophe-

Iustitia per- ta, ex charitate quemlibet proximo condonare quamcunque *fecta, declina* querelam: atque adèd omnia iniqua pacta rescindere. Neque *re à malo &* verò hæc sufficere ad perfectam iustitiam iudicauit Prophe- *facere bonũ.* ta, quæ Deo placere possent, quũ de proprio quoq; iubet elargiri egentibus. Dicit nanq; Psal. Declina à malo, & fac bonũ.

Ideoq; addit, *Frangere esurienti panem tuum, Egenos vagosque induc in domum tuam. Quum videris nulum, operi eum: Carnem tuam*, id est, secundum Septuaginta, domesticos seminis tui, *ne despexeris*. Idèd vides nobis præscribi, Matth. 25.

Opera bona penitentiæ meritoria & iustificatoria.

5 Quintò contra nostri tēporis errores quasi præfagio quodam spiritus sancti impulsus, vnicò ariete deicit insaniam eorum, qui bonis operibus omne meritum adimere nituntur, docens quomodo iustitia nostra ex operibus esse potest, & nõ ex fide tantum. Promittit enim peccatoribus, si qualia præscripsit, opera fecerint, *Quòd erumpet quasi mane lumen ipsorum*: illud scilicet, de quo Zachar. 4. vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ. *Quòd sanitas citius orietur*. Psal. 6. Sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. *Quòd anteibit faciem*

eorum iustitia, & gloria domini colliget eos. Quatuor operum bonorum præcedentium speciebus, annexit quatuor species præriorum.

Ergo qui est in tenebris peccatorum, exhibeat opera pietatis, ad quæ scilicet præuenientis gratiæ auxilium eum impulerit, quæ præparabunt peccatorem ad peccatorum remissionem consequendam: Quando enim huiusmodi opera sunt sine charitate, præparatoria tantum sunt: nam quod primò ipsi peccatori exoritur lumen, è prima qua præuenitur gratia fit; quòd autè sunt à iustificato, tunc vimen, hoc est, incrementum gratiæ, ut videre licet apud Cyprian. serm. de elemosy. & Augustinum, *Tribus mundamur.* libr. 1. contra Cresc. grammaticum: ubi eleganter docet nos mundari. 1. Verbo veritatis ab illo qui dixit, Ioan. 15. Iam vos mundi estis propter sermonem, &c. 2. Sacrificio contriti cordis. Plal. 50. Sacrificium Deo Spiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatum. 3. Eleemosyna, ab illo qui ait: Date elemosynam, quod superest, & ecce omnia munda sunt vobis: non quòd dicamus his operibus mereri quenquam reconciliationem, absit enim hoc: sed, ut est apud August. præparamur ambiendo gratuitam Dei misericordiam, neque enim pugnant gratuita Dei misericordia, & nostra præparatio: quia illa præparatio est gratiæ Dei nos præuenientis. Vide Ibr. 13. Confess. cap. 17.

Sic ergo in statu iustitiæ affectis maiora adhuc sollicitetur Deus, nempe, Exauditurum se dum inuocabimus, & c. *Premia iustorum.* manentibus se dicturum, Ecce adsum. Ea enim Dei est misericordia erga sperantes in eum, ut deserat nunquam. De his premiis habes, Ioann. 12. Qui mihi ministrat, honorificabit eum pater meus caelestis. Item Matth. 19. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, &c. Iterum, Ioan. 16. Quicquid petieritis, accipietis, &c.

E P I L O G V S.

Dominus Deus dixit per Prophetam, se ieiunia, sabbatorum solennitates, *Observation-* & hoc genus caremoniarum & castigationis, contemnere, nisi declinemus à *culas & que* malo, & faciamus bonum: Reges, principes, duces, comites, equites, cõsules, *monias ex* patricij, negotiatores, usurarij, imò etiam quicumque episcopi & pralati, *nas citra ve-* (qui caremonis Ecclesia oblectantur, qui que sese frequenter castigant, sed *ram pietatem* subdititijs superbissimè & inclementer dominantur, ac in carne eorum glo- *contemnit* riantur) lectionem hanc diuinam ritè excusiat: Ecclesia pia & sedula ma- *Deus.* ter, misera plebs, & pauperum curam præcipuè agens, non abs te lectione *hanc in his ieiuniorum sacris initijs legendam statuit.*

FERIA

Matt. 5. et 6. Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c. Finis Euangelij: & pater tuus qui vidit in abscondito: reddet tibi.

CHRI^STIANAM hic charitatem Christus depingit. quæ inimicos vt amicos amplectatur, quæ otiosa non sit, sed effundendis elemosynis implicetur: Faciunda ergo elemosynæ qualitatē, circumstantiæ & charitatis vtriusq; tam ad indignos quàm inimicos præstabit. Tota igitur eius fuit intentio prauam antiquorum interpretationem rescindere, & veram charitatem describere. Quoniam scilicet Deus charitas est, & qui diligit proximum, legem impleuit. 1. Corint. 13. Maior quoque omnium est charitas, imò mater, & fons omnium bonorum: aded̄t ex omnibus præceptis, non aliud plura complectatur, quàm charitas erga Deum & proximum. Quemadmodum enim cemento mediante, lapis ad lapidem in corporali ædificio cōstringitur (ait Chrys. hom. 7. in Matt.) sic in ædificio ecclesiæ, Christianus ad Christianum mediante charitate cōnectitur. Imò dicā, vice neruorum esse in Ecclesiæ corporis: columnarum, in structura: scalæ, in ascēsu. Huius virtutis iuces & præceptores habemus cum Deum patrem, tum Christum, quos imitati debemus.

Legis veteris imperfectio.

Euangelio ergo hoc, quo etiam ostenditur Christianorum iustitiā nedum Ethnicorum, sed etiā Iudæorum, longè excellentē debere, Christus docet tria. 1. Primò docet imperfectiōnem veteris legis, quæ tantum iram operabatur, dum auget prohibitionē peccati, Rom. 7. propter transgressionē posita est, dum metu pœnæ abstinēt à vitiis, & subintravit vt abundaret delictum. Rom. 5. peccatum demonstrabat, dum per eam cognitio peccati est, non deletio, Rom. 3. neminē ad perfectū adduxit, dum pædagogus tantum fuit ad Christum, vmbra habens futurorum bonorum, nō ipsam imaginē rerum, Gal. 3. Hebr. 10. Hęc tamen sancta, iusta, & bona, sed ijs qui legitime ea vtuntur, quanquam iustis non sit posita, sed iniustis, peccatoribus, plagiariis, homicidis, impiis & sceleratis. Nam iusti, vt Abraham, Isaac, Iacob, Daniel, ceterique patres, nō timore, vt ancillæ filij, sed amore, vt liberæ filij, legi seruibant, quum habuerint spiritum, non huius mundi, qui inimicos Dei cōstituit, sed qui ex Deo est, quo non amicos tantum diligebant, sed etiā inimicos, vt Ioseph fratres suos, Gen. 45. Dauid Absolon, Semei, & Saul. 1. Reg. 18. 24. 26. 2. Re. 16. Et Moses Mariā sororē, illum ridentē, Numer. 12. Item Exod. 32. Sed hoc ipsum

ipsum non lex naturæ tantum suadet, sed etiam Mosaica lex
talem dilectionem nobis commendat, Deut. 24. Et Exod. 23.
legimus asinum odientis se iacentem, subleuandum esse. Itē
Leuit. 19. habetur meminisse non oportere iniuriarum conci-
uium. Repetitur lex hæc Matth. 22. Rom. 12. & 13.

*Lex Mosaica
dilectionem
proximi no-
bis commen-
dat.*

2. Secundò, docet Christus legis Euāgelicæ perfectionē, quæ
consistit in dilectione inimicorū, beneficio eorū qui nos ode-
runt, & oratione pro persequentibus & calumniantibus nos.
Quum dicit: *Ego autem*. quem Esa. cap. 5. sic loquentē inducit:
Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia
ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. Ego igitur, qui sum noui
Testamenti legifer, quem Moses vt se audiendum prædixit,
Deu. 32. Ego finis legis, Ro. 10. quæ pater nuper in baptis-
mate auscultandū designauit. Matt. 5. *Dico*, cuius dicere est imperare,
cuius verba veritas sunt: nec enim Deus est, vt filius hominis,
vt mentiatur, Num. 23. *Vobis*, vtiq; qui melioris perfectionis
apicem scandere debetis, cum & ampliorem ego vobis, quàm
Moses, proponā mercedem. Vobis (inquam) qui meam & do-
ctrinam & conuersationē sectari debetis, vt quemadmodū ego
feci & docui, ita & vos faciatis. Ioan. 13. *Diligite inimicos vestros*.
Non ait: diligite inimicos meos, quia quo quis inimicus Dei
est, etiā odiendus est. Est autē inimicus nō per naturā, sed per
contrariā voluntatē, vt docet Aug. li. 12. de ciuit. Dei. c. 3. Nec
enim in natura est malū, ait Dionys. li. de diuin. no. ca. 4. Pro-
inde nec homo aut diabolus malus est natura, sed voluntate,
ait Cyrill. Hierosol. Sed neq; ait: eximite à pœnis. Potest enim
inimicus iniuriis aut lege polytica, aut Ecclesiastica plecti, absq;
charitatis iniuria. Habet enim D. Ambr. 1. Offic. Nō miseren-
dum latronis, etiā si lachrymæ deprecantiū cogere iudicē vi-
deantur, sed proferendā sententiam: cum alioquin displicuerit
Saul misericors in Amalechit, 1. Reg. 15. Charitas ergo Chri-
stiana nō vetat iudicē legibus vti in noxios. Habet quippe præ-
ceptum, Exod. 22. Maleficos nō patieris viuere. Nō enim præ-
cepta Euāgelica (ait Aug. lib. 2. contra epist. Parmen.) de dile-
ctione inimicorum, & misericordia impendēda proximis, ea-
tenus intelligenda sunt, vt peccati relaxetur impunitas: sed vt
delinquenti correctio, & naturæ ministretur subsidium, donec
per sententiam iudicis, adempta spe correctionis, malorum
tollatur exercitium. Imò per iudices occisionē licitam, & per
milites, docet August. epistol. ad Publicolam. Phinees quippe,
Num. 25. Moses quoq; Exod. 2. & 32. eadem commendarunt
suis exemplis: sed inimicorum Dei & legum. Nec errat imò
piè facit, pater filium castigans. Porro charitatē quam ad ini-
micos & qualem habuerint Christiani illi primi pulchrè tra-
ctat Tertullianus cap. 37. Apolog. libr. 2.

Bene-

Benefacite his qui oderunt vos. Ioseph Patriarcham fratres eius oderant : qui tamen tempore penuriae frumentariae benefecit illis. Gen. 45. Dauid autem quoties Saul & pepercit, & benefecit, omnibusque inimicis? *Quamobrem etiam Christi figuram gessisse dicitur.* Nec enim otiosa est charitas, 1. Cor. 13. Unde in beneficentiam exierit. Imò benefaciendo vincitur inimicus, ut liquet ex Pauli verbis. Rom. 12. Si esurit inimicus tuus, ciba illum, &c. & carbones ignis congeres super caput eius. Sic Dauid Saulem dicere coegit: Iustior me es. 1. Reg. 26. Sic Christiani tyrannos eorum mores probare impulerunt. Hieron. 1. parte Epist. tract. 2. epist. 25. contra Pelagianorum haesim. Beneficere inimicis dicit, in correctionem & resurrectionem, ut odij igne, beneficiis superato, & excocto charitatis frigore, inimicus esse desistat. Beneficentiam in inimicos Christiani, Iuliani tempore commendarunt. Vide apud Euseb. Ecclesiast. hist. lib. 9. cap. 8. Et in hist. Tripart. lib. 6. cap. 29.

Cæterum Chrysostomus homil. 16. in Matth. Nouem gradus charitatis ex Euangelio colligit: Primus, non prius lædere. 2. Non amplius referre, quam quod à lædente sustinetur. 3. Ne læsi eadem referamus. 4. Inimicis nos ad iniuriam sustinendum offeramus. 5. Imò ad maiorem, quam ille qui nos persequitur, velit. 6. Nec tamen eum oderimus. 7. Imò diligamus. 8. Illi benefaciamus. 9. Pro eo Deum deprecemur. Sicut sequitur.

Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Sic Dauid Psal. 118. Pro eo ut me diligenter (inquit) detrahebant mihi: ego autem orabam. Moses orauit pro Maria sorore sua prius eum calumniante, Numer. 12. Et sapissimè pro populo, persequente eum. Et hinc Christi sanguis melius clamat quam Abel. Hebr. 11. quòd Christus pro inimicis orauit, dicens: Pater, dimitte illis, Matth. 26. Stephanus quoque eum imitatus cum lapidaretur, exclamabat: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Unde Christus Iacobum & Ioannem inceptauit, quòd non recipientibus eum Samaritanis, dicebant: Vis iubeamus ut ignis descendat de caelo, & comburat istos? Ad quos Christus: Ne scitis (ait) cuius spiritus estis? &c.

Ut sitis filij Patris vestri qui in caelis est. Erimus autem, si filium naturalem patris Christum imitemur. Is enim perfectæ charitatis typus est. Nam per sanguinem eius reconciliati sumus, cum essemus inimici: adeò ut pro inimicis mortuus sit: pro se crucifigentibus orarit: inimicos etiam suos post passionem ad salutem & fidem per Apostolos inuitarit. Potuit ne maius pignus dare, quam pro nobis mala nostra sufferere: Ideo Chryf. Homil. 1. in Epist. ad Philippen. ait: Non adeò diuitem filios agnosci in torque, quem semper in collo circumferunt, quam

Dei

Dei filios charitate. Idem Augustinus 15. de Trinit. cap. 18. confirmat. Summatim, hoc dicto Christus quasi ex opposito filiorum diaboli, statuit filios Dei: quod diaboli filij sanguine & liuore gaudeant: sicut & inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarū. Sapient. 2. Homicidiis quoq; exultent, cum diabolus sit homicida ab initio, sicq; opera patris perficere velint.

Probat infidelium exemplo, perfectionis non esse diligentes diligere, sed inimicos: & proinde cum charitate probentur electi, debere magis abundare in opere, vt & abundantiores sint in retributione. Imò ab Ethnicis etiā discamus parcere quandoque inimicis, nec eos persequi, ne te in vitæ dispendium iniicias. Quod faceto apologo Aesopus ostendit: lupum dicens parum sibi profuisse, quod vulpem apud leonem ægrum accusarit. Vulpes enim reuersa, medicum se cōsuluisse dixit, Qui iubet leonem calidam lupi pellem indui. Nimirū idem aliquando euenit his qui de inimicis vindictam sumere volunt, quod asino, leonem gallicantu terrefactum, persequenti, & tandem ab eo deuorato. Siquidem cum igni oleum infundere, & furem inimicum persequi, non autē illi condonare volunt, periculum mortis incurrunt.

Quæ licet iuxta Augustin. libr. de spiritu & litera, sint difficiliora quàm vt à nobis in statu naturæ corruptæ impleri possint, præcepta sunt tamē propter auxilium gratiæ, quæ diffunditur in cordibus nostris, non per naturam, quia illa nos filios iræ constituit ex vitio primi parentis, Ephes. 2. neque per legem, quia hæc terrendo & iubendo, quod sine gratia impleri non potest, homini tantum demonstrat suam infirmitatem, vt quærat demonstrata infirmitas saluatorem; sed per spiritum gratiæ: quò fit, vt simus legis nō auditores tantum, sed factores, diligentes inimicos, non reddentes malum pro malo: sed econtrario, benedicentes, quia sicut est voluntas Dei, vt benefaciendo obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam, & carbones ignis congerendo super caput ipsorum, vt Stephanus, Act. 7. Paulus, Rom. 9. David: eo tamen iudicio, vt naturam in eis non vitia diligamus. Nam David iniquos *Psal. 118.* odio habuit, diligētes amicos, sed ita vt potiora quæ in eis sunt, nobis sint chariora, vt anima præferatur bonis externis, & fama fortunæ præferatur. Et per spiritum adoptionis, per quem efficiamur hæredes Dei & cohæredes Christi, qui nos inimicos sibi reconciliauit, Ro. 5. Pro impiis mortuus est, vt nos offerret Deo, mortificatos quidē carne, quod baptismo & vero vsu sacramentorum incipit hic, & perficitur in morte, viuificatos autem spiritu: nam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, sed spes salui facti sumus. Qui benefecit iis qui oderunt eum gratis: nam pertransiuit benefaciendo & sanando omnes

Gratia Dei
possibilia om-
nia.

Perfectio in-
stituta Chri-
stiana, &
quid ef-
ficiat.

oppressos, quoniam Deus erat in eo, Act. 10. Qui orauit pro persequentibus dum in cruce pendens dixit: Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt, Luc. 23. Hæc ergo lex de inimico diligendo nobis per gratiam Dei facta est ad præstandum facili. Hinc dominus ait Matth. 11. onus suum esse leue. Ioannes quoque dicit 1. cap. 5. Mandata Dei grauiam non sunt.

3 Tertio, Christus docet perfectionem iustitiæ Christianæ, quæ efficit ut simus filij patris cælestis. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus. 1. Ioã. 3. Non ex voluntate carnis aut voluntate viri, Ioan. 1. sed ex Deo nati. Voluntariè enim genuit nos verbo virtutis suæ, ut simus initium aliquod creaturæ eius, Iac. 1. id est, diuinæ confortes naturæ, si tamen fugimus eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. 2. Pet. 1. Nam quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo. Quæ cum non secus ac leuis quædam umbra transeant, fit ut suos cultores prorsus dimittant sine vlla consolatione. Efficit quoque ut simus perfecti, sicut pater noster cælestis perfectus est, non perfectione naturæ, quæ nulli mortali contigit vnquam, ac ne angelis quidem, sed perfectione gratiæ secundum mensuram donationis Christi pro conditione vitæ præsentis.

Estote perfecti, &c. Conclusio est præcedentium. Primo enim perfecti esse debemus in charitate Dei & proximi, ut habet glossa 2. (*sicut.*) imitationem dicit non æqualitatem. 3. *Pater vester*, ait, ut qui eos creauit, fouerit, & æternæ hæreditatis per filium participes redditurus sit. 4. *Cælestis*, addit ad carnalium & terrenorum differentiam, quos si sequamur aliquando erremus, quod peccatores sint. vide S. Thom. Aquin. in Matth. cap. 5. de perfectione duplici.

Misericordia
Dei patris et
ga nos sum-
ma.

Qui solem suum oriri facit super bonos & malos: Quia summa eius misericordia conseruat bonos ne excidant à iustitia. Iustus enim si ceciderit, non colliditur, quia dominus supponit manū suam. Psalm. 36. & inuitat malos ad pœnitentiam. Roman. 2. An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiā te inuitat? nolens mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & viuat. Ezechielis 18.

Imò quandoque etiam peccata dissimulat & condonat: ut pulchrè docet Seneca lib. 6. de beneficiis, cap. 21. More optimorum parentum (inquit) qui maledictis suorum infantium arident, non cessant diu beneficia, congerere de beneficiorum auctore dubitātibus, sed æquali tenore bona sua per gentes populosq; distribuunt: pluuiæ quoq; & Solis nomine omnia ferè bona temporalia concludit. Pluuiis enim irrigantur plantæ Sole excitantur, & vi sua donantur. Sol omnia latificat. Job. 4.

Purgat

Purgat & lustrat omnia. His quoque duobus spiritualia bona intelligi possunt, vt docet Lactantius lib. 5. diuinar. iustit. cap. 15. Per solem gratiæ: lux illuminans omnem hominem. Per pluuiam donationes Spiritus sancti, vt apud Psal. 67. pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ: Sic prophetiæ donum, etiam Balaam, Num. 24. & Caiphæ indulgit, Ioan. 12. Vnde, Dei exemplo, nec hominum malitia prætexeda est, quin in necessitatibus eis subueniamus. Dilectionem hanc mutuam & beneficentiam probat August. epist. 52. ad Macedonium, & lib. de cath. rudibus, cap. 26. adferens id Eccles. 13. Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi. Hac sola naturæ habita ratione Aristoteles, homini etiam impuro eleemosynam fecit: & cum id factum argueretur, misertus sum humanitatem, ait, non iniquitatem, vt docet Diogen. Laërtius, lib. 9. de vita Philosophorum.

Ex illius igitur fauore, qui hanc perfectionem fuerit consecutus, vt inimicos diligit, benefacit iis qui oderunt eum, orat pro persequentibus & calumniantibus: denique filius Dei nominetur & sit; caueat ne coram hominibus iusticiam suam faciat, aut tuba canat sicut hypocrita, caueat etiam ne popularis auræ fauore captus spe immortalitatis illius, & immarcescibilis gloriæ excidat. Nam Saluator dicit: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Iustitia hypocritica fugienda.

Receperunt mercedem nō Dei, sed suam (ait Hieron.) Laudati enim sunt ab hominibus, quorum causa exercuerunt virtutes. Hinc Chrysof. hom. 19. in Matth. Quid enim accipies (inquit) qui nihil Deo dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur & ab eo recipitur. Quod autem propter homines fit, in ventum effunditur.

Eleemosyna n ergo facere iubemur, sed non ad iactantiam & ambitionem, sed ad proximi releuationem, ad Ecclesiæ ædificationem, & ad gloriam Dei. Quod si sincero affectu eleemosynam fecerimus, maxima nos præmia manere hic audiui- mus. Aeterna præmia eleemosynæ occultæ hic promittuntur, tunc palam donanda. In manifesto, ait, reddet tibi pater, idem est, quod cum magna gloria.

Eleemosyna commendatio

Reddet verò Deus pro eleemosyna multiplicia bona. Primò temporalia in præsentem. Prou. 28. Qui dat pauperi, non indigebit. Iterum ibidem: Qui despicit deprecantē, sustinebit miseriam. Et Luc. 6. Date, & dabitur vobis. 2. Gratiæ: Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. 3. In futuro vitam æternam, Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Premia eleemosynæ.

Tanta præmia eleemosynæ promissa, si quis probè secum reputauerit, statim omnia sua vendet, vt auctionem in cælo eam omnem decuplò sibi promissam faciat. Pauperes item, de quibus tanta sibi paruo redimere possit præmio, tanquam seipsum diliget. De huiusmodi præmiis vide Matth. 10. Luca 16. 2. Corinth. 9.

Eleemosyna fructus charitatis præcipuus.

Eleemosyna dicitur à miseratione, & fructus est præcipuus charitatis. Non est igitur eleemosyna, quòd pleriq; nihil dant miseris, nisi iam vitiatum, corruptum & putrefactum. Sunt & qui dant saltem ijs, quibus ratione mercedis hoc ipsum quod debent, parcè & illiberaliter dant, quæ largitio etiam mercedis gratiam perdit, nedum non eleemosynæ nomè meretur. Merces operarij non morabitur (vt Moyses ait Leuitic. 19.) apud te vsque mane. Exempla & encomia veræ eleemosynæ vide Danielis 4. Tobix 4. & 12. Act. 10.

EPILOGVS.

Charitas sese extendit ad omnes.

Præfens lectio charitatem nobis commendat, non modò erga fratres & propinquos, verum etiam erga extraneos quoslibet exercitandam: Et quod charitatis præcipuus fructus eleemosyna, quæ tamen sit citra omnem ambitionem & gloriam vanam. Beatus qui hac intelligit, atque præstat. Sine hac perfectione filij Dei patris esse nequaquam poterimus, regniq; eius participes. Nisi enim abundauerit iustitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabimus in regnum calorum. Matth. 5.

SABBATO POST CINE-
RVMEPISTOLA.

Esaia 58.

Hac dicit Dominus Deus: Si abstuleris de medio tui catenam: & defieris digitum extendere, &c. Finis Epistolæ: Os enim Domini locutum est.

CONCIONATUR hac Epistola Propheta de beneficiis quæ pœnitentibus à Deo sunt parata, si tamen in statu iustitiæ perseuerent. Agit autem potissimum quatuor.

A quibus abstinendum si iustitiã parare voluerimus.

I Primò, A quibus ad iustitiam veram parandam, sit abstinendum, dum ait: Si abstuleris de medio tui catenam, id est, si deposueris omne pondus, & circumstans peccatum (Heb. 12.) scilicet fraudulentarum cautionum, contractuum, technarum quæ quibus opprimere miseros soles, atq; adeò funes omnes quibus constringeris: Si defieris extendere digitum tuum, vt scilicet non solum ipse malum nō facias, sed ne communices aliorum peccatis, consensu, quæ digiti extensione indicare solebant Iudæi. Si loqui quod non prodest, scilicet defieris: quia corrumpunt bonos mores colloquia praua, & de omni verbo otioso reddenda ratio erit, Matth. 12. idcirco ab ijs abstinendum, nō solum quæ nocent,

nocent, sed etiam quæ non profunt, vt sunt temeraria de proximo iudicia, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas ad rem non pertinens, Ephes. 5. Quia enim hæc sunt in omni vita perniciofa, ijs tamen maximè qui ad æternæ vitæ perfectionem anhelant, obfunt, proprij peccati conscientia, aliena peccata promouere, quum possis impedire, & dei odium vel contemptus, hæc enim metaphorica phrasi significare voluisse Propheta videtur.

Sed quo modo ille naturæ videtur tribuere, quod impossibile omnes vbique scripturæ testantur? vt sunt illæ, Ierem. 10. Scio, domine, quia non est hominis via eius, nec viri, vt ambulat in ea. Item Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Iterum Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Est enim adeò debilis & infirma natura post lapsum effecta, vt irretire sese peccati vinculis possit, non autem expèdite, nisi gratia præueniatur. Sed voluntatis atq; arbitrij libertas ostèditur, & sui quasi admonetur officij. Eo ipso enim quo præcipit vt aut sapiamus, aut catenam peccati abiciamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio: quod quia non potest sine gratuito Dei adiutorio perficere, docetur confugere ad gratiã & dicere: Da mihi intellectum, vt discam mandata tua, Psalm. 118. Augustinus Epist. 46.

Voluntatis & arbitrij libertas.

2. Secundò, Ostendit quid ad iustitiæ conseruationem sit agendum. Neque enim satis est ad iustitiæ perfectionem, recedere à malo, Psalm. 33. Ideò vtranque iustitiæ partem complectitur. Commendat autem potissimum ipsa opera misericordiz quæ enumerat Christus, Marth. 25. 1. Pascere esurientem. 2. Vestire nudum. 3. Visitare infirmum. 4. Colligere hospitem. 5. Captiuos visitare. 6. Sities potare. 7. Sepelire defunctum. Quæ pulchrè duabus partibus complectitur propheta, dicens: *Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris*, hoc est, vt loquitur Apostolus 2. Cor. 9. Si non ex tristitia aut necessitate, sed ex animo tribueris, vt magis videaris beneficium accipere quàm dare: hilarem enim datorem diligit Deus. Siquidem in paupere liberalitas est Paulo benedictio, parsimonia verò ei auaritia est, 2. Corinth. 9. Quare qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Quid agendū sit ad iustitiæ conseruationē.

Opera misericordiz paucis complectimur.

Est enim tanta Dei Opt. Max. liberalitas & munificentia, vt rependat pro paruis magna, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna: adeò vt ne calicem aquæ frigidæ sinat irremuneratum. Matth. 10. Magna enim vis est eleemosynæ, quæ peccata redimit, Daniel. 4. omnia mūdāt, Luc. 11. & 12. à morte liberat, Tob. 12. Non quòd per se eleemosyna ad mundationē

Liberalitas & munificentia Dei.

Eleemosynæ vis.

sufficiat, quomodo principaliter opus sit misericordia Dei & sanguine Christi, in quo & alicrum omnium redēptionem habemus, si dignos pœnitentiæ fructus fecerimus, Basilius in regulis contractioribus.

Premia à vi-
rijs ad virtut-
es redeuntiu.

3. Tertiò, Amplissima proponit premia ijs qui non ex tristitia aut necessitate à vitijs ad virtutes redierint: quanquam non omnino mali sint qui ex spiritu timoris eleemosynas dāt, gratiores sunt tamen illæ quæ ex charitate procedunt, si tamē non fiant ex rapina, fraude, vsuris, & dolis. Offerentis enim ex iniquo oblatio immunda est, vt & illius sacrificiū qui de substantia pauperis offert, quasi qui excerebret canem, Isa. 66.

At qui quis suam effuderit animam, scilicet, de sua substantia fecerit eleemosynam, huic orietur in tenebris lux, illa scilicet, quæ illuminat omnem hominem, Iohan. 1. Tenebræ erūt sicut meridies, id est, si fuerint peccata sicut coccinum, velut nix, dealbabuntur in sanguine agni, Isa. 1. Apoca. 14. Per Christum enim, qui est lux in tenebris peccatorum & ignorantiae lucens, continget peccati remissio, ablutio, iustificatio, sanctificatio, redemptio: plenius autem dum corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale immortalitatem, & dum qui videmus per speculum in ænigmate, videbimus facie ad faciē gloriam domini, 1. Corint. 13. 1. Corint. 13. Alludit enim Propheeta ad gloriam illam futuræ immortalitatis, qua fulgebunt iusti sicut sol in conspectu patris, Matth. 13. dum absterget omnem lacrymam ab oculis, vt mors, luctus, clamor & dolor amplius non sint, sed iustitia, pax, gaudium in Spiritu sancto, quū Deus erit omnia in omnibus, Apoc. 21.

Promissio spi-
ritualis.

Neque hæc ad hanc vitam perfectè pertinent, sicut nec ea quæ subijcit Propheeta, dicens: *Requiem dabit tibi Dominus*, quam ignorant ii, quorum cor quasi mare feruet. vt dicas: *Benedic anima mea domino*, qui replet in bonis desiderium tuum, Psalm. 102. *Implebit splendoribus animam tuam*, id est, abolitis peccati maculis, luce Euangelij qua agnoscas te pacem habere cū Deo, perfundet, Roma. 5. *Ossa tua liberabit*, id est, corpus quod corrumpitur immortalitatis gloria vestiet, iuxta illud: *Scimus si terrestris nostra domus huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*, 2. Corint. 5. Psalm. 33. *Eris quasi hortus irriguus cuius non deficient aqua*. Sempet enim corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, vt nunquam perfecta sit hęc quies, dum animus secum ipse dissidet, dum caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem concupiscit, nec antè plena fiet liberatio, quam mortale hoc induerit immortalitatem.

4. Quartò, Quia paucis ea est fidei constantia, vt exactè ad cælestia

caelestia illa tantum animum erigere possint: idcirco & temporalium bonorum promissionem demulcet Propheta, scilicet *Promissio temporalis.* nominis & famæ celebritate apud posteritatem consequenda. Aestimauerunt enim sancti magni beneficij loco, famæ bonum Ecclesiastes 7. Huc enim spectare videntur Prophetæ phrasæ metaphoricæ è re rustica petitæ: *Vocaberis edificator septuaginta annorum, Fundamenta generationis & generationis suscitabis. Vocabitur in te edificator septuaginta annorum, Conuertentes semitam in quietem.* Sublimiora hæc videntur quam quæ iustis in hac vita conuenire possint. Videtur enim (quod Prophetis familiare est) Christo potius, quam alteri cuiquam conuenire, qui collapsa naturæ & Mosis lege, novam & Euangelicam ædificatam sèpem attulit, quæ continet ne à feris diripiamur, quam & perpetuam esse voluit, quæ & semitas conuertit in quietem, dum humana corda malo dæmoni peruia, data peccatorum remissione, iustificat: *Si auerteris à sabbato pedem tuum, ne scilicet proprios sequaris affectus, & quiescas ab eis quæ Deo displicent: Nec feceris voluntatem tuam in die sancto meo.* Hoc enim est propriè sabbatum sanctificare, seipsum abnegare, & propria relicta, Dei in omnibus sequi voluntatem, Luc. 10. Quibus verbis ostendit, non satis esse iustitiæ viam iam ingressum esse, sed oportere persistere. Nec enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit: Hoc enim est quod ait Propheta: *Tunc delectaberis super dominum, quia scilicet, dabit tibi petitiones cordis tui, vt eum facie ad faciem videas: Sustollam te super altitudinem terræ, id est, ablata corporis corruptione illam viuentium terram, quam mires possidebunt cõcedam, Matth. 5. Psalm. 36. Cibabo te hereditate Iacob patris tui, qui victor vitiorum æternitatē est consecutus, eam & tibi cõcedam, si fortiter contra spiritualia nequitia depugnaueris. Hæc summa est pijs omnibus consolatio, qua erigere sese contra omnes aduersitates (quibus concidere faciliè solet animus) possunt: dum intelligunt, id quod leue est & momentaneum tribulationis, æternum gloriæ pondus operari, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. 2. Corinth. 4. Heb. 12. Itā. 6.*

EPILOGVS.

Euangelicus Propheta Isaias lectione præsentis dehortatus atque detestatus est hypocrisim humanorum operum, monuitque Christianam iustitiam amplectendam, quæ est declinare malum, & facere bonum, cui promittitur quum temporalem, tum æternam mercedem subsequaturam. Os enim domini locutum est.

Iustitia Christiana est declinare malum & facere bonum.

SABBATO POST CINERVM

EVANGELIYM.

Matt. 14.

Marc. 6.

Et cum serò esset, erat naus in medio mari, & ipse solus in terra, &c.
Finis Euangelij: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Basanizomeni sunt omnes Christiani in hoc mundo.

EVANGELIYM hoc, in quo de tentationis nocte agitur, admonet nos esse basanizomenos, hoc est, eos qui sunt ærumnosi, & laboriosi, talesque perpetuò maneremus, si dominus nos nesciret: quia vana salus hominis. Dominus autè illuminationis nostra, & salus nostra, dominus protector vitæ nostræ, Psalm. 26. Ideoque non timendum neque trepidandum.

Item hoc factò sub typo nauis Ecclesiæ tribulationes & illius ereptionem denunciat. Tum scilicet cum infirmi ad eum adducentur, & tacta doctrina illius fimbria in fine sæculi omnes à fallaciis pseudoprophetarum eripiètur. Et proponit tria.

Auersitas summi patris voluntas & quare immititur.

1. Primò, docet fidelibus nullam accidere auersitatem absque summi patris voluntate: ipsum autè subinde id facere, vt suam fidem, sine qua impossibile est placere Deo. Heb. 11. & patientiam, in qua possidebunt animas suas. Lucæ. 21. exerceat.

Sic enim Euangelium dicit: *Cum serò esset.* Serotina hora, tēpus peccati indicat, quo inualecente, grauius quoque Deus permittit Ecclesiam affligi. Sic enim Dan. 9. Captiuitatis Israëliticæ causam sumit à principum & patrum vitiis. Et Eusebius Cæsariensis libr. 8. hist. Eccles. cap. 1. iusto Dei iudicio in Christianos persecutionē sub Diocletiano exortam, dicit, quòd tum ex multa libertatē & indulgentia vitiatum mores essent, & doctrina corrupta. Hora quoque illa vitia prælatorum & magistratum indicat, quibus ingrauescentibus Ecclesia Christi affigitur. Vnde Hieron. tom. 1. libr. 2. comment. in Prouerb. cap. 10. Sicut acerum dentibus (inquit) & fumus contrarius est oculis, ita Sacerdos prauus in Ecclesia, per acritudinem peccati: Fidelium sensus obtundit, & ignorantium oculos velut fumus excæcat. Hinc orta est Auidianorum secta (ait Epiphanius libr. 3. contra hæreses, tom. 1. Hæres. 70.) quòd Auidius dum vitia prælatorum & sacerdotum argueret, extrusus & verberatus, proinde videns inemendabiles eos esse, ab Ecclesia recessit.

Erat naus in medio mari. Habèt hæc Emphasim, & quòd naus esset in mari, & quòd in medio. Maris procellas Basilis interpretatur libro de Spiritu sancto, cap. 30. tempestatem Ecclesiarum, in qua & omnes patrum termini cōmoti sunt, & omne fundamentum, & si quod est dogmatum munimentum, id ipsum concussum est. Nimirum Schismatici & hæretici spumæ earum sunt procellarum, quas cauda sua Behemoth princeps super omnes filios superbix (Sathan) excitat. Iob 41. Sunt enim

enim illi cupidi, elati, superbi, voluptatum amatores, spumantes in sanguinem, vt olim Saulus contra Christianos. Hos luxuria & ambitio promouet & concitat in Ecclesiam. Tyranni quoque spumæ huius maris & tempestatis fuerunt, omnes sanè crudeles, impij spumantes, quiq; vt ferè tygres nūquam posuere furorem. Quales fuerit Nero, Decius, Domitianus, simulq; Barbari multi, vt docet Theodoretus. Quod enim illi (inquit) crudelitatis genus in Christianos commenti non sunt? An non illi tergora diripuerunt? non manus pedesq; absciderunt? non aures naresq; obruncarunt? nō ad excessum doloris vincula arctissima inuenerunt? &c. Qui tamen sic in Christianos despumarent, nunquam tamen Ecclesiam obruerunt. Sed neque Hæretici quantumuis crudeles in Ecclesiā præualuerunt, imò omnes hi, vt fluctus euanuerunt. Idcirco August. tom. 8. enarrat. in Psalm. 57. Non vos (ait) terreat fluuij qui dicuntur torrentes: hyemalibus enim aquis impleti, ad tempus perstreperunt, mox autem decurrentes, cessabunt. Multæ enim hæreses decurrunt; riuus earum exciccatus est, adeò vt vix earum memoria reperiatur. Inter se enim hæc conflictantur (ait Niceph. libr. 4. hist. Ecclesiast. cap. 5.) non aliter quàm fluctuum commotiones insurgentes, subinde atque decedentes, in varias abeunt formas: & postremò, vt nihil earum appareat, euanescunt. In medio autem horum fluctuum versatur Ecclesia, quod vndiq; inimicis obsideatur, domesticis hæreticis, qui velut genimina viperarum peccus matris vt nascantur, rodere nituntur: & extraneis ethnicis, tyrannis, & Barbaris infidelibus. Sic Ecclesia venit in altitudinē maris, adeò vt sicut vas fluctibus excussum, sic illa modò exaltetur, probetur, & laudetur, modò deprimatur, vituperetur, & quasi ignobilis habeatur, adeò vt liceat dicere: Exaltamur vsq; ad cælos, & deprimimur vsq; ad abyssos.

Et Iesus solus in terra. Aberat enim conductor nauis Christus. Cur ergo non naufragentur omnes? Porro quemadmodum & vita prælatorum & abundantia fluctuum, id est, tyrannorum & hæreticorum facit, vt periclitetur Ecclesia, ita absentia Christi. Absens autem dicitur (vt ait Beda) cum eam deseruisse videtur: aut cum in ea non debitè inuocatur, adeò vt non exaudiat. Isa. 69. Absente nimirum pastore, grex: duce, milites, periclitantur. Docebat quippe hoc exemplo Christus etiā prælatorum à suis gregibus absentia Ecclesiam periclitari. Absente Mose Israëlitarum idololatrarunt. Exod. 32. dormientibus hominibus, inimicus homo superseminauit zizania. Matth. 13. Ideo dominus Petrum his verbis increpabat; Symon dormis? Quod illi vigilandum esse gregibus doceret. Hinc sanè nostro infelici sæculo hæreses ortæ sunt, quod ij, qui se pastores dicunt, ouibus adesse nolunt, qui tamē annuis prouentibus gau-

gaudere volunt. Huic sanè hoc nostro infelici seculo haereticæ ortæ sunt, quod ij qui se pastores dicunt, ouibus adesse nolunt. Siquidem vt ait Bearus Hieronymus tom. 6. lib. comment. in Naum proph. cap. 3.) scit rex Assyrius diabolus non posse se oues decipere, nisi pastores ante conspiciat. Quia enim plerunq̄ue marcescit sine puluete virtus, idè suos electos subinde tentat aduersis, Psalm. 118. Bonum mihi quia humiliasti me: & prosperis, ne naturæ nostræ imbecillitas, vel eleuetur rerum præsentium nimia felicitate, ac tandem Dei obliuiscatur, Psalm. 82. vel frangatur nimia seueritate rerum aduersarum. Ideoq̄ue orat fidelis: Domine, ne in futuro tuo arguas me, Psalm. 8. & 72.

Afflictio iustorum & impiorum disparem sortitur finem.

2. Etsi verò æquali tentationum pondere videatur Deus affligere in præsentem iustos, vt Abraham, Loth, David, Apostolos, &c. & impios, vt Pharaonem, Antiochum, Herodem, in vtriusque ramen sortiuntur disparem finem: hos enim purgat, vt fructum plus adferant. Omnem enim qui fert fructum purgabit eum. Ioan. 15. Istos verò vt perdat, quia omnem palmitem, in me, ait Christus, non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet. Ioan. 15.

Spes liberationis ad gnauiter laborandum in aduersis nos animare debet.

2. Secundò, Ostendit fidelibus gnauiter esse laborandum in aduersis: spe futuræ liberationis, quam ex verbo Dei concipiunt, scientes Deum esse fidelem, qui non patietur eos tentari supra quàm possint, 1. Corinth. 10. nec derelinquere omnes qui sperant in eum, Psalm. & adesse in tribulatione, audire clamantes, eripete & glorificare, Psalm. 90. Proinde etsi circumeat tãquam leo rugiens aduersarius, vt deuoret, fortiter ei in fide resistendum ab eis: quia experiuntur quòd tribulatio patientiam operatur. Rom. 8. & patientia operatur veram probationem, probatio verò spem, quæ non confundit. Quare licet, vt hic Apostoli derelicti videatur in mari procelloso, & vodarum astibus agitato, grauissimis, scilicet, aduersitatibus mundi, carnis & diaboli, in nocte tenebrosa ignorantia rerum diuinarum & curis huius seculi: in ventis contrarijs, doctrinis, scilicet, varijs & peregrinis: nequaquam ramen merguntur fluctibus, vel desperationis, vt negent Dei prouidentiam: vel ipso factò, sicut Cain Genesios 3. & Iudas, Matthæi vicesimo septimo: vel præsumptionis, vt Lucifer, Isaia decimo quarto: & Nabuchodonosor, Danielis quarto. In quibus etsi esset pœnitentia peccati admissi, deerat spes misericordia. Vera enim pœnitentia, est, vt nec sperantem pœnitentia, nec spes deserat pœnitentem, assertore Fulgentio.

Pœnitentia vera que sit.

Hinc sequitur. Et vidit discipulos laborantes in remigando, qui omnia diuinitatis oculo considerat. Sicut tubicen, inquit Chrysosto. tom. 2. homli. 51. in cap. 4. Matth.) commisso

missio bello, pugnātem exercitum circuit, & bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem, sic & sacerdos persecutione imminente, exponens populo fortissima martyrum & gloriosa certamina, Christianum populum ad virtutem patientiæ vehemēter accēdit. Tum ergo omnes remos illi agitant & omnē lapidem mouēt, cum & ē sacris Biblijs & historijs patrum, Ecclesiæ filios ab hereticis eripere nituntur. Et sicut omnes discipuli vnanimiter remos agitarunt, vt p̄sens euaderent periculum, ita omnes orthodoxi, Episcopi & concionatores, idem sapere, idem conari: non à se inuicem iurgiis & rixis diuelli debent, ne dum rixantur, seipsos inuicem consument, 1. Corinth. 1.

Erat ventus eis contrarius. Venti Ecclesiæ aduersi doctrinæ sunt eidem contrariæ: & nubes turbinibus agitatur à Petro vocantur. Et meritò ventis comparantur. Quid enim aura leuius, quid ea quoq; mobilius? Et leuissimæ quoq; sunt hæreses, & cōtrariæ Christo doctrinæ. Omnis enim plantatio quā non plātauerit pater, eradicabitur, ait Christus, Ioan. 15. & Matt. 15. Et Gamaliel de Apostolis sermonē faciēs Act. 5. Si est inquit, & hominibus consiliū hoc dissoluetur. Cōtrarij autē sunt peruersæ doctrinæ vēti, quod paci, Ecclesiæ trāquillitati, ac conscientiarū quieti aduersentur. Quos enim cultus Christianis aduersos, seu Iudaicos, seu gētiles aut hereticos, nō faciles videas ad tumultus, seditiones, & sanguinem. Quod satis, proh dolor, hoc calamitoso sæculo in tumultuosis Calvinistis experti sumus.

3 Tertiò, significat huius Euangelij historia Christum nunquam suos deserere: si tamen vocationi suæ non defuerint, nec spei ancoram deiecerint, sed laborent fideliter in remigando, inseruendo vocationi in qua vocati sunt, Ephesiorum quarto.

Qui enim Nobemum in cataclysmatis seruauit tempestate, & qui populum suum sicco pede per mare Erythræum transtulit, idem suos fideles etiam in stagno huius sæculi cōseruare potest & vult, nec longè potest abesse qui vbique est, & qui omnia sua habet in manu. Quòd autem Christus in prima, secunda, & tertia vigilia non venerit, vt suis opitularetur, fecit vt suorum patientiam exerceret: tanta enim est naturæ prauitas, vt nisi morbum agnouerit, & naturæ suæ imbecillitatem, Patientiam suorum exercet Deus. mox acquisitam salutem propriæ tribuit industriæ, & Dei potentiam non agnoscit, misericordiam non prædicat, bonitatem non laudat. Atque ideo in quarta demum vigilia accedit Christus, id est, rebus iam deploratis, & in summa desperatione cōstitutis, vt eius omnia adscribamus prudētiæ, cantemusq; cum sorore Mosi domino, &c. Exodi. 15.

Potè Theophilactus. Nō statim inquit illis assistit, sed tota nocte sinit in tēpestate versari, vt doceat fortes, & nō in principio tenta-

tentationum sperandam requiem. Turbatur mare (inquit D. Augustinus tom. 8. in Psal. 92.) fluctuabat nauicula. Nauicula, Ecclesia est: mare, sæculum est. Venit dominus, ambulauit supra mare, & pressit fluctus spumantes & magnos: Potestatis scilicet & reges crediderunt Christo, & subiugati sunt, imò vilium piscatorum (ait Hieron.) venerati sunt. An non etiam depressi sunt tyrannorum in Ecclesiã assultus? Planè illis per similes inuenti sunt, qui flammam quidem restinguerunt concupiscunt: oleum verò fatui instillantes, ardentiorè illã efficiunt: ac velut quondam rubus ille quem vidit Moses, ardore ignis non est assumptus: ita nec Christianos impiorũ bellicetiros, tela hostilia consumpserunt.

Venit ad eos ambulans supra mare. Quo factò, vt sensibiles, ita spirituales doctrinarum peruersarum fluctus domare se posse docuit. Mirabile autem hoc, sed Christo facile, vt qui corpus suis qualitatibus eximere potuerit, cum voluit. Impletæ fuit hic prophetiã. Psalm. 76. In mari domine via tua: Et Job 9. Graditur enim super fluctus maris. Itẽ Eccl. 24. Qui dicere potest in fluctibus maris ambulauit. Cæterum, vt ignoramus quomodo de virgine natus sit (ait D. Dionysius Areopag. lib. de diuinis nominib. cap. 2. part. 1.) ita quomodo supra mare ambulauerit: Hoc enim fuit virtutis diuinæ. Sed sicut tyrannici fluctus, ita nec hæretici in Ecclesiam præualuerunt. Fuit enim tempus (inquit Gregor. Nazianz. orat. 22. ad Heronem) cum ab hæresibus tranquilla esset Ecclesia, cum cessassent Simones, Marciones, &c. qui in proprio submersi fuere profundo. Mortani deinde, spiritus malignus, Nouati quoque audacia, seu puerilitas, Sabelliq̃ue malum euanuit, nec in re vlla Ecclesiam læsit. Deo quoque dante, nec eam Sacramentarij & Anabaptistæ offendent. Ambulabit Christus supra fluctus illorũ, & imperabit ventis: & fiet tranquillitas magna.

Deinde monet hic locus, vt Apostolorum exemplo non defatigemur animis dum à Deo corripimur, ne cum hoc mundo damnemur, Heb. 12. Sed licet moram faciat, esse tamen expectandum, quia veniens veniet, & ambulabit super mare, vt fluctus tentationum, procellas aduersitatum & ventos contrarios suppressat, vt amplius nihil sit quod iustos contristet, qui iustificati ex fide, pacem habent ad Deum. Rom. 5.

Disimulabat quidem se velle eos præterire, sicut Lucæ 24. finxit se longius ire: & Matth. 8. emota tempestate dormiuisset dicitur in nauì, qui tamẽ pro suis vigilabat. Hoc enim somno fidem & patientiam suorum probare volebat. Sicut ergo dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. 11. ita videtur aliquãdo denegare auxilium, ad fidei probationẽ, 1. Cor. 10. Sed fidelis Deus qui nõ patietur vos tentari supra id quod pote-

potestis, &c. Et si quando nos præterire videtur dominus, confidamus, nec statim animum deponamus. Clamemus cū Psal. 9. Vsq̄uequò domine recessisti longè, despicias in oportunitatibus in tribulatione. Attendamus quas preces fuderit Moses arcam per solitudinem deferens, nube omnem Israël protegēte per diem, vtr̄que cōculcari fluctus inimicos, nec dominum populum suum præterire exorabat. Siquidem Numer. 10. cū eleuaretur arca dicebat: Surge domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Cū autē deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinē exercitus Israël.

Medicus Christus infirmis cōdolens, verbis supra mel dulcibus suos perterritos exclamantes & stupidos consolabitur, dicens: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Emphasim habēt hæc omnia. Loquitur enim, vt infirmos confortet, cuius verbum, animabus nostris panis est, qui cor hominis cōfirmat. Solo quippe Dei verbo & creata sunt omnia, eademq̄; recreantur & consolidantur. Proinde quoties Christus ferè prostratū & mediis fluctibus immerfam releuare decreuit Ecclesiā: eam quidē per fideles cōcionatores alloquitur, qualis olim Paulus, qui inquit: 2. Corinth. 13. An experimentum quæritis, quod in me loquitur Christus.

*Verbum Christi
fit ad consolandum
miseros vnicè
efficax.*

Confidite (ait) Quoniam primum omnium fide opus est, & ijs qui mare nauigant, & ijs qui semē humi iactant, quantò magis qui deuestis hæresibus, ad portum securitatis contendunt?

Ego sum. Quo verbo maiestatem suam insinuat quæ nō amittendam nostram in eum confidentiam satis docet. Ego sum, (ait) q. d. Ecquis vobis noceat, si boni emulatores fueritis? Quis Ecclesiæ nauim subuertere poterit, cū me patronum habeatis. Flent venti, debacchentur aquilones, ebulliant fluctus, excitentur hæretici, schismatici & tyranni; an nescitis quod omnia hæc sicut vestimentum veterascent? Ego autem idem permaneo. An ignoratis quòd data est mihi omnis potestas in cælo & in terra? Matth. 28. & portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam? Matth. 16.

Nolite timere. Quasi non sit adiutor in tribulationibus. Si deus pro vobis, quis contra vos? Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Summa docet his verbis Christus, nihil nos ab illa, quam apud eum habemus confidentia, excidere debere, quāuis in nos tribulatio erigatur: quod statim succedere & eripere possit. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus: Vbi Christus, ibi securitas: vbi satan, ibi periculum. Nauis ob Ionam turbatur. Ob Acham (Iud. 9.) totus Israël periclitatur. At ob 10. iustos, paratus erat dominus parcere quinq̄; vrbibus, Gen. 18. Quòd ventus cessat, docet se dominum esse, de quo Psal. Tempestates maris (ait) tu mitigas. Vtinam

Vtinam nunc in tanta religionis Christianæ perturbatione adsit Dominus Iesus, qui spiritu suo persecutionum, simoniæ, hæreseon, schismatum ac flagitiorum procellas comprimat, & pastores, Episcopos, Pontifices, officij sui moneat, vt fortiter remis scripturarum Ecclesiam tueantur, Vide Ezech. 3. & 33. Item Actor. 20.

*Fides operosa,
sola saluat.*

Sequitur vltima lectionis pars de miraculis quæ Iesus edidit in terra Genesareth. Obserua hic, postquam cognouissent Iesum, continuo ægrotos illi quoscunque adduxerunt & afferrebant. Hæc est vera fides, quæ sola saluat, nempe operosa, & per charitatem efficax. Galat. 5. Salutaris & sancta quoque humilitas fuit, quòd hic pij homines duntaxat Christi vestè contingere optabant, æstimâtes se contactu sancti sanctorum indignos. Fides quoque per hoc facta est illustrior: Simile habet Matth. 9. in Hæmorrhoiâ.

Mysticè verò cum ad portum Ecclesia beneficio Christi peruenit, prostratis Pseudoprophetis, tum qui constantiores fuerint, regiones suas percurrent, & eos qui ob simplicitatem ab impietatis magistris seducti fuerant, ad Christum per sanã doctrinam & conuersationem deferent: vbi cunq; eum in fidei congregatione esse intellexerint: & pro his frequentes orationes fundent: vt vel simbriam vestimenti Christi tangant, id est, misericordiæ illius guttulam assequantur. Nam quòd hic simbriam mysticè à muliere Chananæa mica, & à diuite guttula dicitur, Matth. 15. & Lucæ 16. Certi quippe erunt omnes, quod quæuis à Deo eis collata fuerit gratia, profutura sit ad salutem.

Et quotquot tangebant eum, salui fiebant. En quanta Christi virtus, vt quæ in corpus, imò & in veste redundaret. Hinc probatio virtutis sanctiss. reliquiarû. Tactu ossium Helisei corpus defuncti, reuixit. Et vt sanandis corporibus virtutem vestibus suis communicabat, ita vim sanandi animas communicat sacramentis. Adeò virtutem suam semper signis visibilibus exhibuit.

EPILOGVS.

*Maris domi-
nus & flumi-
num Christus*

Euangelica hæc historia duo maxima nobis proposuit ritè estimanda Christi miracula: Alterum, quòd Christus veluti dominator maris. & mitigator fluctuum eius, super aquas maris, haud secus quàm in terra campo, deambulauit. Quare in melis tēpestatibus cum Petro inclamāndus: Saluos nos fac Domine, nec dubiū quin manus nobis porrecturus sit adiutrices. Sic enim dixit, Isaia 43. Noli timere, quia redimi te, & vocaui te nomine tuo, mens es tu. Cum pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combueris, & flamma non ardebit in te. qui ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, saluator tuus. Hinc Psal. 46.

Cum

Cum ceciderit iustus, non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Item Psalm. 117. Impulsus eversus sum ut caderem, & dominus suscepit me. Alterum, quod omnes aegroti velis eius contactu, ab omnibus morbis curabantur. Quamobrem non in ipsis solum infirmitatibus, sed in momento etiam mortis sperandum in eo. Nam & si ambulaveris, inquit David Psal. 22. in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Adiuvantes autē exhortamur, ne in vacuum gratiā Dei recipiatis, &c. 2. Corinth. 6. Finis Epistolae: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

DE tempore gratiæ Dei in Christo nobis exhibitæ, tempore accepto, & die salutis, de quibus concorditer Prophetæ prædixerunt, præsertim Isaias 49. cap. agit hinc Apostolus. Nam ineffabilia bona per Christum contigerunt, maledictio nostra in illum reiecta, & benedictio eius tota ab illo in nos manavit, vnde & ad Christianā vitā amplectendā; quam hinc mira brevitate etiam describit, inuitat & hortatur. Tit. 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrii. &c. Tria autem sunt præsentis Epistolæ primaria capita.

1 Primò, docet quanti periculi res sit abuti beneficio gratiæ Dei: quare hortatur fideles, ne in vacuum gratiam Dei suscipiant, neglectis spiritus sancti donis, desideris carnis inserviant, ad Tit. 2. Tanquam canes reuersi ad vomitum, & sues lotæ in volutabro luti, rursus crucifigant in semetipsis filiū Dei. 2. Pet. 2. Prou. 26. & ad Heb. 6. Intelligit autem Apostolus nomine gratiæ Dei, non vulgaria isthæc tantum præsentis vitæ beneficia, quæ malis æquæ ac bonis concedit Deus, sed eam quæ beneficio Christi consistit in redemptione à seruitute peccati, Rom. 6. & 7. in liberatione à malis culpæ. Gal. 3. & in absoluta remissione peccatorum, Ephes. 1. Hoc enim est admirandum illud gratiæ beneficium, de quo locuti sunt Prophetæ. 1. Pet. 1. quo, scilicet, proposuit Deus ex singulari sua voluntate adoptare nos in filios per Christum, & qui per totam vitam obnoxij eramus seruituti diaboli, carnis, & mundi, quibus tanquam imperiosissimis dominis ad suam ipsorum voluntatem obtemperabamus gehænæ & iræ filij, effecit ut essemus sancti, & immaculati coram ipso, hoc est, hæredes Dei, Roman. 8. cohæredes Christi, & consortes diuinæ naturæ, 2. Pet. 1.

Quo nihil præclarior accidere potuit mortalibus, cui quotquot ingrati fuerint, in pristina videlicet peccata relabendo, hi demum in vacuum sese eam recepisse demonstrant gratiam, quande

Res periculosa abuti beneficio gratia dei.

Gratia Dei nomine quid intelligat Apostolus.

Gratia præcipuus effectus. quando is sit gratiæ primarius & præcipuus effectus, non ut ex bonis faciat meliores, iuxta Augustin. sed ex malis bonos; postea verò, iuxta Prosperum in Epist. ad Rufinum, per profectum ex bonis factura meliores: ut ex auctoritate Prophetae indicat Apostolus, pollicens quòd in tempore accepto, & die salutis, hoc est, tempore novi testamenti, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, per quem, dum sicut oportet, oramus, exaudimur, operamur & adiuuamur.

Credere & operari, ihc opus est,

Quia ergo iuxta B. Petrum 1. cap. 2. Hemera Episcopi nunc adest, hoc est, tempus & dies in qua respexit nos Deus salutaris noster, factum operæpretium est, ut satisfaciamus admonitioni Apostolicæ, ut credamus, scilicet, & operemur bene, Ioan. 12. Adhuc ad breue tempus lumen vobiscum est, ambulate donec lumen habetis, ne vos tenebræ occupent: Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Et Apostolus Gala. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum: Beatus hic in factio suo erit, qui Apostolo fuerit obsecundatus.

Differentia temporis novi testamenti.

2. Secundò, Ostendit Apostolus differentiam temporis novi testamenti, quo reuelata est gratia Euangelij per Christum, in quo reconciliati sumus Deo per mortem eius: per quæ accessum habemus ad patrem, per quem gratia & veritas facta est, Ioan. 1. Zach. 13. pignus & arrhobonem æternæ vitæ, scilicet Spiritum sanctum, accepimus.

Hebr. 1. Auctor salutis Christi.

Hæc enim, aliaque immensa per Christum collata Ecclesie beneficia significat Apostolus per *metavopelav* tempus, ac dies salutis, pro Christo, qui auctor est omnis salutis, nouissimis istis diebus singulari patris benevolentia exhibito, ponens. Etenim de illo testatur pater, Matth. 3. & 17. quòd in illo sibi complacuerit, adeò ut non possint non esse accepti propter ipsum, quotquot renascuntur ex aqua & Spiritu sancto, Ioan. 3. & fide per dilectionem operante credunt. 1. Petr. 2. quotquot factores legis fuerint, & non auditores tantum. Iaco. 1. atque non timore tanquam serui sub lege, sed amore, tanquã filij sub gratia constituti, legi obedierint.

Dominus suos non affligit ut perdat, sed ut sanet.

Sunt enim hi veri palmites in vite manentes, propter occultam illam communicationem Spiritus sancti, quos caelestis ille agricola licet purget, varijs nimirum afflictionibus, tum externis, ut morbis, penuria, fame, exilio, morte, tum internis, ut dolore, tentationibus varijs, anxietate conscientia, &c. non id tamen alia de causa facit, quàm ut fructus plus adferat, Ioan. 15. Neque enim suos dominus affligit ut perdat, sed ut sanet: adeò ut licet quandoque negligere videatur suorum preces, magis ipsorum fidem & inuocationem excitet: atq; ut agnoscant ex hac Apostoli doctrina nunc esse tempus acceptabile: quo

quo scilicet, antequam clament, exaudiantur. *Isaiæ 65.* Si tamẽ
 vt oportet, orauerint, scilicet, in nomine Christi. *Ioan. 16.* ex
 fide, spiritu, & meate, *Iaco. 1. 1. Corint. 14. Ioan. 4.* instanter,
 & perseveranter, *Matth. 7. Luc. 11.* Tales etenim cum in spiri-
 tu & veritate adorent propter Christum, exaudiuntur à patre,
 tum etiam propter inhabitantem spiritum eius, *Roman. 8.* qui
 docet quid & quomodo orent. Siquidem ita vitam instituit,
 vt ipsos pater æternus exaudiat inuocantes, adiuuet dimican-
 tes, & erigat labentes.

3 Tertio, Christiana ẽ vitæ formulam proponit omnibus: Pri-
 mò, Verbi Dei ministris, quales sunt Episcopi, Pastores, & Cõ-
 cionatores: Quos vult Apostolus esse formã gregis ex animo
 1. *Pet. 5.* Imitatores Christi, vt filij charissimi. *Ephes. 5.* Opera-
 rios inconfusibiles, 2. ad *Timoth. 2.* Siquidem hos posuit in
 Ecclesia Spiritus sanctus, quam acquisiuit Christus sanguine
 suo, *Act. 20.* nimirum in ædificationem corporis Christi, in
 consummationem filij Dei. *Ephes. 4.* donec occurramus omnes
 in veritatem fidei in virum perfectum, in mensuram ætatis ple-
 nitudinis Christi.

*Ministris
 Verbi Dei
 Vita forma
 prescribitur.*

Deinde promiscuis fidelibus, quorum est acceptam semel fi-
 dei professionem conseruare: Sacramenta Ecclesiastica, certissi-
 ma salutis nostrę symbola amplecti, & reueri: in ea vocatione,
 in qua vocati sunt, permanere, 1. *Cor. 7.* & obedire præpositis,
 non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, 1. *Pet. 2.*

*In vocatione
 qua vocati su-
 mus, perma-
 nendum.*

Falluntur enim grauitur qui eadem esse munia volunt ple-
 bis, quæ pastorum: aut omnem, non tantum vitæ, sed & fidei,
 libertatem esse passim concedendam, quando, vt quotidiana
 docent exempla, non abundè magis serpat morum corruptela,
 quàm ex fide licetia, qua passim fit, vt quot sint capita, tot sint
 sententiæ, vt vel hæreticorum paradoxa abundè testantur, qua-
 lia sunt, solam fidem sufficere ad salutẽ, iustum in omni opere
 bono peccare, baptismum, aliaque sacramenta esse futilia ho-
 minum commẽta, & id genus multa. Ex quibus quanta secuta
 sit in Repüb. Christiana morum corruptela, passim omnes sen-
 tiunt, nec tamen dolent. Atqui longè aliter Paulus sentit, qui
 obsecrat Corinthios per nomẽ domini, vt id ipsum dicant om-
 nes, & non sint in eis schismata, sintque perfecti in eodem sen-
 su, & in eadem sententia, 1. *cap. 1.* Qui & hoc loco omnium
 fidelium vitam talem esse vult, vt nemini dent vllam offensio-
 nem, ne iis quidem qui occasionem quærunt maledicti gratia,
 vt non vituperetur ministerium: siquidem hoc in ignominiam
 cedit creatoris, iuxta illud, Propter vos nomen meum blasphematur,
Isa. 52. Sed patius vt in omnibus exhibeãt se sicut Dei
 ministros, obediendo videlicet illius præceptis, ex verbi Dei
 præscripto, vitam instituẽdo, in multa patientia, in tribulatio-

*Libertas vitæ
 & fidei pas-
 sim omnibus
 concedenda
 non est.*

*Fidelium vita
 sine offensione
 esse debet.*

Sardanapali
nostri à vir-
tutibus Apo-
stolicis alie-
nissimi.

nibus, in necessitatibus, in angustiis, in plægis, in carceribus, &c.
Quod an nostri faciant Sardanapali, ipsi viderint. Certè nihil
minus apud ipsos inuenias quàm eas virtutes, quas hic enume-
rat Apostolus. Siquidem pro ieiuniis amplectuntur gastrimar-
giam, pro castitate libidinem, pro necessitate abundantiam, pro
patientia indignationem, pro charitate odium, pro Spiritu san-
cto spiritum soporis & vertiginis, pro scientia ignorantia, &c.
Adeo nihil est sani in tota vita ipsorum, vt facile agnoscas quã
sint à spiritu Christi alieni.

EPILOGVS.

Exhortatio ad
vitam Chri-
stianam.

Cause ad vi-
tam Christia-
nam nos mo-
uentes, due.

In lectione hac hortatus est nos Apostolus ad vitam Christianam, qua
in duobus sita est, actione nimirum & passione, & idcirco etiã docuit quò
pacto in utraque nos gerere piè debeamus. Vt autem hortatio huiusmodi es-
penitius animis nostris insideret, duas proposuit causas mouentes. Quarum
prior est gratie oblatio, altera temporis opportunitas: oblatio quidem gratie,
quod iam abundè in nos Dominus misericordiam suam & effuderit & ef-
fundat per fidem in Iesum Christum: Opportunitas vero temporis, quod
(quamdiu hic agimus in viuis) tempus sit acceptabile. & fructiferum, dis-
que adsint salutis. His igitur motis causis, hanc Pauli paranesis & auis
audire, & factis exprimere pro virili oportet. Nec enim satis est, quod di-
uina gratia semel prauis facinoribus exempti, & ad salutem admissi sumus,
si deinceps ad pristinam vitam reuertamur: sed oportet gratiam semel ac-
ceptam inordicus retinere: siquidem salutis vera ac aeternae velimus esse co-
paces. Nam vt non minor est virtus tueri partas opes, quàm eas corraderet:
ita nec minoris virtutis est retinere conseruatæque acceptam gratiam, quàm
comparare eandem. Apoc. 3. Ecce venio cito, tene quod habes, vt nemo au-
piat coronam tuam.

DOMINICA PRIMA QVADRA-
GESIMAE, EVANGELIYM.

Matth. 4.
Marci. 1.
Luca 4.

Tunc Iesus ductus est in deserto à spiritu, vt tentaretur à diabolo, &
Finis Euangelij: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Ieiunij nostri
fundamentũ
ex Euangelio
petitur.

EVANGELIYM hoc duabus potissimùm de causis huius
Dominicæ assignatum est: Primò, vt Christiani nos statim
in exordio ieiunij nostri certum fundamentum & obiectũ ha-
beremus. Deinde vt admoniti simus aduersus insidiosos insu-
tus diaboli, contra quem potissima arma sunt ieiunium, prece-
tio, & gladius spiritus, quod est verbum Dei, Matth. 17. Eph.
Qui (vt hic patet) tunc vel maxime sçquit, cum eius regnum im-
petimus, aut eius potestati nos subtrahere conamur. Proponit
autem triplicem Christi cum Satana conflictum, quem nõ
ipsum, sed nostra omnium causa suscepit.

Sic

Sicut enim Athlatæ (inquit Chrysoft. homil. 13. in Matt.) cum discipulos suos vincere docent, data opera in Palestris, cum aliis certamen exercent, ut in luctantium corporibus faciant artem spectare vincendi. Ita dominus diabolo tentationis occasionem obtulit, ut in eo victo vincendi quoque formam nobis relinqueret.

I Est autem primus conflictus de cura & sollicitudine victus, & diuitiis comparandis, quibus victui & necessitati succurratur. Christus enim ea ratione ductus fuit à Spiritu sancto in desertum, famelicus & esuriens factus, est ieiunio quadraginta dierum exhaustus, & defatigatus est, ut ab immanissimo Satana tentaretur, hoc est, propter nos tentationes pateretur, & eas vinceret ipse nobis, tum nos quoque per ipsum vincere disceremus. Vnde non tantum exempli causa tentatus est, sed & in hoc, ut per hanc victoriam nos vinceremus. Omnes enim victoriæ, omnes triumphi Christi, omnium credentium in Christo sunt. Vnde & in Euangelio dicit, Confidite, ego vici. Ioan. decimosexto.

Tentatus Christi de cura & sollicitudine victus.

Tentatus est Christus nobis.

Item ut quantumuis iustos sibi à diabolo cauere ostenderet, 2. Corinth. 12. Paulus tentatus: Petrus quoque, Matth. 27. Peccauit Moses, Numer. 20. Dauid, 2. Reg. 11. Qui stat igitur, videat ne cadat. Neque verò ut Christus tentationis occasiones quærere debemus. Hoc enim in illo fuit perfectionis, ad quem princeps mundi huius venit. Sed in eo non habuit quicquam. Facti autem sumus immuabili omnes nos. Vnde nec Prophæta nec insignes sacerdotes, aut Christum soliditatem sibi attribuerunt præsumperunt. Non ita Christus in quo verbi carnisque sic conuenit natura, ut nulla alteri ab altero iniuria deueniret, ait D. Cypr. serm. de ieiun. tom. 2.

Etenim ieiunasset. Primò ieiunat ut immoderatum primi parentis appetitum temperantiæ curaret remedio. Ieiunat etiam ut aduersus diriora dæmonia ieiuniis præliandum doceret: cum ieiunium Sampsonem inuictum fecerit, ait Basiliius de ieiunio, homil. 1. Ieiunat denique ante prædicationis suæ initium, ut ieiunium sacramentorum agnitionem promereri ostēderet, quemadmodum Tertul. lib. de ieiun. probat exemplo Danielis, cap. 2. & 14. Necnon Annæ viduæ, Luc. 2.

Porò ieiunium triplex est. Primò, Aut enim sponte susceptum est pro re domestica, ut Davidis pro puero: aut quavis alia, ut Iudith, Hesther. Secundò, Aliud est ex præcepto, cui obeditur, Tertiò, Aliud à Deo per famem immittitur, cui patientia requiritur. Rursus verò ex præcepto est ieiunium. Primò, aut ob cladem acceptam, ut Israël's bis amisso prælio in tribum Benjamin, Iudic. 20. & virorum Iabes Galaad occiso Saule, septem diebus, 2. Reg. vlt. Secundò ob cladem præ foribus,

bus, 2. Paral. 20. Ion 2. Tertio, ob peccatum commissum, 2. Reg. 7. 3. Reg. 22. Quarto, ad impetrandam Spiritus sancti gratiam. 1. Esdr. 8. Act. 1. Daniel. 2. & 9. Quinto, ad carnem domandam.

Numerum quadragenarium Christus in ieiunando obseruauit, ne Moise, qui bis quadragesimale ieiunium, Exod. 24. & Deut. 9. & Heliam, qui semel illud obseruauit. 3. Reg. 19. minor esse videretur. Sed nec in his tantum quadragenarius, numerus commendatur. Nam quadraginta diebus pluit super terram, Genes. 14. quadraginta annis manserunt in deserto Israelitæ: quadraginta mensibus Christus prædicauit: quadraginta horis corpus eius in sepulchro iacuit: & quadraginta diebus cum suis post resurrectionem conuersatus est. Actor. 7. Obserua hic tres hos magnos viros tribus in locis diuersis ieiunasse, Moisen in monte: Heliam in itinere: & Christum in deserto, vt vbique opus penitentiae requiri doceretur. Et quod Noë post quadraginta dies fenestram Arce aperuit, significatum est ieiunio cælum referari. Et ideo Moyses, Helias, & ipse Saluator quadragenario numero ieiunia cõfecerunt, tanquam tribus temporibus necessariò. 1. Ante legem. 2. Sub lege. 3. Sub gratiã. Hæc ferè habet Ambr. serm. 34. de Quadrag. Porro D. Ignatius Epist. ad Philipp. testatur quadragesimale ieiunium imitationem continere obseruationis Christi. Et B. Hieronym. ad Marcellum: Nos vnã (inquit) quadragesimã secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. In hac præcipit Telephorus abstinendum à carnibus, vt patet in eius Epist. decret. ad vniuersos scripta. Et Origenes ho. 10. in Leuit. Habemus (ait) quadraginta dies, ieiuniis consecratos: Non video ergo qua temeritate aduersarij ieiunium hoc Quadragenarium contemnant, quod Ecclesia ex mandato Apostolico seruandum accepit.

Sed Euangelista totidem noctibus ieiunasse dominum addidit: ne quis putet eum ieiunasse sicut Hebræi, qui die abstinentes, nocte edebant. Sequitur:

Postea esuriit. Vt hominem se ostenderet, qui cibo & potu naturaliter egeret. Deinde vt diabolo tentandi ansam offerret, vt & primum hominem de gula aggressus est: simulque ei dubitandi num verè filius Dei esset, rationem relinqueret, quo rubore deposito audacius accederet.

Diabolus ergo occasionem nactus adoritur Christum, quam dubius de successu, quod sciret sanctissimos illos Moisen, Exod. 34. & Heliam, 3. Reg. 19. (de quorum ramen humanitate non dubitauit) similem in ediam sustinisse.

Sic enim narrat Euangelista: *Et accedens tentator, diabolus scilicet, malorum tentator, qui Christum secundum Adam, vt &*

*Nisus Satanae
aduersus
Christum.*

primum

primum se victurum putat. Et dixit ei: *Si filius Dei es.* Maxima namque rerum conclusus angustia voces emittebat ancipites: vt sicut accedens ad primum hominem, finxit illa quæ non erant, quo ea quæ erant disceret, ita ignarus suscepti hominis, de eo instrueretur, ait Chrysof. hom. 13. in Matth. adeò vt si Dei sit filius, saltem victus, audiat: sin tantum homo est, possit illi aliquid per laudum blandimenta furari.

Dic vt lapides isti panes fiant. Extrema sanè hæc est Satanae con-
gressio. Nec enim in deserto solida tentationis arma inuenit. Deest illi (inquit Ambros. serm. 35. de ieiunio domini) de paradiso amcenitas arborum, consiliatrix Eva, pomorum speciosa deceptio. Vndique igitur exclusus, ad pauimenta se confert: & postulat in cibum saxa mutari. Versutus sanè scit quid perar, nouit factum esse quod dicit. Meminit aquam de lapide sitiētibus profluxisse. Exo. 17. dentem molarem asini aquam Samsoni sirieneri ministrasse. Nihil enim Dei verbo impossibile est, Lucae 1. Hic obseruandum occurrit diabolus fideliozem esse his, qui transubstantiationem fieri posse etiã in Sacramēto Eucharistia omnino negant. Ecce enim credit filium Dei solo verbo lapides in panes posse conuertere: cum tamen alia sit panis, & alia lapidis substantia. Cur non æquè facile erit Christo, verbo suo omnipotenti, panem in corpus, & vinum in sanguinem transmutare? Virgam tenebat Moses (ait Ambros. libr. de ijs qui initiantur, ca. 9.) proiecit eam, & facta est serpens. Exo. 7. Curtebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere, qui rursus ad aquarum naturam rediit. Etiam virga eleuata, aquæ maris se in speciem murorum congelarunt. Exo. 14. Si tantum valuit humana benedictio vt rerum naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina? Et D. Cyrill. catech. myst. 4. ait: Aquam Christus aliquando mutauit in vinum, quod est, sanguini propinquum, in Chana Galileæ, sola voluntate: & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit? Igitur hanc in Christo potentiam, saltem à Satana ediscant.

Qui respondens dixit: Scriptum est (De ut. 8.) Non in solo pane uiuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Q. d. Siue me filiū Dei, seu tantum hominem arbitreris, nō hac via agendum est ō diabole. Nam si Dei sum filius, num me à cibo eximere possum, sicut & exemptus est Helias & Moses? Quod si tantum homo sum: primum sanè debueras cōsultere vt apud Deum preces funderes. Neque enim natiuitatis fructus pascent homines. Nimirum hoc Deus contestatus est, his quibus te ō Satana, adioris verbis: Siquidem Deuterono. 8. Affixit te (ait Moses) penuria dominus, & dedit tibi cibum manna quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quod nō in solo

pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Quo ergo mihi panem quem diabolus offert (ait Ambrosius ferm. 35. de ieiunio) cum habeā panem quem Christus impertit? Quo mihi cibum per quem protoplastum deiectum memini (Esau primitiuis propter cibum fraudatum vidi. Genesis 25. Iudam Scarioth proditionis scelere denotatum, Ioan. 13. Non bonus ergo cibus, postquam negatur Dominus, & ingreditur inimicus. Neque etiam manna ex sese cibandi virtutem habebat, sed per verbum Dei implebat omnem Iudaeorum indigentiam; & fiebat omnia quaecunque comedere cupiebant, siue carnem, siue piscem, siue ouum, siue caseum concupiscebat Iudaeus. Summa: Ostendit his verbis dominus nō in pane hoc solitario, sed in verbo Dei, aternitatis alimoniam sperandam esse. Item obseruat hīc Ambrosius id dictum à domino, vt ostenderet ieiunia nostra non debere saeculi actibus, nec ventris & gulae, potius cura, quàm Dei memoria, sed factis literis occupari, quod dixerit dominus, non pane viuente hominem Dei, sed Dei verbo.

Hæretici quoque, & qui carnali libertati addicti sunt, etiā nunc vt diabolus, multos de gula aggrediuntur, quemadmodum nos monet Athanasius lib. de virginis. sed respondendū illis: Non in solo pane viuit homo. Si accedant aliqui (inquit) & dicant tibi, ne frequenter ieiunes, ne imbecillior fias, non auscultes: istos enim diabolus subornauit. Reminiscere etiā quod scriptum est, quod cum Daniel & tres pueri capti essent à rege Babylonis Nabuchodonosor, & alij pueruli vna cum illis, iussuque esset ab eo vt de sua regia mensa comederent, & de suo vino biberent, Danielem & tres pueros noluisse fatuari de mensa regis: & ad Eunuchum dixisse, qui eos curabat. Da nobis de seminibus terræ, & vescemur. Demum refert eos tandem productos apud Nabuchodonosor: ceteri pulchriores apparuisse.

Nititur etiam his verbis Christum adducere in diffidētiā, pusillanimitatem, & desperationem, qua victus discedat à fiducia, quam habebat erga patrem, penes quem est omnium rerum prouidentia & cura, Sap. 6. Atque eidem prorsus techniciūdius fideles opprimit & tentat, quos inopia rei familiaris, penuria, paupertate, & ægitudine oneratos perspexerit: quibus nihil æquē molitur, quàm fidē de promissionibus diuinis eximere, ex præsentī calamitate conuincere cupiens Deum ipsorum curam abieciisse, atque idēdō licere malis artibus, scilicet fraudibus, periurio, imposturis, deceptione, & vsuris, rem familiarem augere, necessitati succurrere. Hoc est enim quod ait
Die vt lapides isti panes fiant.

Sed Christum imitentur fideles, sidant diuinæ promissioni
 inferuiant

Technis quibus nos tentat Diabolus

inferiant vocationi, quærant regnū Dei & iustitiam eius, &c. Matth. 6. Denique resistant diabolo, & opponant illi, quod opposuit Christus: nimirum, *Non in solo pane vivit homo, &c.* sic fiet vt fugiat ab eis, atque cum confusione discedat, Iacob. 4. Ephes. 4. 1. Pet. 5.

2. Secundus, confictus est de comparāda humana gloria, sed rationibus illicitis, ac verbo dei prohibitis. Nam assumpsit eū diabolus, non quod ē potentia diaboli id pēderet, sed ē patientia Christi. Nec hoc mirum cum se permiserit à membris eius crucifigi. Ait Gregorius. *In sanctam civitatem Hierusalem, scilicet quæ sancta dicebatur, quod in ea tēplum Dei erat, & Sancta sanctorum, & cultus vnus Dei, secundum legem Moysi, Et statuit eum supra pinnaculum templi. Quod Remigius sedem doctorum vocat in suprema parte muri sitam, ex qua sacerdotes legem & prophetas interpretabantur populo. Callidē verò supra pinnaculū statuit, vt quē de gula non potuit, saltē de vana gloria subvertere nitatur (ait Cyprianus sermon. de ieiunio, & ait: Si filius Dei es. Hoc enim in omnibus tētationibus egit, (ait Hiero.) vt intelligeret num filius Dei esset. Sed quomodo eo facto cognoscere poterat an filius dei esset, cum neq; volare à Deo inspiraretur alicui, vt pote nec profuturū animæ, aut corpori: fit autem tantum ad ostentationem? Præcipita te deorsum. Convenientius dixisset: Si filius Dei es, ascende in cælum, cum sit hominis ad ima cadere, Dei autem ad superna conscendere. Sed qui semel eximinent eminētissimo creaturarum loco se deiecerat, non potest non inuitare omnes vt ad ima se iniectant. Optat ergo omnes cadere, qui se sentit præ omnibus eccidisse. Experientia quoq; didicerat diabolus (ait Cyprian.) & in multis probauerat, vitiorum victores sæpē nugis laudationum corruptos. Didicerat etiā in cathedra doctorum multos inani gloria deceptos esse, vt Pharisei, Matth. 23. exemplo esse potuerunt: ideo eum in loco eorum statuet. Quot verò, non Spiritus sanctus, sed diabolus in pinnam templi, id est, Ecclesiasticas dignitates euexit? Talis Nouatus, de quo Cyprian. lib. 1. Epist. 6. ad Magnum conqueritur: quod cum Ecclesiæ non esset, cathedram tamen sibi cōstitueret, & primatum assumeret. Hoc in Therbete, de quo Euseb. hist. Ecclesiast. lib. 4. cap. 21. Et Vrsitio, de quo Niceph. lib. 11. histo. Eccl. cap. 20. satis paruit. Idem in magnum Ecclesiæ detrimentum, in Luthero, Caluino, Mennone, aliisq; heresiarchis luce clarius videmus, qui ambitionis ergo quam venabantur, & non accipiebant, Ecclesiam conturbarunt.*

Nam scriptum est, Psal. 90. Angelis suis mandauit de te, &c. Pari modo Christianos etiam subinde vana gloria tentat, vt immitat præsumptionem cogitationis sanctæ de semetipsis, & quasi

Fideles Christum in tentatione imitare debent.

Deut. 8.

De gloria humana tētatur Christus.

Christianos quomodo vana gloria tentet Satanas.

Arma Christianorum contra Satanae tentationes.

Nunquam in praelio cessandum, quia hostis semper nobis importunus est.

singularibus donis frui merito debeant prae aliis, quasi plura meruerint, quam ceteri homines. Verum huic resistent oportet fideles, sumentes armaturam Dei, ut possint in omnibus perfecti stare, nempe, ut monet Apostolus Ephes. 5. induere lorica iustitiae, calceare pedes in preparationem Evangelij pacis, sumere scutum fidei, galeam salutis assumere, gladium spiritus arripere, quod est verbum Dei. Est enim nobis colluctatio non aduersus carnem & sanguinem tantum, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Neque vlla ratione nobis cessandum est. nunquam enim cessat hostis, sed ut leo rugiens circumit quaerens quem deuoret. 1. Pet. 5. Si enim semel, bis, terque victus, ne sic quidem abstinerit a Christo, quia secundum Lucam 4. cap. recessit ab illo usque ad tempus, multo minus a nobis desistet. Ut autem praetextu verbi Dei Christo praecipitium persuadere conatus est, ut sic patre caelestem tentaret, suis viribus nimium tribueret, ac auram captaret popularem, ac si diceret: Video te bona omnia persuadere tibi de Deo Patre, adeo ut nec in esurie ipsa de eius cura addubites. Cum ergo huic maxima de te cura sit, securus esto, nullum timeto discrimen, ideoque confidenter te deorsum praecipitato. Nam scriptum est: *Angelus suis*, & c. ira etiamnum piis omnibus spe conciliandae existimationis suggerit falsarum opinionum paradoxa, abusu defensionem, ac fomenta seditionum.

Vtitur quippe diabolus scripturis, non ut doceat, sed ut fallat. Hoc vero quod hic allegat, in Psalm. 90. scribitur: vbi non de Christo, sed de viro sancto, prophetia est. Corruptit ergo scripturam in verbis, quia integram non recenset. Astute enim tacer: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & c. Item in sensu, cum filio Dei applicet, quod de puro homine intelligitur. Victus itaque daemone scripturis, scripturas allegat, membris suis idem facere ostendens. Vnde Augustinus tract. 18. in Ioan. non aliunde enatas haereses docet, quam cum scripturae bonae intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam audacter & temere differitur. Et Vincentius Lirinensis in haeresion Nouationes, idem adduci ab haereticis, quod hic a diabolo docet: q. d. illi fidelibus: Filius esse vis Dei, & hereditatem regni caelestis accipere, mitte te deorsum, id est, ex istius te sublimis Ecclesiae doctrina & traditione exime. Quod si quis interroget; unde probas? continuo adducunt mille testimonia & exempla, & audent polliceri & docere, quod in Ecclesia sua, id est, conuenticulo, magna & specialis ac plane personalis quaedam sit Dei gratia: adeo ut sine villo labore, sine villo studio, sine vlla industria, etiam si nec quaerant, nec petant: tamen ita diuinitus dispensentur, ut angelicis euecti manibus, id est, angelica

angelica protectione seruati, nunquam possent offendere, ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalisari. Hinc Chryso-
stom. tom. 3. serm. in hæreticos, bene docet fidelem tereri nõ debere. etiam si Arius dicendi iniuriam faciat à scripturis, cum diabolum accedens ad Christum, scripturis vsus fuerit. Et Origenes homil. 31. In Lucam: Legisti scripturas (inquit) õ diabolus, non vt ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed vt simplicitate literæ interficias: ibiq; omnes hæreticos scripturas adducere testatur. Vnde & cum hæc proferuntur, cõsiderandam proferentis sententiã & voluntatem monet, ne sub ouis pelle lupus latitet.

Hi enim omnes reuera sese de pinnaculo templi deiiciunt, qui captiui à diaboli laqueis veritatẽ Dei in mendacium detinēt, & fidei, sacramentorum atq; scripturarum integritatem peruertunt, Ecclesia: vnitatem doctrinis variis & peregrinis sciunt: non tam ventris quàm existimationis causa, vt infelici hoc nostro seculo, dæmonis haud dubiè impulsu sese deiecerunt, quotquot sunt nouarum opinionum architecti: quales sunt ferè primarij: Lutherus, Zvinglius, Oecolampadius, Brentius, Calvinus, Beza, Viretus, Svvenfeldius, Muncerus, & Menno Frisius: Qui propria perditione non contenti, sectas non metuunt introducere: atque vt hic Saran, prætextu scripturarum, tanquam pellibus ouinis, eas fidelibus obtrudunt: pari prorsus ratione, ea nimirum ex scripturis supprimunt, quæ causæ suæ officere posse perspiciunt. Nec hoc mirum iuxta Apost. 2. Cor. 11. Ipse enim Satanas transfiguratur se in angelum lucis: nõ est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.

Atqui Christum imitentur fideles, ac clauum clauo pellant, scripturis perfidẽ citatis: verum scripturarum intellectum opponant, quem videlicet intellectum Ecclesia semper vbique, ab omnibus defendit, hoc est, quem Christiani orbis vniuersitas, antiquitas & consensus est tutata. Sic enim fiet, vt non faciliè erroribus seducantur. Atque vt in promptu habeant semper contra quamcunque tentationem peculiare antidorum, verbum Dei, & sedulo audiant, legantq; & diligenter retineant, necnon cuique aduersario hoc pacto respondeant. Tu qui scripturam perperam adduxisti, audi vicissim clarissimum scripturæ locum: *Non tentabis dominũ Deum tuum*: Quare tu scriptura detorta mones, vt in scripturam peccem? &c. Sic nimirum fiet, vt quemadmodum diabolus à domino discedere cum pudore coactus est, ita vt aduersarius in domini potentia victus, discedere cogatur.

Tentare Deum est eum in vanum, aut fidei defectu prouocare, sicut & Deuteron. 6. vbi id scriptum est: Non tentabis dominum

Opinionum nouarum architecti de templo sese deiiciunt.

Sectarij propria perditione nõ contenti, & truncatim scripturas afferunt & emittunt.

Intellectu scripturarũ vero, scriptis falso adductis resistendum.

Deuter. 6.

dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis: nimirum cum populus locutus est contra dominum & Moysen (Numer. 21.) Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra naufragat super cibo isto leuissimo. Vnde igniti serpentes in eos immisi sunt: Quasi dicat dominus se, si tantum homo esset, hoc præcipitio prouocaturum Deum, cum ibi nulla adfit necessitas: seu filius Dei est, Satanâ occultè cõfundit, vt qui Deum verum teneret.

De habendi cupiditate, dignitate, & potentia tentatur Christus.

3 Tertius confictus est, de adipiscenda dignitate & potentia in hoc sæculo, de habendi cupiditate & diuitiis, hoc est, ambitione, cupiditate regnandi, & pollicitatione regnorum.

Hinc subditur: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, in deserto, scilicet, constitutū, vt loci celsitudine Christum ad elationem animi excitaret, & facilius inde regiones orbis conspiceret.* In eundem montem dominus subduxerat Moysen, promissionis terram eidem demonstraturus. Deuteronomio 33. Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Tum manu, tum verbo hanc vel illam, vel etiam præcipuas demonstrans.

Hæc omnia, inquit, tibi dabo. Vt sicut ambitione Adam in paradiso pulsauit & strauit, cum subiectionem quam Deo debebat fastidians, appetiit dominatum: ita Christū avaritia & dominandi cupiditate in sua retia traheret: sic enim sibi per multos lucratur, ait Cyprianus. Præterea offert quæ Dei sunt Deo: sua tamen faciens, mediis quibus impellit homines vt his potiantur, furtis scilicet, & dolis, & similibus.

Si prostratus adoraueris me. Adoratur Satan, cum Deus deferitur, vt terrena amplectamur: vnde avaritia, idolorum seruitus dicitur. Sic enim fieri solet in nobis, malo scilicet illo genio, seu dæmone potius impellente, vt dum sufficiens est paratus victus, qui necessitati sufficiat, mox irrepit dominandi affectus, qui nos subinde ita transuersos rapit, vt honestatis, pietatis, religionis, fidei, & amicitia nullam prorsus rationem habeamus: quo fit plerunque vt amicus amico tendat insidias, imò filius subinde patri, socer genero, filia matri, & affinis affini exitium parat. Cuius rei exempla tam ex sacris, quàm prophanis peti possunt: Absalon cupiditate regnandi victus, patri insidias struxit. 2. Reg. 15. 16. 17. Esau fratri suo Iacob, Genes. 27.

Dominandi affectus, in qua mala nos rapiat.

Dei gloriam, potentiam & maiestatem sibi vindicare conatur diabolus.

Sed obseruandum est, quibus conditionibus huic malæ notæ cupiditati sese satisfacere polliceatur: Si nimirum ante ipsum cadentes, adorauerimus: inuidet enim Deo suam potentiam, maiestatem & gloriam, eamque sibi vindicare conatur, falsò dicitans sese mundi principem, ac monarcham. Hinc nihil intentatum relinquit, quo nos à fide in Deum abalienet. & ad

& ad se colendum pro Deo permoueat. Sicut autem Deum adorat, qui ipsi legitimum honorem & timorem impendit, scilicet, toto corde, tota mente, & tota anima diligens, ipsius promissionibus fidens, mandatis obediens, minas meruens: ita & huic dæmonis præcepto obtemperat, qui legitima vocatione relicta, vt existimationem sui apud alios obtineat, hæreses docet, schismata suscitatur, Dei præcepta contemnit, ac sæculi mores amplectitur. Denique animam ipsam venalem circumferunt, quos hæc inuaserit ambitio: ex hac misera Reipublicæ Christianæ facies nascitur, qua sursum ac deorsum tam in Republ. quàm in religione voluntur omferunt. Siquidem exemplo Christi, rari sunt qui gladio spiritus Satanæ resistent, verbo Dei obtemperando: Temperantiæ laus est abolita, nemo se non admiratur, & adorat suæ sapientiæ idolum, sua largifundia nemini sufficiunt, ad proximi vicini arua adspirat quisq; , deficiunt miseri à bono ad malum, quod est ante Satanam cadere. Student avaritiæ, quod est diabolus adorare qui adorare: Velociùs in stadio diaboli currunt, quàm incitantur. At Christum avaritiæ & idololatriæ opponens manifestum Dei præceptum de solo Deo adorando, docet ne vel diuitias, vel honores, vel creaturam ullam præferamus Deo, sed ipsum vnũ agnoscamus verum Deum, in ipsum solum credamus, ei vni laudem præfidamus, ipsum ante omnia diligamus, colamus, timeamus, feruamus, inuocemus, 1. Timoth. 1.

Ambitiosi animam venalem circumferunt.

Ante Satanam cadere et eum adorare qui dicuntur.

Deuter. 6. & Creaturam la Deo præferenda.

Vade (inquit) *Satana*. Patientissimus in præcedentibus Dominus, iniuriam patri illatam longè repellit. Satanæ, interpretatur Apostata, ait Irenæus libro quinto in hæreses.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Deuteron. 6. q. d. Non tibi adoratio nec cultus debetur, sed Deo. Potius tibi debetur contemptus & vilipensio. Tunc reliquit eum diabolus: à diuinitate Christi, & Spiritu sancto inde excussus. Tamdiu enim diabolus tentat, non quamdiu ille vult, sed quamdiu Christus permittit, ait Chrysostronus in Matthæum.

Postremò verò audiuius, repulso diabolo, venisse angelos Dei, ac Christo ministrasse. Victoria enim de diabolo consortium acquirunt angelorum, qui auxilium ferant. 4. Regum 6. 2. Machabæorum 10. Hinc eam pij accipiunt doctrinam & consolationem, quòd non deserturus eos sit in tentatione Dominus, neque ultra vires suas tentari permissurus. 1. Cor. 10. sed & incrementum daturus eis, & liberaturus eos, ac per Angelorum ministerium eos custoditurus, ne impingant ad lapidem pedes suos, Psalm. 90. De hoc ministerio angelico obseruandum, quod S. Augustinus commemorat in Soliloquiis: Insuper, ait, facis angelos tuos spiritus propter me, quibus

Angeli administratorij spiritu & custodes nostri.

*Augustini
sententia de
angelorum
ministerio
obseruanda.*

bus mandasti, vt custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Hierusalem, & mōtes in circuitu eius, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet: Ille antiquus serpens aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens circuit quærēs quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatē capiunt salutis: vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis, confortent quoque & moueant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nēpe conciuēs suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectāt: ideoq; magna cura & vigilanti studio assunt nobis omnibus horis & locis succurrentes & prouidētes necessitatibus nostris, & solliciti discurrētes inter nos & te domine, gemitus nostros atq; suspiria referētes ad te, vt impetrēt nobis facilem tuę benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum, attentē considerantes quā pie, quāq; honestē in medio prauæ nationis conuerserur, quantoq; studio & desiderio quæramus regnum tuum & iustitiam eius, quantoq; timore ac tremore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te (inquam) patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis corū erga nos. Et hoc totum propter honorem tuæ inexestimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem, quoniā & tu odisti operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendaciā. Quoties bene agimus gaudent angeli, & tristantur demones. Quoties à bono deuiamus, diabolom lætificamus, & angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudiū enim est eis super vno peccatore deferente. Hunc præsentē locum quisque diligenter attendat, certō sibi inde persuadens, si vitando ea quę in mundo sunt vitia, diabolo restitit, angelos qui ipsi in huiusmodi certamine adfuerunt adiutores, adhuc etiam sibi adesse custodes & congratulatores, & propediem adfore coronatores.

*A baptis-
mate
tentatio ex-
pectanda.*

EPILOGVS.

*Audimus principio statim à suscepto baptis-
mate, actum esse dominum
Iesum à Spiritu sancto in desertum, vt tentaretur à diabolo. Hinc edocti sumus,*

tum, primò, quòd nec nobis possit baptismum sit aliud expectandum certum,
 atque tentatio diabolica, iuxta illud Sapiens, Eccl. 2. Fili accedens ad ser-
 vitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animã tuam ad tenta-
 tionem. Deinde quòd non sit signum irati dei, sed divina permissio ad nostrã
 salutem, quando tentationibus exponimur, Rom. 5. lac. 1. Secundo, audivi-
 mus tentatum esse Dominum in deserto, cum ieiunasset, quumque esuriret
 iam. Inde nimirum descendum nobis venit, tum omnium maxime tentati-
 mos à Satana, quando à pravo seculi consortio semoti sumus, ac solis vacua-
 mus rebus divinis, quando item ieiunamus ac maceramus carnem, quando
 denique inopia rerum laboramus. Nam eos qui in medio pravorum conuer-
 santur, qui comestationibus & ebrietatibus indulgent, quique in abundantia
 rerum omnium agunt, intentatos ille sinit, quod neque, sponte sua volunta-
 tem eius faciant. Caterum accepimus quibus iaculis petierit Satan Christũ,
 nimirum tribus, ventris cura, seu crapula, superbia seu arrogantia, & aua-
 ritia, sub quibus sanè tribus, omnes tẽtationes cõprehenduntur, imò è quibus
 scaturiunt mala omnia. Nam quicquid (ut inquit Ioan. 1. cap. 2.) in mun-
 do est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut super-
 bia vita. Item quibus armis illa retuderit, & tentatorem vicerit: enimquè à
 se abegerit, scilicet, ieiunio, precatione, & gladio Spiritus, quod est verbum
 Dei. Quoties igitur & nos adoritur ille, taliãque iacula in nos detorquet, hoc
 est, ad desperationem, nimiam confitentiam, & idololatriam nos sollicitat,
 sumamus ante omnia gladium spiritualem verbum Dei, ac fidei scutum,
 extinguemusque omnia eius tela ignea. Etsi enim nos natura nõ tam fortes
 sumus, ut pares esse possimus illius machinis, quia tamen Christus vires
 eius egregie, pro nobis fregit, per hunc possumus omnia. Philip. 4.

Tentationes
 ad nostram sa-
 lutem.

Quando ma-
 xime tenta-
 mur à Sa-
 tana.

Arma, quibus
 diaboli Chri-
 stus abegerit.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE
 PRIMAE EPISTOLA.

Hac dicit dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem
 meum de manu eorum, &c. Finis Epistolæ: & pascam illas in iudicio. Ezech. 34.

I V X T A literã liberatio ex captivitate Babylonica hãc præ-
 dicitur, cuius pastores vtriusque status, chori & fori mode-
 ratores, socordes & pessimi, præcipua causa fuerunt: Sed per
 eam Ecclesiæ regnum adumbratur, Christusque verus ac bo-
 nus pastor præsignatur, de cuius officio in hac Epistola agit
 Propheta. Quia enim semetipsum pascebant pastores, ouibus
 passim luporum moribus relictis, pollicetur Deus ovium sua-
 rum se rationem habiturum, gravissimãque exhortatione &
 comminatione vtriusque status optimates excitat & vrget. Tria
 autem proponit Propheta.

Pastores malè
 captivitatìs
 Babylonica
 causa.

1 Primò, Bucolica quadã metaphora promittit se, oves suas,
 ab æterno scilicet prædestinatas, quæsiturũ, quarum & si nulla
 petire potuit, erant tamen per pastorem Christum, in quo ele-
 Etæ

Bucolica me-
 taphora pro-
 mittitur

*Christus oues
suas quasitu-
tus, visitatu-
tus & libe-
ralium.*

Et sunt ante mundi constitutionem, Ephes. 1. quærendæ, visi-
tandæ, ac liberandæ. Id enim impossibile erat legi, in quo in-
mabatur per carnales hominis affectus, ita ut neminē ad perfe-
ctum adducere posset, quæ operabatur iram, cum errantibus
ouibus mortem comminaretur, caulam ostēderet, sed ut repe-
terent gratiam præstare nequibat: Ideo inquit, *Ego ipse requiram
oues meas, & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum, &c.* quæ vi-
delicet perierunt domus Israël, Math. 15. merito nimirum pri-
mi illius originalis peccati quo tota periit humani generis
massa, ut ex ea qui à Christo requiruntur, solam agnoscant in-
debitam gratiā, qua ex misericordia auctos vocat, impios iu-
stificat: & qui deseruntur, solam agnoscat vindicem iustitiam,
qua iuste, dignos deserit, deserit.

Quos autem ita visitat dominus, ut à massa perditionis se-
parer, non iam ex bonis (inquit Augustinus) facit meliores, sed
ex impiis bonos, ut ex fide viuentes per dilectionem bene ope-
rentur. Quos autem ita inuenit: 1. Visitat in virga, scilicet
iniquitates eorum, Psal. 88. ne damnet cum mundo. 2. Separat
ab hædis, ne mali pestifero contagio perdant. 3. Educit de pe-
riculis, transferendo de morte ad vitam, 1. Ioan. 3. 4. Congre-
gat de terris vitæ præsentis in terrā viuentium. Quibus verbis
completur propheta amplissimam promissionē gratiæ noui
Testamenti per Christum (qui auctore Petro, est princeps pa-
storum) afferendæ: Qui graue iugum, quo miserè oues oppri-
mebant pastores iniqui, sustulit, substituto leui illo Euangeli-
co iugo, oues suas demulcet, dum parit peccantibus, nolens
mortem peccatoris, Matth. 11. Ezech. 18. condonat respicien-
tibus, expectando ut misereatur eis, Isa. 30.

*Promissio am-
plissima gra-
tiæ noui Te-
stamenti.*

2. Secundò, Pastoris Christi colligentis oues errantes, bene-
ficia quæ tempore noui testamenti sit exhibiturus, enumerat,
voce Domini dicentis, *Inducam eas in terrā suam*, quasi dicat: Eri
videantur balantes & dispersæ oues meæ in alieno versari solo,
& quasi peregrinantes à Domino, & communibus hædorum
malis obnoxia, non tamen peribunt, sed inducam in terram
caelestem.

*Pastor bonus
Christus no-
uo testamēto
præcipue pro-
missus.*

Pascam eas in montibus israel, id est, nō tantū corruptibili & peri-
turo cibo, vel in loco parū tuto, vbi prædæ faciliè obici possint:
sed in tabernaculis fiduciæ, in locis tutissimis, Isa. 32. *In iuis &
in cunctis sedibus terræ*, quasi dicat. Nō in aridis locis, vbi siti di-
uinarū consolationū affecti riuiolos aquæ vitæ desiderare pos-
sent: sed fiet in cisternis aquæ salientis in vitam æternam, ut hau-
riant aquas in gaudio de fontibus saluatoris, Ioan. 4. Isa. 12.

*Beneficia in
nouo testamē-
to per Christū
exhibita.*

In pascuis uberrimis pascam eas, ut nihil scilicet quòd ad æternā
ipsarum salutem esse necessarium posset, desideretur: Iuxta il-
lud, Isa. 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* In

montibus excelſis erunt pascua earum, quia totæ in Deum ferentur, neglectis momentaneis & perituris. Vbi gustarint quam suavis sit dominus, non iam terrena quærent, sed ea quæ sursum sunt, vbi Christus est in dextera Dei sedens, Coll. 3.

Requiescent in herbis viventibus, in pascuis pinguibus pascentur. Promissio est de futura beatitudine, de qua Isaia 32. Sedebit populus meus in tabernaculis fiduciæ, in pulchritudine pacis, in requie opulenta.

Sublimiora hæc sunt promissa, quàm quæ alicui pastori, præterquam Christo, conuenire possint, qui solus est animarum pastor, quid ouium saluti expediat sciens: cuius ad exemplar vult tamen Deus omnes sese componere pastores, nisi horrendæ illi maledictioni subiici velint. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos, neglectis nimirum ouibus: alioqui permittit Apostolus, vt qui gregem pascit, de lacte comedat, & qui altari deseruit, de altari viuat, I. Cor. 9.

Sicut autem pastorem alij sunt boni, alij autem mali, ita dispersa sunt officia. Nam veri pastoris est, requirere oues, visitare, ad caulam reducere, pascere verbo & exemplo, doctrina & sacramentis. Paratas enim est talis pro ouibus animam ponere. Siquidem per ostium, quod Christus est, in ouile ouium accesserit, Ioan. 10. Accidit autem singulari Dei erga populum suam misericordia, vt huiusmodi det Pastores, qui scientia atque doctrina nimirum iuxta cor Dei, pascant, Jerem: 3. Pascunt autem iuxta cor Dei, qui nihil subtrahunt vtilium, quo minus annuntient domini voluntatem, Act. 20. qui veritatem Evangelij prodigiosis opinionibus & hæresibus non corrumpunt: qui ouium salutem proprio quæstui & ventri præponunt: qui denique lupos greges infestantes, fortiter gladio spiritus verbi Dei repellunt.

Mali verò pastoris est, oues veniente lupo relinquere, lac comedere, lanis operiri, quod crassum est occidere, infirma non aligare, perditam non quærere, cum austeritate imperare, onera graua imponere, & digito non attingere, Mat. 23. quia nimirum fur est & latro, cum non per ostium, sed aliunde intrarit: nec sit illi de ouibus cura, vt merito huiusmodi idolum vocet Zacha. 11. cap. Dantur verò huiusmodi, meritis subditorum exigentibus, iuxta illud: Dominus est qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, Job 34. quales vereor hoc tempore, ne multos patiatur Ecclesia, qui sunt, vt est apud Isaia cap. 56. Speculatores cæci, canes muti non valentes latrare, videtes vana, amantes somnia, canes impudentissimi, nescientes saturitatem, ignorantes intelligentiam, declinantes ad auaritiã.

3 Tertiò, Ne putarent fideles se prorsus à Deo deseri, si tales essent nacti pastores, qui ipsorum curam prorsus abijcerent, pollicetur

Pastores ad exemplar veteris pastoris Christi sese componere debent.

Pastorum vti alij boni, alij mali, ita dispersa eorum officia.

Misericordia Dei singularis quando pastores dat qui scientia ac doctrina iuxta cor suum pascentur.

Plebs mala pastorem malum meretur.

Munia pasto-
ris se obituri
pollicetur
Deus.

licetur Deus in huiusmodi casu se pastoris munia obiturum, dicens: *Ego ipse pascam oves meas, & accubare eas faciam*, ut scilicet tuto cum Propheta dicant, *Psal. 22. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, &c. Quod ideo facturum se pollicetur, ut sine timore de manu inimicorum liberari, seruiamus illi, Luc. 1.*

Consolatio
contra despe-
rationem.

Neque his contentus longè maiora pollicetur, dum ait: *Quod perierat, reuertam, quod abiectum fuerat, reducam, quod contractum fuerat, alligabo, quod infirmum fuerat, consolidabo, quod pingue & forte, custodiâ.* Emphaticè hæc cum dicantur, ut cuilibet periodo sua adsit energia, omnes tamen id unum insinuare puto, quod suauissimi illa Euangelii voce significauit Christus, dum ait se uenisse ut peccatores saluos faceret, *Matth. 9. Lucæ 19. Et Apostolus 1. Timoth. 1. Venit Christus Iesus in hunc mundum, peccatores saluos facere. Et Propheta Ezechi. 18. Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Nemo ergo peccati grauitate percussus desperet: adest enim qui erigit omnes alios, qui sanat contritiones, qui linum fumigans non extinguit, cuius gratia fit, ut in accepta semel iustitia perseueremus, tentationibus resistamus, ex peccatis saucij reuiuiscamus, & sanemur. At verò ne quis inani fiducia de huiusmodi diuinis promissis ita sibi blandiretur, ut interim suauiter negligeret quacunque salutis adipiscendæ sunt remedia proposita, docet quo modo diuinas istas suas promissiones sit exhibiturus, scilicet, *in iudicio & iustitia.* Neque enim temeritate fortunæ, casu, aut fatali quadam necessitate, qualem Stoici somniarunt, eueniunt omnia in rebus humanis, sed iudicio Dei iusto (Iustus enim es, inquit Propheta, *Psalm. 118. & rectam iudicium tuum.*) Pascua hæc æternæ felicitatis, quæ tanquam merces bonis redditur operibus eorum, qui non crediderunt tantum, sed in uinea Domini laborarunt, retribuetur, *Matth. 20.**

Remedium
contra inanè
presumptionem.

EPILOGVS.

Correxit hoc loco uerbo Domini Propheta dysscolos pastores & superintendentes utriusque ordinis sic dominici gregis curam agentes, ut ipsi instat luporum lamient & deuorent. Hoc cum commune sit ingenium & chori & fori principum caelestis pater curam suam gregi suo per semetipsum promittit, missurumque unicuique filium suum pastorem optimum, nempe, sapientie, intelligentie, clementie, paupertatis, & omnis boni fontem. Hinc cū pastoriam functionem suscepisset, ait Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.*

FERIA

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE

PRIMAE, EVANGELIUM.

65

Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli *Matth. 25.*
eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suae, &c. Finis Euangelij:
Et ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem, in vitam aeternam.

Fidei articu-
lus de secundo
Christi adue-
ntu asstruitur.

ARTICVLVS fidei Catholicæ de aduentu magni Regis
Iesu Christi, quo venturus est è cælo, hoc est, à dextera glo-
riæ Dei, in potestate magna & maiestate, ad iudicandum viuos
& mortuos, hic asstruitur, vt eum cordi committentes à pecca-
tis absterreamur, & ad virtutes pronocemur. Et sicut nos amor
que n ille in primo aduentu aperuit, excitauit: ita & terror fu-
turi aduentus permoueat. Nam Heb. 10. Terribilis, ait, est illa
expectatio iudicij, quæ consumptura est aduersarios. Quia do-
cet Christus fore tunc diem, quo cuncta quæ fiunt sub sole, sit
adducturus in iudicium. Ecclesiastes 12. Rom. 14. 2. Cor. 5.
Hinc optimè nos admonet Basilius hom. 9. in Psal. 33. Cùm
igitur (ait) ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi
horrendum illud & non ferendū Christi iudicium, in quo præ-
sident quidem iudex in alto atque elato throno: astat autè omnis
creatura tremens ob ipsius aspectum gloriosum. Ad hæc ac-
cedunt verba S. Effrem, libr. de beatitudine, cap. 3. Habeto
præ oculis diem mortis charissime, & nunquam eius formi-
dabis aduentum: quæ spiritualiter intelligens per dies singu-
los, separationè corporis animæque pertracta, qualiter ante tri-
bunal iudicis statuendus es cogita, & para iugiter lampadem
tuam (Matth. 25.) vt in conuersatione beatissima fulgeat. In
hoc Euangelio potissimum tria obseruanda sunt.

1. Primò, Maiestas iudicis, quæ consideranda est, vel secundū
personæ vel conditionis dignitatem: Quo ad personæ dignita-
tem, & filius Dei patri æterno æqualis secundum diuinitatem,
& filius hominis patri minor secundum humanitatē, cui pa-
ter omne iudicium dedit, vt omnis qui credit in ipso, non pe-
reat, Ioan. 3. & 5.

Iudicis maie-
stas ex perso-
ne & condi-
tionis dignita-
te indicatur.

Hoc quippe erit ad iustorum consolationem, quod homo
eos iudicaturus sit, per quem nobis accessus ad patrē, Eph. 2.
qui & interpellat pro nobis, Rom. 8. mediator Dei & homi-
num homo Christus Iesus, 1. Timoth. 2. & ad maiorem im-
piorum confusionem, cū viderint etiam eum, qui eius mor-
tem sollicitauerunt. Apoc. 1. Vt qui parui fecerunt humiliatum,
terreantur à iudicante. Proinde ob meritum obedientiæ & ab-
iectionis data est hæc Christo potestas, Iob 36. Causa tua vt
causa impij iudicata est: causam iudiciumque recipies.

Hic igitur tantus, in die iræ, tribulationis & caliginis, So-
phoniz 1.

E

phonix. I. quo tribulabitur fortis, quo nec aurum neque argentum poterunt liberare homines aut iumenta, ad iudicium veniet: sed ita, ut ignis ante ipsum præcedat, ut inflammet in circuitu inimicos eius, & cum principibus populi sui, sedeat in sede maiestatis suæ, Isaia 3. Apoc. 1.

Item, ut qui contempserunt eum in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt, quàm dulcis est misericordia eius, sentiant quàm grauis est ira ipsius, ait Chrysostomus, homil. 55. in Matthæum, de oper. imperfect. De hac Daniel. septimo. Aspiciebam in nubibus caeli, & ecce quasi filius hominis veniebat, & cet. Maiestatem hanc vocat B. Paulus aduentum gloriæ magni Dei. Seu maiestatem appellat diuinitatem, qua Patri & Spiritui sancto æqualis est. Vel, ut vult Origenes, homil. 34. in Matthæum, quia cum gloria huc reuertetur, ut corpus eius sit, quale fuit cum transfiguratus est in monte. Erit igitur hic Christi aspectus bonis gaudio, malis autem maximo terrori (ut docet Cyprianus libro quarto, Epistola ad plebem Thibari.) Terrorem sanè venturi illius iudicis satis explicarunt: David Psalm. 75. Terra tremit & quieuit, cum exurgeret in iudicio Deus. Iob 14. Dum abscondi querit: Esaias 2. Dum reges & principes caernas terræ adibunt, dum omnes dicent montibus, operite nos. Terribilis, & quis resistet ei?

Et omnes angeli eius cum eo. Ut testentur se Christo subditos, ut qui aulas principum sequuntur, rege suo se submitunt. Deinde ut ministri sint & executores iustitiæ diuinæ, ad alligandos reges in compedibus, &c. Psalm. centesimo quadragésimo quarto. Et ut colligant è regno Christi omnia scandala, Matth. 14. Postremò, ut stent contra insecutos. Sap. 3. & quodammodo iudicent per approbationem. Angeli enim de hoc mundo iudicabunt, ait Apostolus.

Tunc sedebit super sedem, & cæli. Sedes sanè eius, aut quidam perfectiores sanctorum dicuntur. De quibus scriptum est, Psalm. centesimo vicesimo primo. Quoniam illic federunt sedes in iudicio: aut quædam virtutes angelicæ, de quibus dicitur, siue sedes siue dominationes, Coloss. 1. Et Psalm. 79. Qui sedes super Cherubin: Et Psalm. nono. Sediti super thronum qui iudicas iustitiam. Qui super sedem hanc maiestatis sessurus dicitur, quod angelis sibi subiectis & sanctis, sic sit progressurus, ut etiã qui columnæ caeli dicuntur, contremiscant ad nutum eius. Iob vicesimo sexto, & paueant iusti, primo Petri quarto. Quo terrore maiestatem iudicis testaturi sunt, dum se velut scabellum pedum eius per subiectionem exhibebunt.

Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eas ab in-
nicem, &c.

micem, &c. Ibi sisti habebunt omnes, omnes gentes hinc apparebunt, exemptus erit nemo: ab Adam vsque ad vltimum hominem. Toel. 2. Erumpite & venite omnes gentes de circuitu: confurgant & congregentur omnes gentes in valle Iosaphat, quia ibi sedebo & iudicabo omnes. Et 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi in voce archangeli, & in tuba Dei, ait Apostolus 1. Thessalon. Ideoque Iohannes Apocalip. 20. Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni.

Tunc pueri & infantes, senes, mares, foeminae, omnes citò venient, tubae angelicae, parentes omnes, viuentes in ictum oculi mutabuntur, & in simili momento excitabuntur, tanquam dormientes mortui. Tanta virtus est verbi Dei. Tunc iuxta B. August. lib. 22. de ciuitate Dei cap. 15. vbi de fidelium resurrectione agit. Omnia Christianorum corpora resurrectura sunt ea aetate, qua resurrexit Christus, id est, circa annos triginta, siue supra, siue infra eam aetatem fuerint defuncti. Tunc fiet segregatio electorum & abiectorum: Tunc haeretici Lutheranique videbunt, quid intersit inter verbum & opus: Tunc scandala auferentur è mundo omnia, & separabuntur zizania & hœdi, quia infructuosi, steriles & nocentes: Bonum semen, quia fructuosum & commodum seruabitur. Illa comburenda in aceruum vnum in tartara coniciuntur, hoc in horrea thesaurorum Dei referetur. De hac re vide Ezechielem tricesimo quarto. Matth. 13. & 25.

Scandala in secundo aduentu auferentur omnia.

Quantum verò ad conditionis dignitatem est misericors: Nam talem eum experientur pii, leuantes capita sua, & dicentes: aduenisti redemptor noster: est & iustus: nam talem eum experientur impii, dicentes montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos, Luc. 23. Zacha. 13. Hunc nemo poterit fallere criminum occultatione: siquidem omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Heb. 4. nec contumpere oblatione munerum, vt iudicem prophanum, Deut. 26. Exod. 23. siquidem, ipse Dominus Deus potens & terribilis, personam non accipiet nec munera, Deut. 10. Dum enim ad iudicium sederit, libri aperientur, Apoc. 20. & mox aderunt testes, conscientia & synderisis, adertur & accusatores, demones scilicet, & angeli mali, quantum non erunt necessarij, quia (vt est apud Malach. 3.) Ipse Dominus accedens ad iudicium, erit testis velox maleficis, aduulteris, ac periuris.

Apocal. 6.

Iudex Christus nec falli nec corrumpi poterit.

2. Secundò, differentia iudicandorum hinc est obseruanda, quã exprimit Christus bucolica quadam metaphora sumpta à bubulcis, dum ait: *Et separabit eos ab inuicem*: ad discretionem scilicet præmiorum. *Quæ separatio aut occulta, aut spiritualis*

erit, intelligentibus omnibus quorum digni sint; vel localis, quia tum granum à palea separandum est, vt ait Augustinus: *Sicut pastor*. Nam pastor Christus est, nō mercenarius, Ioan. 10. imò pastorum princeps, 1. Pet. 5. qui pascit nos à iuuetute nostra. de quo Psal. In loco pascuæ ibi me collocauit. Vtinā verò eum tum pastorem inueniamus, qui sua nos pascat gloria. Satiabimur enim cum apparuerit gloria eius.

*In iudiciorum
differentia.*

Statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris. Hi iræ iudicis obnoxij, illæ gloriæ Christi participes. Ipse iudex œcumenicus medius inter electos & abiectos sedebit, sententiâ cuius parti dicturus, neutri parsurus.

*Agnorum nomine
pios intelligit.*

Agnos, quo nomine pios, qui virtutibus insignes, non sua sed quæ Christi sunt, quæsierunt. Qui victimas se Christo obtulerunt, quorum caput Christus, factus est vt ovis, Esa. 53. intelligit, *Statuet à dextris*, vt vel ex ipso loco immortalitatis gloriæ intelligamus, Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, &c. quia nomine dextræ omnis felicitas significatur. Porrò oves propriè Christiani sunt, & grex domini Ecclesiæ populus, & pastor bonus. Proinde Christiani non sunt intelligendi, qui ab Ecclesiæ grege errauerint. Facite igitur, vt nunc in Ecclesia perseueretis, quo tandem inter oves connumeremini.

Hædi, impij.

Hædos, id est impios, & damnandos, ob scædam scelerum sentinam, contemptum Dei, cupiditatem, & neglectum bonorū operum. Maximè verò Pseudopphetas. 1. Timoth. 4. elationis cornua, cupiditatis hirsuta vellera, superbiæ ducatum habentes, voluptatum amatores, seruos corruptionis, carnis libertatem promittentes.

*1. Cor. 15.
Ioan. 5.*

Statuet à sinistris: Quibus omnis miseria & infelicitas, vt nomine tenebrarū: iuxta illud, 1. Reg. 2. Impij in tenebris conticescent, intelligitur. Fiet autem ista locatio iudicandorum, angeli ministerio, idq; in ictu oculi, in nouissima tuba, cuius efficacia fiet, vt omnes, qui in monumentis sunt, audiant vocē filij Dei: ita tamen, vt resurgāt pij, qui Deo, eiusq; verbo firma si se adhæserunt, quæ per charitatem operatur, ad vitam & gloriā: impij verò qui abusi sunt Dei patientia, dicentes in corde suo: Non est Deus, Roman. 2. Psalm. 14. resurgant ad mortem & pœnam.

Eo sanè Dei iudicio ab iniquis hominibus separandi sunt sancti, quo ante sunt beati angeli ab immundis spiritibus separati. Et vt hyemis tempore vix discernas mortuas arbores à viuis: Vere autem illucescente, faciliè noscuntur, ita nunc vix iustam ab impio secernas: Cognoscentur verò in nouissima die, ait Chryostomus.

Afferunt autem hæc insignem consolationē bonis, ex consideratione

consideratione immacessibilis gloriæ Dei, & terrorem insignem malis, ex consideratione æternæ damnationis. Ex ijs autem intelligimus non eundem esse interitum hominum & iumentorum, sed iustissimum illum iudicem daturum cuique secundum opera sua: sed ita, ut præcedat generalis corporum resurrectio: De qua 1. Cor. 15. Dan. 12. Iob. 14. Ezech. 37.

*Consolatio
in signis pro
bonis,
Terror ingens
pro malis.*

3. Tertiò, obseruanda in hoc Euangelio dispar iudicis sententia, secundum disparem iudicandorum conditionem. Erit enim vna absolutionis sententia, plena misericordiæ. Nam Rom. 6. Gratia autem Dei vita æterna; & plena iustitiæ: Nam, 2. Tim.

*Iudicis Christi
sententia
dispar.*

4. Apost. dicit: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, & c. dum ijs qui à dextris erunt, dicet: *Venite benedicti patris mei, &c.* Primum ad electos sermonem facit, quòd primum quoque velit omnes saluos facere, & omnes quantùm in ipso est, electos esse. 1. Tim. 1. Ezech. 18. Sed repellentibus verbum, Actor. 13. & à Deo deficientibus, eorum tandem iudex fit, in gehennam utique, qui prius venit saluare quàm iudicare. Ioan. 3. ut que doceat perditionem nostram à nobis, salutem autem à se, Osæ 13. Matth. 23. primò electos alloquitur.

Venite, ait. Quo verbo docet, vnde sit nostra felicitas, scilicet ab eo qui nos inuitat Christo, & præuenit. Apocal. 1. Qui stat ad ostium & pulsat. Nam paterfamilias mittit ad exiit viarum, vocare ad nuptias. Et Christus Matt. 11. *Venite* (ait) omnes qui laboratis, &c. Prius utiq; vocati quàm iustificati & salui facti. Quòd autem addit: *benedicti patris mei*, docet, quòd vocationem sequitur iustificatio. Rom. 9. quæ per Dei benedictionem indicatur, vnde est origo omnis boni. Iac. 1. 1. Corinth. 1. & 2. Corinth. 4. Summam igitur Deo gratiam habeamus, qui vocauit nos in operibus bonis in Christo, & consedere fecit in cælestibus. Ephes. 2. Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Roman. 9. Nam nisi misericordia tua domine adiuuisset nos, paulominus habitasset in inferno anima nostra. Nam seu fides, seu opera considerentur, omnia à Deo sunt. Fides Dei donum est, Ephes. 2. Et ipse operatur in nobis velle & perficere.

Possidete regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi. Quòd dicit paratum à constitutione mundi, prædestinationem gloriæ indicat; sed in futuro per meritum passionis Christi præparatum & oblatam. Quòd ait: *Possidere*, hæreditatem ostendit. Hæredes enim Dei, & cohæredes Christi, ut filij paternorum bonorum facti sumus. *Regnum*, addit: Quia facti sumus ipsi regnũ & sacerdotes. Apocalip. 5. Discimus igitur per hæc, quòd benedictio quidem, mandatorum cura sit: maledictio verò, præceptorum

ceptorum neglectus. Amplectamur ergo benedictionem, & u-
giamus maledictionem.

Isai. 58.

Ezech. 18.

Rationem reddit gloriæ rependendæ opera scilicet. Nam
esurini, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi potum: ho-
spes sui, & collegistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere, & ve-
nistis ad me: nudus, &c. & operuistis me. Quod enim uni ex minimis
meis fecistis, mihi fecistis, Rationem iterum reddit cur ob hæc
opera glorificentur: non quia aliquid est quod datur, sed quia
magnus est propter quem datur. Chrysof. hom. 26. in Matth.
August. serm. 49. de verbis domini.

*Non soli fidei
sed operibus,
vita æterna
tanquã mer-
ces reddetur.*

Vide ergo candide lector, nō soli fidei, sed operibus vitã æter-
nam tanquam mercedem reddi. Iudex non dicit, *Venite bene-
dicti*, &c. quia promissioni meæ credidistis, sed quia dedistis &
fecistis. Alibi etiam dicit factores saluandos, & non fidei osten-
tatores, Matth. 7. Non enim sufficet venisse ad nuptias,
quod est credidisse, teste B. Augustino: sed oportet etiam ve-
ste nuptiali ornatum esse, hoc est, charitate præditum. non
etiam sufficet lampada gestasse, & virginem esse, sed sapien-
tem esse virginem, & oleum habere tunc saluificum erit, hoc
est, credere, & charitatem fidei vnitam habere. Sic etiam bap-
tizatum esse & credidisse in illa die non saluabit, sed in fide
charitati studuisse, bonisque operibus insudasse. Malè ergo iu-
stum in omni opere bono peccare, & opera nostra non esse
meritoria apud Deum docent hæretici: non enim vult Deus
iniquitatem, nec peccatis mercedem decernit, nisi supplicium,
& ignis æmulationem, quæ consumptura est aduersarios.
Quod autem hæc sententia sit misericordiæ atque etiam iu-
stitiæ, docet ex scripturis August. Epist. 105. lib. de gratia &
& lib. arb. cap. 8. 9. & lib. contra Iulian. cap. 3.

Sap. 1.

Altera sententia erit condemnationis, plena æquitatis: quia,
quod in inferno mali pereant, non est diuini operis, sed huma-
ni: æquitas enim, inquit Fulgentius, diuina hoc exigit, cui nul-
la placet iniquitas: & plena terroris, quia ligatis manibus & pe-
dibus, proicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, stridor
dentium, & horror: vbi denique vermis impiorum non morietur,
& ignis non extinguetur, Isa. 66. Marc. 9. quia dolores
erunt acerrimi & perpetui, vbi pœnales sensus torquent ani-
mas nec extorquent: puniunt corpora damnata, nec finiunt.
Prosper de vita contemplatiua, cap. 12. contra misericordes il-
los hæreticos Origenistas qui multis olim sophismatibus ignem
illum temporalium dogmatizarunt, quasi verbum Do-
mini non sit æternum, & quasi Deus æternitas non existat,
qui contrarium hîc docet. Quod autem Dei iustitia potest
pro peccatis momentaneis & temporariis reddere æterna sup-
plicia, vide apud Diuum Augustinum, Epistol. 49. quæst. 4. de

*Dolores infer-
ni perpetui, et
æterni contra
Origenistas.*

in antiquo

Ciuitate

Ciuitate Dei lib. 21. cap. 18. 29. in Enchir. cap. 112. Hæc erit sententia contra iniustos: *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.* Stupenda sanè sententia. Nam ait, Maledicti patris. Væ enim nobis à peccatis proprijs, non à Deo Esai. 1. & Osee. 13. Paratum autem ignem diabolo ait, quod ante creatum hominem diabolus in eum sit præcipitatus.

His utique verbis cumulum pænæ in tribus ostendit. In exclusione visionis diuinæ, quæ grauior erit ipsa gehenna, imò mille gehennis: In passione ignis, quo omnis pœna designatur, Psalm. 10. In cohabitatione dæmonum, Iaco. 2. Iudicium sine misericordia fiet eis, qui non fecerunt misericordiam. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* &c. Ex opposito statuit negligentiam, bonorum operum in impijs. Est enim eorum sterilitas maledicta, ait Cyrillus, cathech. 1. Horrendum quoque est, quòd illi neq; vt scorta, neque vt latrones, neque ob aliud graue flagitium punientur, sed vt hi, qui bonum non fecerunt, Prouerbio. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit, & ipse non exaudietur. Christus enim in membris suis egens refocillatur vel negligitur.

Hac prolata sententia, ibunt ij, qui fascibus peccatorum pressi sunt, in supplicium æternum, recepturi pro diuersis criminibus diuersa supplicia. Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum: Iusti in vitam æternam, recepturi singulos denarios. Marth. 20. iuxta tamen diuersitatem meritum gloriosiores claritates & mansiones, sicut stella differt à stella in claritate, 1. Corinth. 15. & in domo patris multæ mansiones sunt, Ioan. 14. Habes hic conclusionem mercedis, quam pro discretione meritorum Deus iustis, & iniustis repensurus est.

EPILOGVS.

Præsenti lectione declaratum est nobis, qualenam sit iudicium æternum, quod credimus tam viuos quam mortuos manere, in quo iudex Christus, apud quem personarum respectus non est, cuique iuxta opera sua est retributus. Tum denum videbimus opera bona posse currere. Nihil est quod presumptuosi nostri Euangelici noui de huius vite exitu suos beatificant & alios condemnant: Iudicia Dei abyssus multa, Diabolus artifex vaser, & serpens lubricus multos decipit: Illa dies declarabit omnia. Nos Catholici vigilamus omni tempore orantes, vt digni habeamur fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis, Luc. 11.

Fides nostra
de extremo
iudicio.

Esaia 53.

Quaerite Dominum dum inueniri potest, invocare eum dum propè est,
&c. Finis Epistolæ: & prosperabitur in his ad qua misi iud.

QVVM Dominus Deus, Rex & protector omnium, nostra salus, beatitudo, & omnia sit: docemur in hac Epistola eum ab omnibus semper, vbique in omni bono instituto, in omni consilio, in omni anxietate & tribulatione, in hoc tempore accepto, dieque salutis, sedulo quarendum esse: deinde monemur, vt celsamus peccare, vt abistamus à peccatis: sed ex contrito corde verè resipiscendo, atque nouam vitam, honestâ & piam amplectendo: quod ni fecerimus, peccati remissionem, gratiamque diuinam non consequemur.

Dominus
quando que-
rendus.

Dammatorum
penitentia
sera & in-
utilis.

In omni loco
& tempore
quarendus
Deus.

Misericordia
dei singularis
erga impios
resipiscentes.

Iustitia per-
fecta.

Docet autem quatuor: 1. Primò, Veram pœnitentię formulam præscribens, hortatur nos, Quærere dominum, sed dum inueniri potest, eumque invocare, sed dum propè est, dum scilicet in corpore sumus, dum locus est pœnitentię, quia à mortuo perit confessio. Ecclesiastic. 17. Est enim & sera & inutilis damnatorum pœnitentia, quorum malitia ascendit semper, Psalm. 73. vt viuorum, licet etiam ultimo vitæ articulo opportuna & utilis est, si tamen ex fide propter Deum offensum proficiscatur: quanquam nec mala sit, quæ metu gehennę suscipitur, licet hæc altera sit imperfectior.

Est autem non certo loco tantum Deus quarendus, quia est vbique per potentiam, essentiam, iustitiam. Isa. 66. Jerem. 23. Nec certo tempore anni tantum quarendus est, quia est semper, tam nocte, id est, tempore tribulationis, quam die, id est, rebus secundis exaudire paratus, sed perpetuo quarendus: idque fide, spe, & charitate, qua sapiamus de ipso in bonitate. Si tamè, vt monet Sapiens, Sap. 1. cap. in simplicitate cordis, sine furo corde, perfecto ad ipsum curramus. Appropinquat enim appropinquantibus sibi, & apparet iis qui fidem habent in ipsum. Sapient. 1.

2. Secundò, Ne quem desperatio consequendæ remissionis peccatorum frangeret, proponit singularem Dei misericordiam: qua vti solet erga impios, qui iuxta ipsius voluntatè vias suas derelinquunt, cogitationes iniquas deserunt, opera tenebrarum abiciunt, atque veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris deponunt. Neque verò his contentus Propheeta, siquidem initium tantum est iustitię Christianæ à malis abstinuisse, non perfecta iustitia, quæ in perfectione virtutum consistit: iubet ad dominum reuerti, vt est Psalm. 33. Prohibeat liogquam suam à malo, labia eius ne loquantur dolum: diuertat à malo, inquirat pacem, & persequatur eam. Quæ nequaquam

ita dici putabimus, quasi hæc solis liberi arbitrii viribus possimus, cum sine gratia ne velle quidem bonum, tantum abest vt agere possimus: sed officij sui admonetur, vt agnita infirmitate, quarat redemptorem.

Ac nediffidas, misericordiam, bonitatem, & clementiam dei commendat, vt & Iere. cap. 3. que nunquã magis elucet, quã dum (vt ait Augustinus, serm. 16. de verbis Apostoli) prædestinavit antequam essemus, vocauit cum auersi essemus, iustificauit cum peccatores essemus, & glorificauit cum mortales essemus. Hæc enim sunt splendidissima illa promissa gratiæ noui Testamenti, quæ significantur his Prophetæ verbis, qui us pollicetur Deum fore propitium peccatis nostris. Siquidem multus est ad ignoscendum, adeo vt alienum opus facere dicatur, si quando irasci aut punire iute cogatur, Isa. 28. Aliena est enim Dei crudelitas, vt eo loco notat D. Hieron. Deus nõ iudicat more hominũ. Humana enim iudicia sic se habent, quories homo sua prodit facinora, statim rapitur ad supplicia, & vt vulgarem habet verbum, Qui fateretur, suspèditur. Contrarium verò est apud Deum: Fatentibus sua peccata indulget, abscondentes condemnat, Luc. 7. Matt. 18. Mũdus malefactores vult perire: Contra, Deus non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, Ezech. 18. Luc. 1. 2. Cor. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, &c. Ne ergo dei iudicium sic æstimemus, vt iudicium humanum & mundi, dicit Propheta dei consilia longè esse alia, atq; sunt humana. Mundus dat veniam coruis, & sua censura vexat columbas. Furunculos patibulo adiudicat, magnos prædones adorat. Facit huc quod Christus ait, Luc. 16. Quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo.

3 Tertiò, Vt maiorem ingerat consequendæ veniæ fiduciã, docet non ex ratione humana de Deo cogitandum. Non enim, inquit, cogitationes meæ sunt vt cogitationes vestræ: neque via meæ sunt vt via vestræ. Siquidem Dei sunt cogitationes pacis, & non afflictionis. Isa. 29. atque ideò parcit peccantibus, nolens mortẽ peccatoris, vt ostensum est ex Ezech. 18. Lento gradu ad vindictam properat, & expectat nos, vt misereatur nostri, Isa. 30. Hominum verò cogitationes sunt vanæ, Psalm. 93. quales de corde exeunt, Matthæi 15. quare & malos fructus producunt, scilicet, odium, iram, inuidiam, homicidia, contentiones, &c. Galat. 5. Arbor enim mala & putris, malos fructus profert, Matth. 7.

Atque hoc est quod sumpta metaphora, à rebus maximè distans, caelo & terra scilicet, significat, dum ait: Sicut exaltantur caeli à terra, sic exaltata sunt via meæ, &c. Neque enim potest vlla esse comparatio rerum humanarum ad diuina, quando finiti ad

Premissa gratia noui testamenti splendidissima quæ sunt.

Alicuñ opus quando Deus facere dicitur.

Iudicium dei aliud quàm hominum iudicium.

Ex humana ratione de deo nõ cogitandũ.

Cõparatio rerum humanarum ad diuina nulla est, sicut nec finiti ad infinitum.

infinitum nulla esse proportio queat. Malè ergo de voluntate Dei, gratia, iustificatione, prædestinatione & sacramentis, iudicant, qui vel ex philosophiæ principis, aut solo ingenij acumine differere de his impudenter audent, quando in huiusmodi voluntas, ratio atque industria humana, longè cernat hebetius, quàm oculus nocturæ lucidissimos solis radios aspiciat; quare in his certissimè est sequenda scripturæ amulsi.

*Gratia Dei
penitentia re-
ferenda, et acce-
pta bona om-
nia.*

4. Quarto, Quò certius persuadeat Deus paratum se esse recipere penitentem, cum nemo, nisi præveniente Dei gratia tactus, respicere queat, quam sub metaphora imbris significat, docet ipsam penitentiam, qua quis de peccatis suis propter Deum offensum dolet, ad sacram confessionis ancoram pro consequenda remissione accurrit, & satisfactionem sacramentalem merito & efficacia sanguinis Christi efficacem amplectitur, nõ nisi gratia Dei excitari: quemadmodum terra, quæ natura sua frigida est & sicca, nisi fecundum accipiat imbrem, qui eam perfundat, inebriet & germinare faciat, sterilis manet, qui solus incrementum dat, adeò ut is si defuerit, nullus agricolæ labor profuerit, 1. Corint. 3. Is enim est qui semen ferenti & panem comedenti præstat. Ita est & gratia ista caelestis, quæ frequenter ex auditu verbi Dei concipitur, quæ licet subinde, ut est Matth. 13. videatur cadere secus viam, aut in petrosa, aut inter spinas, ut perire potius videatur, cadit tamen etiam in terram bonam. Neque enim potest ad Deum redire vacua, sed facit quæcumque voluit Deus, & prosperatur in his quos ab æterno elegit, & prædestinavit, ut fructum gignat in alijs centesimum, in alijs sexagesimum, in alijs trigesimalum.

*Gratia Dei
imbri compa-
ratur.*

EPILOGVS.

Admoniti sumus presenti lectione, ut domino Deo seculo inferniamus & adhareamus iuxta illud Psal. Mihi adharere Deo bonum est, &c. idque simplici corde, hoc est, ne bona opera peccatis quoque misceamus, diabolo simuli & Deo seruiendo, sed ut Deo soli obsequamur bona faciendo, & ab omni peccato nos puros custodiendo. Deinde habuimus hic admonitionem, qua discamus Dominum Deum nihil unquam frivolum atque vanum dixisse, nihil unquam promississe quod irritum sit factum, sed omnia que per Prophetas prædixit, contigisse, que promisit præstitisse omnia. Quod & Iosue testatus est. d. cap. 23. Omnia quæcumque promisit Dominus, contigerunt vobis, & non perijt vel verbum unicum incassum, &c.

*Verax & si-
delis Deus in
promissis suis.*

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
PRIMAE EVANGELIUM.

*Matth. 21.
Marc. 11.
Luc. 19.*

Et cum intrasset Hierosolimam commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? &c. Finis Evangelij: Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ubique mansit.

POSTquam Hebræorum pueri magno applausu Christum receperunt, brevis Spiritus sancti tacti spiramine, Evangelium præ-

præfens pergit ostēdere, quomodo tota Hierosolymorū ciuitas obstupuerit, videns rem insolitam & tam mirabilem, mirās frequentiam, non intelligens veritatem. Hinc intendebat omnium in se excitare animos, vt ex admiratione ad inquisitionem demum ad fidem prouerentur.

Et complectitur tria.

1. Primò, Humilem & piam plebis Hierosolymitanæ de Christo confessionem, quam extorserunt, Christi sanctimonia, innocentia vitæ, virtus miraculorum, & docendi auctoritas, quæ in ipso erant longè admirabiliora, quam in aliquo vnquã fuerant Prophetarum. Hæc tamē excæcati Principes, Pharisei, Sacerdotes & Scribæ, ita continebant ac deprimebant, vt horum causa odium ipsi & inuidiam conciliarent. Atqui impossibile erat, vt admirada hæc Christi opera essent irrita, ac à fructu vacua, Isa. 55. Quare licet essent iuxta patris æterni voluntatem abscondita à sapientibus & prudentibus, Matthæi 11. (quales etiam nunc sunt, qui suæ sapientiæ sic innituntur, vt omnia rationibus humanis metiri velint, nihil fidei cōcedentes, qui in super secum, & cum suis consiliariis deliberant de verbo Dei, de ritibus, de cæremoniis ac de sacramētis, quæ pro suo arbitrio figunt ac refigunt) sunt tamen reuelata paruulis & humilibus, id est, nihil sublime de se sentientibus, suā peccata confitentibus, solum Deum sapientem ac prudētem agnoscētibus. Hi enim excæcatis huius mundi potentibus & carnalibus, corde credunt per fidem, & ore confitentur. Rom. 10. per confessionem, Christum esse verum Prophetam in mundum missum.

Sic enim habet textus Euangelicus: *Cū intrasset Iesus Hierosolymam.* Intrauit Hierosolymam, vt exinde terminanda legalia hinc exiens doceret, Hebr. 13. Deinde vt sese morti offerret, (Esaïæ 53.) victimam paschalem: Demum vt ostenderet quanto affectu prædicandum sit verbum Dei, & professio fidei asserenda, etiam in vrbe hostili, Ioan. 11. Esa. 40. Sic nec Helias, 3. Regum 17. & 18. & Eccles. 46. Nec Ioannes Baptista, Marc. 6. Nec Christus ipse hostes suos tentare desinūt, num verbum Dei sint audituri. Vtinam & nunc Ecclesiam, quæ vt Hierusalem ædificatur, intret, in ea habitet, & prædicet, prouideatque illi ex nobis viros sapientes, Exod. 18. Doctores, Ephes. 4. Et vt ciuitati grandi Niniuæ Ionam, & Babyloni Danielelem: sic Ecclesiæ suæ prædicatores pros designat. Sequitur:

Commota est vniuersa ciuitas. Meritò sanè commouebantur, videntes rem mirabilem. Homo enim laudabatur quasi Deus: sed Deus laudabatur in homine, vt ait Chrysostomus, hom. vicesima prima in Matthæum. Diuersa tamen de Christo opinionum

Confessio plebis Hierosolymitana de Christo.

Opera Christi non fuerunt inia ac fructu vacua.

opinionum ratio, huius commotionis causa erat. Et vnde etiã nunc cõmouetur vera Hierosolyma Ecclesia, nisi ex varietate dogmatum. Sic Petrus Romæ à Simone, imò omnis Ecclesia ab Artianis, Nouatianis, Apollinaribus, Macedonianis, Manichæis: & modò à Lutheranis, Calvinianis, Anabaptistis, & cæteris eiusmodi opinione variantibus, vexatur.

Porrò vt hæc Hierosolymorum commotio in præconium est futuræ eorum cladis, quòd Christo non crediderunt: discamus pacati esse ab hæresibus. Quid enim commotiones hæ, nisi ruinam prænuntiant? Sic Ioseph, lib. 20. antiq. refert sub Nerone Felice Iudææ Præsidente, seditionem pontificum in sacerdotes, eorum cladis prænuntiam fuisse. Quid præterea, nisi schismata, Israëlẽm à Iuda segregauit. Demumq; captiuitati mancipauit? *Dicens:* Alij enim Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Matt. 16. alij quia bonus est: alij quia seducit turbas, Ioan. 7. asserabant.

Quis est hic? Adeò eorum in fidelitas alludit ad primam illam patrum suorum vocem Manhu, quid est hoc: cum de Mannæ dono diffident. Exo. 16. Sonant quoque hæc verba contemptum, quasi dicerent eum abiecto vultu & vestitu, imò & parentibus, qui tamẽ plurimi æstimatur. Atqui fidelis nihil hæsitat, Iac. 1. sed credit, quia est. Heb. 11.

Populi autem dicebant. Sicut asina Prophetam, Numer. 22. ita rudis populus sapientes, & scribas instruit. *Hic est Iesus.* A nomine cum nuncupant, eodem eius munus explicãtes, Iesus quippe (vt docet Cyrillus) apud Hebræos saluatorem significat: lingua verò Græca medicum. An non quoque hic saluator, Matthæi 1. Ioan. 3. Apocal. 1. Necnon & animarum medicus, qui dixit paralytico, Mar. 9. Remittuntur tibi peccata tua: *Propheta.* Pro omnium mirabiliore hoc adducentes, quòd à captiuitatis Babylonicæ reductione pauci, & à Zorobabele nulli ad Ioannem & Christum vsque prophetæ intercesserint, vt Hiero. ad Paulinum habet. Considerabant enim Christum miracula facientem, vt Helias prædicãtem, & futura prænuntiantem, austerum quoque vt cæteri omnes, ideoq; prophetam eum vocant. *A Nazareth,* inquit, *Galilææ* respiciẽtes in prophetiam: Quoniam Nazareus vocabitur, Matth. 2.

Valuit quidem pro eo tempore plurimum huiusmodi acclamatio Iudæorum, tum quòd Iesum filium Dauid confitebantur, tum quòd Prophetam illum (scilicet Deut. 18. promissum) excipiebãt profitẽtes item è Nazareth aliquid boni posse oriri, sed inuidia plerisque eorum excæcabat, ne hoc quod viderunt viderent. Vnde audientes aliquos dicere, *Hic est Iesus* *Propheta* ille: dicunt, Nunquid Christus veniet ex Galilæa? Item Nemo vnquam Propheta ortus est è Nazareth, Ioan. 7. Nos verò plus

Inuidia excæcavit Iudeos, vt hoc quod viderunt non viderent.

plus Iudæis in eius laudem dicamus cum B. Petro & Aposto-
lis, Tu es Iesus filius Dei viui, Matth. 16. Ioan. 11. Item cum
Baptista: Hic est agnus Dei, qui aufert peccata mundi, Ioan. 1.
Matth. 1. Semen Eux caput conterens serpētis, Gen. 3. Semen
Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes Genes. 22. Gal. 3.
Hic verus & vnicus Messias, Daniel. 9. Rex & pastor Israhel,
Ezech. 34.

Exemplo igitur sint isti populo Christiano, ne tyrannide
principatuū à Christi confessione reuocentur. Si enim tacue-
runt. lapides clamabunt: videant quid Christus Matth. 10. ad-
moneat. Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c. Ma-
gis quippe Deo obedire oportet, quàm hominibus. Actor. 5.
Hinc iterum Christus dicit: Nolite timere pusillus grex: ca-
pilli enim capitis vestri omnes numerati sunt.

2 Complectitur seueram Christi Iustitiam, quam exer- *Iustitia Chri*
cet in impios Sacerdotes, & prophanos Symoniacos, tem- *sti seuera in*
pli Dei violatores, qui pietatis prætextu quæstui inferuiebant *impios templi*
suo, qua nulla est perniciosior peccandi licentia. Itaque tēplum *Dei violato-*
Dei ante omnia ingressus est, vt illud à patre institutum, ap- *tes.*
probaret: vt boni filij mores exprimeret, qui ad domum currat
patris, & illi honorem reddat: vt templum tandē deserens,
facto simul & verbis desolandū illud insinuet, Matth. 24. adeò
vt nec reparari vnquam poterit, etiam Iuliano, Græcis, & Iu-
dæis ad hoc nitentibus, quòd ignis de cælo missus sit, & ter-
ræ motus excitatus: vtque iustar boni medici templum ingres-
sus est, ad originem ægritudinis Iudæicæ intendēs, à qua illud
expurgare venerat.

Vnde zelo quodā accensus Christus hanc corrigit, dum ven-
dentes & ementes eiecit nimirū cū in tēplo innumerabiles
offerretur hostiæ, populo ex omnibus locis confluyente, ditio-
res verò tauros & agnos, pauperiores, turtures & columbas in
templum asportarent, ne qua de longe venientibus excusatio
esset. Stropho vsi sacerdotes, & numularios pro pecuniis prom-
ptas non habētibus, & vendentes animalia pro carentibus, vt in
promptu esset quod offerrent, ad templi vestibulum statuerant
qui ad vsuram commodarent omnibus. Vtrosque autem ven-
dentes nimirum & ementes eiecit. Quia quicumque de rebus
Ecclesiasticis negotiantur, siue vendant, siue emant, pari pœ-
næ subiacent, vt ex hoc loco docet Greg. Homil. 13. Et num-
mulariorum measas, & cathedras vendentium columbas sub-
uertit. Ita omnem vsuram, etiam quæ per commutationē fit,
maximè ab Ecclesiasticis, abdicabat. Et si quidē omnibus pro-
hibeatur, Leuit. 25. præsertim tamen clericis, qui si exigant à
debitoribus, aut desinant, aut deponantur. Idem sonat Canon
17. concilij Nicei. Adeò verò seuerus est dominus in vindic-
candis

candis pastorū vitis, vt nec istis substitutis nūmulariis & mercatoribus parceret: **Q**uid igitur hodiernis facturus est? Potētes potenter tormenta patientur, Sap. 6. Vā illos manet, Matt. 23. Methodius in suis reuelationibus eis multa minatur horrida.

Hoc vtiq; facto haudubiè significauit, quā grauis eos maneat pœna, qui cultus diuini prætextu, cupiditatibus suis inferant, & sacra prophanis misceant, cōfidentes in verbis mēdacijs, dicētes, Templum domini, tēplum domini, Iere. 7. speciem quidem habentes pietatis, virtutē autē eius abnegantes, quales sunt, beneficiorum fœdissimi harpyiæ, Symoniacæ labis turpissimī ministri, patrimonii pauperum inuasores, atq; bonorū crucifixi decoctores. In hos enim grauissimè animaduertet Christus, & flagello, templo illo cœlesti illos expellet.

Hoc item facto, docuit negotiationē quandoq; illicitā esse. Primò quibusdam personis, vt clericis. 2. Tim. 2. ne militans Deo, implicat se negotijs secularibus. 2. Diebus festis. Exo. 20. opus seruilē nō facietis in eo. Leuiti. 16. Sabbatū requiectionis vocatur. Num. 15. Ligna colligens in Sabbato, lapi datus est, 2. Ecl. 13. Torcularia calcare prohibetur. D. Basil. ex hac vendentium à Christo eiectione, nundinationes in celebritatibus sanctorū Christianos dedecere docet. 3. In loco sacro illicita negotiatio, Zach. 14. Non erit mercator in domo domini: & 2. Cor. 6. **Q**uæ societas Christi ad Belial? Rationem hīc reddit Christus. 4. Negotari de rebus Deo cōsecratis non licet, nec vendere præbēdas, aut altaria, nec prioratus, aut decanatus, sed nec promotionē, aut quodlibet sacramētum, vt patet ex Inno. 2. ca. 10. Si quis præbēdas. Vnde non possumus non detestari quod principes, sacerdotia, mercede conferant.

Quia autē penes sacerdotalē dignitatē, erat etiā & iudiciaria potestas, Deut. 17. Christus autē erat à Patre missus Sacerdos & iudex, idē ipse iudicis partes exercuit, nec Herodi aut Pilato, penes quos erat ciuilis magistratus auctoritas, hos templi prophanatores corrigēdos dedit, significās prophani Principis officium non esse, prætextu abusuū Ecclesiasticorum, opes & thesauros Ecclesiarū inuadere, in prophanos vsus conuertere, q̄ sine sacrilegio id fieri nequeat, etsi passim id videamus: sibi autem illam vindictā seruauit, vt olim in Heli (1. Reg. 2.) & Samuelis (1. Reg. 8.) filios grauiter animaduertit, quos tanta seueritate puniuit, vt nemo sine horrore ipsorū supplicium legat.

Zelus ille Christi nostrates hodie arguit & diiudicat, dum vendunt ea quæ gratis acceperunt. Zelum domini comedisse Christum, vides Ioan. 2. & Psal. 68. D. Hieron. cum B. Chrysostomo opus hoc zeli Christi dicunt mains esse miraculum quod edidit. Addit S. Hieron. igneum quiddā aque sydereum radiaſſe ex oculis eius, & diuinitatis maiestātē luxiſſe in ipsius

*Pōtissimum est
reformare abu-
sus, non prin-
cipum.*

*Miraculum
Christi ma-
ius.*

facie

facie, eaſque deterruiſſe Synagogæ pontifices, vt olim eorum
 maieſtas maxima fuerit, quæ ipſi Alexandro magno, atq; eiuf-
 dem cognominis Pompeio etiam ſtupori fuerat. Chriſtus ex
 hoc zelo reliquit Pontificibus exemplum reformandorum
 abuſuum. Inter abuſus verò reformatione potiſſimum indigē-
 tes, præcipuus eſt negligentia docendi, qua optimates Eccle-
 ſiæ quidvis potius agunt, quàm vt doceant, qua illis docendi
 officium ſordet, &c. vide Iſa, 56. Item reformandus abuſus al-
 taris, quo ſacramenta omnia facta ſunt venalitia. Neceſſarium
 quoque eſt templorum materialium decus reformare. Suffe-
 runt hodie talia in templis fieri, quæ nullus Conſul patere-
 tur fieri in ſenaculo, imò etiam in foro. Factæ ſunt Eccleſiæ ca-
 thedrales in Germania noſtra inferiori omnes (vnde aliarum
 decorum peti conuenit) emporia & theatra. In porticibus
 Ethnicorum, tam frequens deambulatio non fuit, atq; in no-
 ſtris Baſilicis quotidie fieri videmus. Quid quòd & lenocinia
 in templis ſunt & homicidia? Templum Chriſti in templum
 Iouis, Mariæ in Veneris dices conuerſa. Vnde puto non te-
 mere, ſed permiſſione diuina fieri, vt tēpla noſtra à factioſis ad-
 uerſariis negligantur, cōtemnantur, imò aliquādo ſpolientur,
 dituantur, exurantur & ſolo æquentur. Quod Danielis 9. &
 Matth. 24. ſatis innuitur. S. Marcus ait, Chriſtum Ieſum non
 ſuſtinuiſſe, vt aliquod vas, aut onus per tēplum Hieroſoly-
 tanum portaretur. Et nos, proh pudor, tēplum in quo corpus
 & ſanguis domini ſumitur, in quo ad menſam ſacrā quotidie
 angelorū exercitus conueniunt, tam effrontes contaminare au-
 demus, & quod omnium eſt abuſiſſimum, deſecratis & pro-
 phanatis corporibus & animabus, illud prophanamus atque
 dehoneſtamus. Vnde fit, quòd exemplo Chriſti neque templa
 Spiritus ſancti viuida, neque templa manu facta ritè colamus,
 atque ob id diſperdat vtraque Deus, 1. Cor. 3. Obſeruandum
 tamen hūc, quòd Chriſtus non templum, ſed menſas ſubuertit
 nummulariorū, docens non rem ipſam (quod aduerſarij volūt)
 tollendam, ſed abuſum corrigendum. Porro ſequitur quid in
 templo fieri conueniat. Ex ſacris literis per os Saluatoris dici-
 tur domus orationis, Iſa. 56. Hier. 7. Deo ergo in templo ſup-
 plicandum, ſed more puerorum, Matt. 18. Deus exaudit oran-
 tes in templo, 3. Reg. 8. 2. Par. 5. &c. Sed an ne tantum domus
 orationis? Nonne & gratiarum actionis, & prædicationis, & ſa-
 cramentorum adminiſtrationis? vtique: Nam orationis voca-
 bulo comprehenduntur omnia, quæ ad cultum diuinum ſpe-
 ctant, ſicut in Geſeſi inuocationis nomine, vniuerſus diuinus
 cultus appellatur, vbi Enos dicitur cepiſſe primū inuocare
 nomē domini. Geſ. 4. Et Saulus perſequebatur omnes qui in-
 uocabant nomen Ieſu, hoc eſt, qui amplectebantur fidē & re-
 ligionem

*Abuſus præ-
 cipui, qui.*

*Templorum
 decus negle-
 ctum corrigē-
 dum.*

*Res ipſa tollē-
 da nō eſt, ſed
 abuſus corri-
 gendus.
 In tēplo quid
 faciendum.*

ligionem Christianam, Act. 9. Hinc apud Luc. 19. de Christo etiam dicitur: Et erat docens quotidie in templo.

*Misericordia
Christi erga
miseros pre-
cipas.*

3 Tertiò, admirandam Christi in cæcos, claudos, & mutos complectitur gratiam miraculorum, qua eos qui laborabant ignorantia rerum diuinarum, & variis opinionibus claudicabant, curauit. Primò itaque sanat ægrotos, vt factis contestetur in obmurmurantes Pharisæos, se saluatorem aduenisse, eum scilicet, de quo Matthæus meminit, ex Zach. 9. Ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluator, &c. Deinde, vt doceat templi ministrorum, opus esse animas languètes sanare, verbo si quid difficile & ambiguum fuerit, Deut. 17. & Malach. 2. Labia sacerdotis, custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius; & Sacramentorum administratione. Nam Tertullianus, lib. de pœnitent. ex homologesin cauterio, & pœnitentiâ medicamento comparat: sicut & reliqua sacramenta, medicamenta sunt, quæ vulneribus languentis hominis, stabularius applicat, Luc. 10. Tertiò in tēplo oblatos sibi infirmos curat (ait Remigius) quòd homines non nisi in Ecclesia sanari possunt: cui data est potestas ligandi atque soluendi, Matth. 16. & 18. Ioan. 20. Potrò vt accesserunt ægroti ad Iesum, ita & nos ad ipsum, & prælatos Ecclesiæ illius, quorum dignitas maxima est, properare oportet. Nec dixeris (ait Cyrill. catech. 2.) scortatione & adulterium commisi, graua patraui scelera, idque nō semel, sed frequentissimè. Nunquid condonabit? Nunquid obliuiscetur? Audi quid dicat Psaltes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Non vincunt tua peccata multitudinē miserationum Dei. Non superant vulnera summi illius medici experientiam, fidelem modò te ipsum præbeas. Edissere medico infirmitatem tuam, &c.*

Vnde etiam hic eius agnoscere licet misericordiam, qui eos qui se totos illi credunt, secundū corpus sanat, & animam iustificat, quando eos quos ab æterno à massa perditionis separandos elegit, misericorditer vocauit in admirabile lumen suum, iustificauit, data peccatorum remissione, atque glorificauit, vt essent ciues & domestici Dei, vtque in caelesti Hierusalem iocundum illud Osanna perpetuò cum angelis Deo concinant. Hoc enim adumbrasse arbitror carmen hoc epinicion, quod paruuli, simplices, ac lactentes Christo Hierosolymam ingredienti concinebant. Hoc cum iuxta naturam inuidorum Principes Sacerdotum, & Scribæ illi inuiderent, ostendit Euangelium præfens admirandam Christi contra Scribas & Pharisæos responsonem, qua ipsorum sycophantias, adinventiones quæstuosas, techas & calumnias refutat auctoritate scripturæ, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Item Psalm. 8. *Nunquam legis, quia ex ore infantium, & lactetium perfecisti laudem?*

Puerorū epinicion quid adumbrat.

Qua

Quasi dicat iuxta Chrysoft.) Nunquid mea culpa est quia ante tot millia annorum hoc futurum propheta; rædixit Psal. 8. Infantes verò, non tam ætate quàm malitia: & lactantes de quibus Apost. Tanquam paruulis potum dedi vobis, intelligendi sunt. Perficitur autem laus, quia corde simplici & humiliter effertur. vt August. in Psalm. 8. interpretatur.

Vade eius agnoscere licet iudicium, quo iustissimè facit, vt qui vident cæci fiant, Ioan. 9. id est, Scribas & Phariseos, qui externa vitæ san. timonia, auctoritate iudiciaria, & propria iustitia fidei Christum contempserunt, & suam volentes statuerunt iustitiam, Christi iustitiæ, virtutum, ac meritorum non sunt facti participes, sed propria ipsorum malitia obdurati & excæcati, suo merito sunt relictæ, quia semper restiterunt Spiritui sancto, vt merito, ipsos cæcos ac duces cæcorum vocaret Christus.

Apologia Christi contra inimicos suos Scriba et Pharisæi sua ipsorum malitia excæcati & relictæ.

Ex hac puerorum cantione per Christum laudata & approbata, inoui videtur, eum qui discere desiderat, etiam indoctorum idiotarumque dicta despiciere nõ debere. Dei enim est, id quod dicimus, qui vbi vult spirat: Iohan. 3. qui pueris vel simplicibus hominibus & imperitis maiora sæpè quàm prophetis reuelat. Neminem ergo despiciamus. Sæpe enim & olitor est opportuna loquutus ait quidam.

Ab inobedientibus ergo ad obedientes se confert, & inter illos versatur. Nam (teste Hieron.) tantæ fuit paupertatis, & ita nulli adulatus fuerat, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullamque inueniret mansionem: Abiit in Bethaniam, relictis inimicis. Malos enim homines meliùs locum dando, quàm respondendo quis vincere potest, quia malitia sermonibus non instruitur, sed excitatur Chrysoft.

Christus Hierosolymis, nec hospitem nec mansionem inuenit. Mali homines cædendo quàm respondendo magis vincuntur. Zelus Christi erga patrem.

EPILOGVS.

Euangelica hæc historia enarrauit, quomodo Christus ex zelo quo affectus erat erga Patrem, ingressus templum, primò inde vendentes & ementes deturbauit, ibique abusus correxit, à sanctuario (sicut Ezech. 9. mandauerat) incipiens. Secundo male habentes curauit, qui tum demum, reformatione scilicet facta, optimè curantur. Tertio laudem Dei cui iudei Pharisæi derogauerunt, asseruit. Vt ergo & nos possimus dicere cum Dauid rege, Laus eius semper in ore meo, Psalm. 33. Incumbit nobis, vt vitam nostram corrigamus, templum Dei prophanatum, & meretricis corpus factum, Christo subtractum reconciliemus in specie, quia non est pulchra laus Dei in ore peccatoris, Eccles. 15. & innocentia fontem maximè decet per innocentes in astra extolli: Sic enim tandem videbimus Ecclesiam reformatam in genere vniuersam. Hoc vt fiat, saxis omnipotens Deus:

Laudem Dei asseruit Christus.

Exod. 24.

In diebus illis: Dixit Dominus ad Moſen, *Ascende ad me in montem, & eſto ibi, daboque tibi duas tabulas lapideas, &c.* Finis Epistoła: Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

EPISTOLA hæc quæ de donatione legis, & quomodo, & in quem finem data sit, agit, ostendit tria perquam necessaria dogmata.

Cura et sollicitudo Dei quã habet pro populo suo.

1. Primò, Ostendit quanta cura & sollicitudine Deus vineam electam & populum acquisitionis, ereptum de fornace ferrea, & domo seruitutis sit turatus, non solum magistratu politico quem gerebant Moſes, Iosue, & 70. seniores. Exod. 18. & Ecclesiastico, quem gerebant Aaron, Eleazar, & Tribus Leuitica, verum etiam legis custodia, quæ licet neminem ad perfectum adduceret, propter transgressionem tamè posita, ut loquitur Apostolus, erat sancta, iusta & bona, utpote à Deo profecta, qui est ipsissima sanctitas, iustitia ac bonitas. Tum etiã si ipſus finem,

Rom. 7.

ob quem à Deo est euulgata, perpendas, quem fuisse docet Apostolus charitatem de corde puro, conscientia bona, & fide nõ ficta. Quanquam enim hanc nunquam sunt consecuti Iudei, duri & incircuncisi corde & auribus ipſorum id vitio accidit, non legis: quod ostendit Deus, dum in tabulis lapideis, clangore tubarum, monte fumigante & fulgure & tonitru promulgaret. Ut enim frangeret hanc ipſorum duritiam, & conscientias ipſorum terreret, ac probaret vtrũ diligerent eum an non, ita descendit. Quod autem potissimum Moſen & Iosue voluerit huius esse ministros, eosque ad se ea de causa vocarit, significare voluit officium esse magistratus politici, leges non proprio ingenio excogitatas, sed diuinitus acceptas esse populo dandas, ac iuris ſeueritate conseruandas, Roman. 13. Digressioni locus est de officio iudicum. Amplifica, repete, & exhortare.

Finis legis chartas.

Officiũ magistratus politici de Dei lege

Bellua multorum capitũ Respub.

Reipublica administratio eget auctoritate ministrorum, Ecclesiasticorum & politicorum, Pontificum et Pastorum officium.

2. Secundò, Ostendit quòd Reipublicæ administratio eget auctoritate ministrorum. Belua enim est multorum capitum Respublica: Idèò decessurus in montem ad Dominum Moſes, magna sollicitudine præficit Aaronem, tanquã in rebus spiritualibus summum Præfectum: & Hur, cui civilium questionum decidendarum auctoritatem cessit. Pereat enim necesse est Respublica, si duo hæc, sine quibus constare nequit, fulcra corruant, nempe Religio, quæ in vero cultu rerum diuinarum consistit videlicet, verbo Dei legitimo sacramentorum vſu, & pietate quæ secundum Deum est. Est enim Pontificum, Episcoporum, pastorum, & Concionatorum, fidei quæſtiones ex præſcripto verbi Dei, diſſinitionibus Ecclesiæ & conciliorum, gladio

in radio spiritus dissecare, Deut. 17. Et iustitia, quæ bonis sua tribuit præmia, & malis sua supplicia: Quemadmodum eleganter, 2. Paral. cap. 19. præscribit Iosaphat, ubi iubet non ex affectu, sed cum timore Domini diligentia, & iustitia ius cuique administrare, idque sine cupidine munerum, Deut. 16. Exod. 13. Leuit. 19. Ecclesiastici 20.

Quod verò Moses instinctu spiritus Aaronem præfert, nec tamen diuelli ab eo vult Hur, significare voluit, præter prærogatiuam Ecclesiasticæ dignitatis concordiam, vnitatem & pacem, quæ in omni Republica esse debet inter vtrunque magistratum, qua sublata, corrumpunt res magnæ ac prorsus dilabuntur, Luc. 11. ea verò incolumi; res parvæ crescunt, auctore Salustio. Neque verò hanc coniunctionem quis ita interprete- tur, vt sacra prophætanis misceat. Iniqui enim est Senatuum prophanu velle subuertere iura Ecclesiastica, & Ecclesiasticu velle subuertere iura ciuilia vel politica. A tribus inquit Ecclesiasticus cap. 26. timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, collectionem populi, calumniã mendacem, &c. Idem cap. 25. In tribus beneplacitum spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum; amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consensientes.

*Concordia, pax
& vnitatis in-
ter omnia; ma-
gistratum esse
debet.
Salustij senten-
tia verissima.*

3. Tertio, Ostendit quomodo mons Synai, quem Apost. Gal. 4. comparat Agar in seruitute filios generans, gloria Domini illustratus, significare videtur (altius enim hic assurgere oportet, quãdo & Paulus hic allegoriam est secutus (eos, qui per gratiam Christi non tantu essent futuri legis auditores aut serui, sed factores & filij, ablato velamine. Quo fit, vt hic videamus tantum per speculum in ænigmate, 1. Corinth. 13. accepta libertate spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater, Roman. 8. quandoque transferendi ad gloriam illam celestem per Christum paratam, Ioan. 14. quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendit, Isai. 64. ubi erunt iuxta Christi promissionem æquales angelis Dei, Matth. 24. fulgentes sicut stellæ in firmamento, Daniel. 12. tecti merito sanguinis Christi, id est, beati, quia tecta, id est, deleta erunt peccata, Psal. 31. & immortales, 1. Cor. 15. sex diebus, quemadmodum hic Moses, donec die septimo, id est, iuxta B. Augustinum, ipso magni iudicij die, in resurrectione vocentur de medio caliginis, vt mortale hoc induat immortalitatem, & fiat sermo qui scriptus est: Vbi est mors victoria tua? &c. Osee. 13.

*Mons Synai
quos significet*

Interim enim sancti, licet reuelata facie gloriam Domini contemplantur, vt habet fides Catholica, desiderio tamen assumendi corporis tanguntur, atque euocari illud de medio ca-

Dies extreme-
mus cur redē-
ptionis dies
dicitur.

liginis & sepulchri petunt. Ideò Christus hunc diem, Lucæ 21. vocat diem redemptionis iustorum, Leuate, inquit, capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Interca spes gloriæ domini est Israëlitis secundum spiritum, hic videlicet adhuc pugnantibus, & credentibus per fidem, nondum per speciem cernentibus instar ignis, dum scilicet, per varias tribulationes, angustias, pressuras, & afflictiones, quibus excoquit ad purum peccati scoriã instar ignis, qui piis sit ad probationem, impiis verò ad interitum.

EPILOGVS.

Magi Fratrus
Ecclesiasticus
& politicus,
cur populo
præficiuntur.

Sollicitudo & cura Dei pro populo suo, quia legem eis tradidit, quam obseruent, viamque ostendit per quam ambulent. cui etiam præfecit magi-
stratum cum Ecclesiasticum, qui legem ipsam interpretaretur, tum politi-
cum, qui eandem legem tueretur, eiusque obseruantissimos defenderet: con-
temptores vero patris afficeret: Quales fuerunt Aaron & Eleazar, & tribus
Leuitica in rebus spiritualibus. Moses, Iosue, & septuaginta Seniores, in re-
bus civilibus aut politicis: Quod & Moses, ascensurus in montem, sedulo
fieri curauit exemplo Dei edoctus, præficiens Aaronem pontificem, qui ea que
ad religionem & ad Dei cultum spectarent, curaret: & Huius politicum, qui
res civiles tractaret, ne populus Domini esset, sicut oves absque pastore. Nu-
meri 27. Omnis enim Respub. sine his duobus consistere nequit, religione
nimirum & iustitia, que ita sibi mutuo coherere debent, ne alterum alteri
præiudicium faciat.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

EVANGELIUM.

Matth. 12.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre, &c. Finis Evangelij: Quicumque enim fuerit voluntatem patris mei qui in caelis est: ipse meus frater, soror, & mater est.

Iudicium car-
nis non intel-
ligit que sunt
Spiritus Dei.

LECTIO præfens Evangelica secundum historiã Iudæos præferim taxat, qui noluerunt credere, nisi vidissent signa, quibus etsi sæpe fuissent data signa, nihilominus tamen ipsi in suo errore, persisterunt: imò omnes infideles, hæreticos, indu-
ratosque Christianos duobus exemplis gentilium, qui tamen diuinam sapientiam amplexi sunt, quid factò opus sit, monet, alioquin diuino terret iudicio: in qua Christus agit quatuor.
1. Primò, Docet iudicium carnis odio, inuidia, & maleuo-
lencia excæcata, non intelligere quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. & 3. Quo fit, vt neglecto Dei verbo signis firmiore, 2. Pe-
tri 1. petant à Christo signa & prodigia, dicentes: Magister, aut per assentationem magistrum vocantes, sicut Esa. 2. 5. habetur:
Popule

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt: aut per derisionem, quemadmodum duo quinquagenarij Heliam, hominem Dei vocabant, 4. Reg. 1. & milites Christum colaphis cedentes, Prophetisa, inquit, nobis Christe, Matth. 27. aut per fictionem, vt eum facilius in sua teua pettrahant, sicut Ioab, vt Amasam nihil doli suspicantem, occideret, salue mi frater, inquebat, 2. Reg. 20. Et Iudas: Ave rabbi, Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. *Volumus à te signum videre. Quod scilicet excedat facultatem naturæ creatæ.*

Primò, ambitionem, & temeritatem suam ostendunt, cum dicunt: Volumus, quasi semper eorum voluntati obsequendum esset, & quisque eorum, vt Christo superior, diceret: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Demum incredulitatē suam aperiunt, qui rursus signum quærūt, cum nuper dæmoniacum sanatum, Matth. 12. puerum Centurionis, Matth. 8. leprosum in montis decliuio, multosq; alios curatos viderint. Quærunt (vt habet Hieronymus in Matth.) signum de cælo, vel in mortem Helix ignem de sublimi venire, 3. Reg. 18. vel vt olim sub Samuēle & Mose, Exod. 20. tempore astitio contra loci naturā mugire tonitrua, coruscare fulgura, nubes iuere, quasi non & hæc sicut & cætera potētix Christi opera, calumniari possent. Chrysof. oper. imperf. hom. 30. in Matt. ait, infideles omnes Phariseis similes esse, vt qui oraculis & omnibus testimoniis ab infidelitate sua non reuocentur, sed semper hæsitent.

Verum cum hæc non peterent ad fidei doctrinæ, & veritatis confirmationem, quarum causa Deus Opt. Max. non in nouo tantum, sed & veteri testamento solet hæc beneficia concedere Ecclesiæ: sicut dum lex promulgaretur, audiebantur tonitrua, micabant fulgura, tubarum clangor perstrepebat, & mons fumigabat: Quæ partim ob duritiam populi indicandam, partim ob legis conscientiam terrentis naturam significandam à deo fiebant. Sic voluit Christus Euangelij prædicationem signis confirmari, donec ea satis altas egisset radices, Marc. 16. Ideoque Paulus docet ea non fidelibus dari, qui contra spem (vt de Abraham testatur idem Apostolus Rom. 4.) in spem credunt, qui contempta vtilitate humanarum cogitationum, ad fidei altitudinem adsurgunt, & toti etiam in summa rerum desperatione constituti, ab ipso Deo dependent, sed ea docet dari infidelibus, quorum inquinata mens est & conscientia, ad Tit. 1. Quibus opertum est Euangelium Dei, quibus deus huius sæculi excæcauit mentes, vt non fulgeat eis lux Euangelij, 2. Corinth. 4. quemadmodum hi Pharisei: quo fit, vt apertissimis signis magna pernicacia resistant, proprio iudicio excæcati. Hinc factum est, quòd non solum illis petitum signum nega-

Signa data non fidelibus, sed infidelibus.

uit, verum etiam acriter propter postulationem eam increpauit, generationem eos prauam, & adulteram vocans, utq; Domino Deo instar adulteræ illudere verjta nō sit. Iudæi nanque bona ex parte Domino Deo semper contrarij sunt inuenti, lubricæ fidei, & perfidi homines, Iudaicum hoc ingenium, incufatur etiam Dominus, Deut. 32.

*seueritas Dei
erga incredulos.*

2. Secundō, Proponit seueritatem Dei erga incredulos, qui veritatem Dei in mendacio detinebant, dum ait: *Generatio mala.* Vtique mala, ut quæ se in suum Deum erexerit, eumque reliquerit, Iere. 27. Me dereliquerunt, ait dominus, fontem aquæ viuæ: qui & Deum spreuerunt, qui eos exaltarat, Isai. 1. Vnde Deute. 32. à Mose praua & adultera dicitur. Mala quoque, quæ legem Synagogam, veramque scripturarum intelligentiã obsecrare vulerit, quo nec Christus agnosceretur, ipsique liberius suis lueris & cupiditatibus indulgerent. Hinc enim est quod Ioannes ad eos clamabat, Luca 3. Genimina viperarum quis vos docuit cauere à ventura ira? & adultera, quæ à maiorū suorum virtutibus descuerit, Ioann. 8. Si veri filij Abraham fuissent, vique eius opera fecissent: quæ à prima fide, oraculis prophetarum & Messie expectatione, sic se subtraheret, ut non populus electus, nec vinea Domini diceretur: aut quod progenitores illorum etiam increduli & tentatores fuerint, ait enim Dauid Psalm. 77. Et non crediderunt in mirabilibus eius. Et Psalm. 105. Tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum: quodque frequenti idololatriæ addicti fuissent.

Signum non dabitur generationi huic prauæ, quæ semper resistit Spiritui sancto. Prophetas occidit, Match. 23. Dominumque occidit Iesum, 1. Thessal. 2. atque adultera, quia mutauit gloriam Dei in idolum, Hieremias 2. Fontem aquæ viuæ dereliquit, coluit Baal, Astaroth, omnemque nilitiam calij, 3. Regū. 12. Osee 7. Ezech. 8. & 23.

Et signum non dabitur ei. Quia non ex fide quærebāt. Postulare autem debet omnis in fide nihil hæsitans: deinde quod dolo signum exposcerent, ut sicut & cætera deluderent: vel quod nulla necessitas vrgeret miraculum fieri. Quemadmodum quoque signo Iudæos indignos esse docet Christus, ita indignus est signo, & pœna dignus, qui praua intentione Deum tentat, & quasi signa pctens Christo infert opprobria. Eo modo Iulianus Apostatæ auunculus Alexandria præfectus, cum Felice & Elpidio quaestoribus imperialibus comitatibus, magnum Antiochiæ templum diriperet, quod sacris vasis terra illis incidisset, in sacrâ quoque mensam minxisset, visceribus putrefactis interiit. Et Felix vna ex interioribus eius venis maxima disrupta, sanguine iam deficiente, simul animam euomuit. Elpidius quoque eodem mortis genere, quo Iulianus decessit. Hac

Nice-

Nicephor. lib. 10. hist. Eccl. ca. 29. Sic Optatus Milevitan. li. 2. in Donatistas, refert à Donatistis proiectam canibus Eucharistiam: eos autè rabie accensos ipsos dominos suos, vt latrones dilaniasse: proiectamq; ab eis Christum ampullam, manibus angelicis subleuatam esse. Hæc signa impijs data sunt, sed tu pœnam & iudicium quale hic dominus dandum Iudæis prædicat. Sed non potuit obliuisci misereri Christus, siquidè missus erat ad oues quæ perierunt domus Israël: proinde ne quam excusationem de peccato suo habere possent, Ioann. 15. signum promittit, scilicet, Ionæ Prophetæ, sed quòd videntes non viderent, & intelligentes non intelligerent: Quale olim etiã fuit illud de Haalma Maria Achaz regi datum, Isaia 7. Pollicetur Iona 2. autem signum propheticum, vt agnoscerent, quocum sibi negotium esset: scilicet cum Deo, qui posset occulta cordium ac renes ipsos rimari. Hierem. 17. abditissimasque ipsorum cogitationes prodere: & cum homine, qui posset iram patris æterni, à quo erat in mundum missus sua morte placare, vt merito agnoscere possent ipsum esse maiorè Iona Prophetæ, qui morte sua Christi typum tantum expressit, dum absorptus à ceto, terræ est restitutus. Quo signo fides fieret eum à Deo, missum præconem euerisionis Niniuæ. Nam & sic Seruator habuit resurrectionem post triduum, quo fides fieret eum à Deo missum præconem regni cælorum, qui prædicatione quoque sua impios Niniuitas ad veram pœnitentiam sine vllis signis adduxit, Iona 3. Er Salomone rege, qui pacifico imperio Christum adumbravit, sapientia illum expressit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi, Coloss. 2. qui etiam prudentia sermonis videtur reginam Saba ad veri Dei cognitionem adduxisse.

Signum sibi datum non in tellexerunt Iudæi.

Christus maior Iona & Salomone.

sententia damnationis terræ Iudæos iusta.

Niniuitæ & Regina Austri quemodo condemnauerunt Iudæicam generationem.

3 Tertiò, commendat iustitiam diuini iudicii, qua sententiã damnationis pronuntiat contra rebelles & incredulos Sacerdotes, Scribas & Phariseos, quorum tanta fuit contra Prophetas à Deo missos ad veritatem annuntiandam, contra Christum doctrinam suam cælestem miraculis confirmantem: atq; contra Apostolos Euangelium & sacramentorum doctrinam sanguine suo stauentes, rebello, vt manifestæ veritati semper resisterent, Act. 7. Matth. 23.

Proinde sententiam à Christo contra ipsos pronuntiantiam in die iudicii confirmabunt viri Niniuitæ, homines scilicet barbari, infideles, nullaque lege instituti, qui comminatione futuri excidij audita ab homine obscuro, & multis miraculis claro, mox tamen pœnitentiam egerunt, qua non tantum latam sententiam euaserunt, sed & peccatorum remissionem sunt consecuti.

Hinc subdit: *Viri Ninivita surgent in iudicio cum generatione ista:* quia resurgent corpore: aut resurgent causa, qui cum pœnitentiam egerint, sibi salutem thesaurizarunt. Et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Nimirum condemnatio hinc Iudæis erit, ex cõditionis illorum cum Niniuitis. Primò ratione generis: quia Iudæi gens electa, cui Deus iudicia sua manifestavit, Niniuitæ Gentiles, & Barbari. Deinde ex parte prædicantis: nam vnus Ionas incognitus & extraneus apud Niniuitas: & apud Iudæos infiniti prophetæ eiusdem nationis verba Dei habuerunt. Item ex parte prædicationis: nam Ionas Ninive tribus tantum diebus concionatus est, Iudæis continua serie, modò Patriarchæ, modò prophetæ, iudices & sacerdotes. Præterea Ionas in Ninive nulum miraculum edidit: prophetæ apud Iudæos multa. Postremò effectus quoque eos condemnabit: nam Niniuitæ crediderunt & pœnitentiam egerunt, ad vnus Ionæ vocem, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacris, Iudæi nec prophetis, nec etiam Christo crediderunt, imò omnes prophetas persecuti sunt. Idem etiam nobis Christus dicit, quod & Iudæis: Etsi enim tot concionatores Apostolos, Martyres & doctores, & post prophetas Christum etiam ipsum habuerimus, ne quidem adhuc vocem domini audimus. Prouerb. 1. Toties admonemur, verbo Dei vt pœnitentiam agamus, & negligimus: imò ipsum Christum & verbum eius contempnimus, ait S. Effrem, ideoque tot mala nos obrunt.

Confirmabit etiam eandem Regina Austri, quæ (Iosepho teste) Aethiopiæ & Aegypto imperauit, mulier imbellis, sexu fragilis, assueta deliciis: sola tamen audita fama Salomonis, tantum laboris suscepit, vt ipsum audire admiraretur, & tantum non obstupesceret ad illius sapientiam, cum tamen impii Principes, Sacerdotes: Scribæ & Pharisei Christum verum Dei filium, sese verum esse Deum & Messiam promissum diuina virtute testantem, spreuerint ac contempserint.

Hinc iterum subdit. *Regina Austri surget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam.* Q. d. Non tantum à gentili populo, & numerosa Niniuitarum multitudine condemnabimini, sed & ab vnica muliere regina, quæ vt scribitur. 3. Reg. 10. & 2. Paral. 9. de Sabea Metropoli regionis Persicæ, verit Hierosolymam auditura sapientiam Solomonis, quæ Austri regina dicitur, quod ab Hierusalem Austrum versus, situm illius esset regnum, ita tamen vt & in Orientem etiam porrigeretur. Surget io iudicio, primò corpore, deinde causa quem modo impij non dicuntur resurgere. Psalm. 1. Et condemnabit eam per comparisonem. nam omnes circumstantiæ Iudæos condemnant. Nam illa mulier, isti viri sacerdotes, & Scribæ.

Illa

1. Reg. 10.

1. Paral. 9.

Illa
ped
isti
bus
iun
&
aud
icm
re v
ra,
la fa
mif
apu
fapi
& a
arq
Auf
ex M
lora
tina
plus
I
Ion
sus
Ille
sub
feci
omn
vini
præ
stati
mar
secul
lis
na,
pit,
illec
Salc
para
voci
rum
Hie
Mar

Illa gentilis, isti Dei domestici, Illa regina multis irretita impedimentis, adeò vt sua ditionis negotijs vix satisfacere queat, isti priuatis tantùm coguntur officijs. Illa venit à terra finibus, à regione nimirum, quæ mare Persicum terminat, vbi se iungit Oceano, isti in vicino sunt, imò & in sua ciuitate & templo velut domi habebant quod audirent. Illa venit vt audiret sapientiam Salomonis, quæ maxime rebus Physicis inuictebatur, isti ne quidem sapientiam diuinam Messia audire volunt. Illa quidem cum vitæ discrimine per multa itinera, & expensis multis, isti cum securitate & vtilitate. Illa sola fama nominis Salomonis excitata, isti tot prophetijs & promissionibus ad excipiendum Messiam inducti.

Rectè ergo Iudæorum grauissimum erit iudicium, quòd apud eos tanti non fuit Euangelium Christi eiusque cælestis sapientia, quanti apud Niniuitas vnus Ionæ vnicum verbum, & apud Reginam Saba sapientia Salomonis. Niniuitæ itaque atque Regina Meridionalis plagæ, regionis nempe, Sabæ, ad Austrum sitæ, in extremo iudicio iudicabant Iudæos, hoc est, ex Niniuitatum respicientia, & Regina Sabæ sapientiæ Salomonicæ desiderio, condemnabilis apparebit Iudæorū pertinacia, atque contemptus. Rationem addit Christus, d. *Ecce plus quam Ionas, & Salomon hic.*

Id est hoc in loco vobis præfens, & non longè, à vobis. Ionas enim seruus erat, Christus dominus. Ille è Cæto egressus est, iste ab inferno. Ille inuitus prædicauit, iste sponte. Ille peregrinus erat, iste cognatus secundum carnem. Ille subuersionem prædicauit, iste regnum cælorum. Ille nullum fecit signum, iste innumera. De illo nemo prædixit, de isto omnes propheta. Præterea Niniuitæ barbari erant, Iudæi diuinis enutriti scripturis. Et illi quidem à Iona nihil audierunt, præter id tantum: Adhuc tres dies, & Niniue subuerretur, & statim crediderunt, isti verò variam à Christo ac profundissimam audierunt doctrinam, nec tamen crediderunt, imo persecuti sunt. *Salomon homo, iste Deus.* Salomon rex mortalis, iste cuius regni non erit finis. Salomon successione humana, iste æternitate diuina. Salomon sapientiam à Deo accepit, iste Dei sapientia. Salomon peccator, qui & lasciuia sese illecebris inuoluit, iste est in cuius ore non inuentus est dolus. Salomon tantum in Hierusalem, non in plateis regni Sabæ parabolas suas differebat, hic in plateis vestris & templis dat vocem suam. Prouerb. 1.

Sic & aliàs fides gentium qualis qualis, perfidia Iudæorum præfertur, Matth. 8. Luc. 7. Tyrus quoque & Sidon Hierosolymitanis, Corozainis & Bethsaidanis anteferuntur, Matth. 11. Luc. 10. Samaria quoque adeò non peccauit, atque

Iudæa, Ezechiel. 16. Denique Sodoma & Gomorra dicuntur remissius habituræ iudicium, quàm Iudæi.

En vt Christus inexcusabiles etiam nos doceat, & damnationi æternæ obnoxios, si concionatores audire, & verbum illius, quod in propatulo nobis est attendere contemnamus. Et quemadmodum ex eo quod Christus malè acceptus fuit à Iudæis, argumentum fuit eorum ruinæ: sic quando videmus pios rideri & abiici in ciuitate, argumentum eruiere poterimus eius perditionis Eccles. 10. Regnum à gente transfertur, propter iniustitiam & calumnias. Sic Sodomorum excidij signum, fuit Loth iusti oppressio, Gen. 18. 1. Per. 1. Item ad tumulum, vexatis Israëlitis, perditio Aegypti præparata fuit.

Dei et sacramentorum contemptores, eadem quæ peritinos Iudeos manet sententia.

Obseruent hæc verbi Dei & sacramentorum contemptores: hos enim, nisi respuerint, eadem manet sententia, quàm hic Christus impijs cõminatur Iudæis. Sunt enim hæc memoriæ tradita ad nostram eruditionem & exhortationem. Si iudicium condemnationis Iudæorum tantum & tale, quantum & quale putabimus & credemus fore nostrum, si exemplo Iudæorum Christo non obtemperauerimus? Quis non videat, nobis in extremo die Lacedæmonios Heroas, Socratem, Athenienses, Arcopagitas, Romanos item Quirites iustitiæ æmulos, conferebunt? O qualis confusio, ô qualis dolor tûc erit illis, qui videbunt se virtutibus ciuilibus ab Ethnicis superari! O quantus erit eorum numerus Pseudochristianorum, qui tunc per tales Ethnicos Heroas & Philosophos condemnabuntur! Secuti sunt illi lumen rationis humanæ. Accessit nobis ad lumen hoc, lux cælestis gratiæ: maximo ergo supplicio digni erimus, nisi Ethnicos omnes in omni virtutum genere superauerimus. Surgat ergo è graui fœcordiæ somno anima Christiana, caueat ne tantam negligat salutem dormitando in mortem secundam. Regiñæ Sabæ exemplo requiramus dominũ, dum, propè est: Nimuratum exemplo obaudiamus præceptori tanto, dum adhuc tempus & locus pœnitentiæ nobis superest. Têpus instat quando operari nõ licet, Iudex ante ianuam adstat. Beatus qui dum operandi tempus est, verbum Dei audit & custodit. Luc. 11.

Supplicio maxima digni erunt Christiani, nisi Ethnicos virtute superent.

Iudiciũ quàm terribile maneat relabères.

4 Quarrò, Terribuli quadam similitudine ostēdit, quàm terribile eos maneat iudicium, qui post acceptam notitiam veritatis, & pœnitentiã factam ab operibus mortuis, rursus in semetipsis crucifigunt filium Dei, & tanquam canes reuertuntur ad vomitum, Hebr. 6. 2. Per. 2. Hos enim malus ille daemon, tanquam leo rugiens, & ambulans per loca arida & inaquosa, id est, homines nullo cælestis gratiæ rore perfusos, bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus, destitutos, cum nulla verarum virtutum præsidia reperiat, circuit, quærēs vt de.

vt deuoret: & assumptis septem aliis spiritibus multò se nequioribus, huiusmodi homines vacuos, id est, vt loquitur Petrus, 2. cap. Epistolæ 2. fontes siccos, nubes sine aqua, & arbores autumnales, id est, iuxta B. Augustinum lib. de fide & operibus, cap. 2. 5. qui fidem, quam acceperunt, bonis operibus non exornant, ingressus inhabitat: quo fit, vt fiant nouissima illorum peiora prioribus. Quibus melius esset, non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti, & c. 2. Pet. 2. Nisi enim in sanctitate & iustitia ambulemus omnibus diebus nostris post acceptam notitiam veritatis, fiet, vt ista Christi comminatio nobis etiam contingat.

Sequitur parua historia de spiritali Christi cognatione. Adhuc autem eo lequente, aduenerunt cognati Iesu, comitantes matrem ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus familiaribus, qui more Hebræo fratres dicuntur, sicut patet in Abraham & Loth, Genes. cap. 13. B. Hieronymus dicit, credibile esse quendam insidiatorem malignum B. Virginem cum fratribus Domini aduocasse & adduxisse, vt Christum, qui dixerat se è caelo venisse, filium quæ Dei se esse re ipsa mendacii argueret, & præsentia mediocri (imò minimæ) sortis cognatorum, vt plebeum hominem ipsum esse euidenti argumento ex contemptu conuinceret. At Dominus docere volens minimum esse tribuendû talibus affectibus, quoties negotium agitur Evangelicum, pluris autem faciendam cognationem animotum, quàm corporum, quæ virtute, non sãr guinis propinquitate, conciliatur, quæque longè patet latiùs, nuntiãti respondit: *Quæ est mater mea, & c.* Non quòd negaret matrem & fratres, exire contempsit, cum & ipsi matri, in passione positus, maximæ sollicitudinis tribuerit affectum, sed quòd responderet insidiantì & importunanti, Si vetè, inquit, cognatos nosse vultis, qui quæ mihi sunt charissimi, spirituum affinitatem magnifico, non corporum. Hanc sibi quisque parare potest, vt per Euangelium noua natiuitas est, ita est & cognatio. Non agnoscò cognationem cuiusquam, nisi per fidem renascatur ex patre caelesti, iam quæ vt filius Germanus patri caelesti ad æterna vocanti obtemperet. Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant, qualis Paulus fuit, Galath. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, 1. Cor. 4. In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui: Isti fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Fratres eius sciamus ergo nos esse & matrem, si voluntatem patris eius implemus, vt & coheredes simus eius, qui non in sexibus, sed in factis discernit. Nec ab hac cognatione excluditur dignissima omnium beatissima Virgo, quæ verbum Dei ardentius audiuit, quæ accuratius custodiuit, & quæ plus cæteris omnibus laborauit,

*Fontes sicci,
nubes sine
aqua, & arbo
res autumnales
qui dicantur.*

Luc. 8.

Mat. 3.

*Hebraismus
est. familiares
aut cognatos
vocare fratres*

*Propinqui Iesu
veteri qui
sunt.*

2. Secundò, Docet ex persona ipsius Dei, æquitatē diuini iudicij in eo cōsistere, quòd sine merito neminem puniat. Si quidem (Augustino teste) non antè Deus est vltor, quàm sit homo peccator. Quòd verò omnes puniantur, hoc ideo fieri, quia omnes peccauerunt, Rom. 3. adeò vt si parcat, non nisi misericorditer faciat, si puniat, nō nisi iuste puniat, vt scilicet, indubitam gratiam agnoscat redemptus, & diuinam iustitiam sentiat relictus: habet enim potestatiē figulus luti facere aliud vas in honorē, aliud in contumeliā. Ideò (inquit) Omnes anima mea sunt: creatione scilicet, non merito: quasi dicat. Ergo anima & patris & filij vnam acerbam comedēs, punitur iuste, Hier. 31. Nec potest iniustitiæ argui, qui omnia quæcunq; facit, in vero iudicio facit. Ideò anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Si quidem per peccatū mors, tribulatio, angustia, fames, afflictio, corruptio & aduersitas, & si quid aliud (Apost. teste, Rom. 5. & 8.) naturā humanā occuparunt: quæ licet iustis sint exercitia virtutum, sicut impiis peccatorum supplicia: omnia tamen ex primo peccato, in quo omnes peccauerunt, originē habent, vt docet August. lib. 1. de peccat. merit. cap. 4. 5. 6. 7. de ciuit. dei, lib. 13. ca. 18. in Enchir. ca. 60. de Trinit. ca. 16. lib. 13. Et quanquā Christus nos à peccato liberarit passione, morte, sacramento regenerationis, ac fide in ipsum; reliquit tamen in natura corrupta omnes istas afflictiones, siquidē efficacia mortis Christi nō omnia in præsentī vita operatur: Sustulit enim in fidelibus electis æternæ damnationis reatum, relictis momentaneis istis afflictionibus, in gloriæ augmentum.

Tuetur itaque Deus æquitatē iudicij sui, dum ait: *Anima que peccauerit, ipsa morietur.* Si ergo nemo mundus à sordē, nec stellæ, neq; infans cuius est vnus diei vita super terrā, meritò anima quæ peccauerit, ipsa morietur, synecdochicos anima pro homine accepta. Nec filius portabit iniquitatē patris, aut ecōtra: si nempe, æternas illas pœnas intelligas. Nam tēporalibus suppliciis sæpe filij ob parentum peccata affliguntur. 2. Reg. 12. Puer Davidis ex Bethsabeæ natus affligitur atq; acerbam mortē aufertur ob peccatum eius: Vide August. lib. 3. contra Iulian. ca. 4. 5. Neq; hoc contra diuini iudicij æquitatem aut iustitiā esse putabimus, quanquā paruulos propriæ actionis nulla grauent peccata: habet enim quocum nascūtur originale, vt est. Psal. 50 Roman. 5. quod ita baptismate tollitur, vt tamen adhuc ex iustitia temporalibus pœnis sint obnoxij.

3. Tertiò, Enumeratione multarum virtutum docet hominē consequi posse verā iustitiā, vt scilicet, possit in iusto Dei iudicio cōsistere stola immortalitatis accepta, qua viuet, & nō morietur. Itaq; ostendit hic Propheta ex operatiōe virtutum, hominē non solum reputari aut haberi iustū: quia scilicet ipsi imputatur

Vltor antè Deus non est, quàm sit homo peccator. Roman. 6. Isaie 45. Ierem. 18. Anima omnes Dei sunt creatione, non merito.

Mors Christi quid in electis sustulit.

Æquitatem iudicij sui tuetur deus.

Filij sæpe temporalibus suppliciis ob parentum peccata puniuntur.

Iustitiā verā homo cōsequi potest.

putatur à patre eterno Christi iustitia, iuxta illud 1. Cor. 1. Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, redemptio, &c. Verum etiã ipsum esse reuera iustum ab inhaerente ex spiritu Christi ipsum inhabitare, & ad opera bona mouere, iustitia. Qui facit iustitiam (ait Ioan. 1. ca. 3. est iustus. Signantur enim fideles Spiritu promissionis sancto, vt fiat Dei inhabitantis templa. Itaq; ex scripturis dicimus fideles sanctos & iustos, propter inhabitantem eos spiritum sanctificationis & iustitiam, qui, quia sanctus & iustus est, sanctos & iustos facit. Est quidem ipsa natura ex vitio originis contracto immunda, Deo odibilis, cæca concupiscentia rerum noxiarum, & ignorantia rerum agendarum, vt rectè dicatur arbor mala, Matth. 7. nec posse iustificari in conspectu Dei, Psal. 142. Atqui, quod impossibile erat naturæ, sicut de lege loquitur Apostolus, Rom. 8. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustitia legitur impletur in nobis, &c.

Dicit itaque Propheta, hominem fieri iustum: Si nempe, fecerit iudicium & iustitiam in terra, hoc est, in iustificationibus Domini ambulauerit, siue uertatus fuerit irreprehensibilis, quales Lucas describit Zachariam & Elizabeth, cap. 1. Vide Psal. 17. Prou. 14. Scriptura sacra fere iudicium & iustitiam copulat, vt vtrunq; diligatur & opere præteretur, 2. Regum. 8. Psalm. 98. Isaia. 56.

Iudicium & iustitiam cui scriptura copulet.

Idololatria fere in montibus fiebat.

si in montibus non comederit, nec leuarit oculos suos ad idola domus Israel; Sap. 14. Isaia. 44. Leuit. 16. Deut. 18. Hier. 16. Idololatria tunc potissimum in montibus patrabatur, qui in libris Regum, & Paralipomenon vocantur excelsa. Fuit porissimum sita in sacrificiis, quæ Apostolus vocat idolothyta, hoc est idola sacrificata, 2. Cor. 8. de idolothyto quæ sumebant, idololatria communicabant. Ergo omne commercium cum idololatriis prohibetur fidelibus, Isa. 52. 2. Cor. 6. Hieronymus dicit hæc quadrare in hereticos, qui verè excelsa petunt, qui supra sensum commune exoticæ proferunt dogmata omnibus adoranda, qui humiliter non sentiunt, & qui Ecclesiasticam despiciunt simplicitatem. Hinc etiam relictis Ecclesiasticis cõuentibus, concionari suas tenebras, siluas dumosq; petunt, nec non montes solitarios conscendunt. Nolite ad eos exire, nolite eis credere, admonet Seruator, Matt. 24. Matc. 13. Luc. 17.

Commercium idololatriarum fidelibus prohibetur.

Heretici idololatria in excelsis sacrificantes.

si uxorem proximi sui non violarit. Si quis de huius peccati enormitate & pœna aliquid scire cupiat, consulat Moysen, Exod. 20. Deut. 15 & 22. Num. 5. Apostolum, Rom. 1. 1. Cor. 6. Eph. 5. Heb. 13. Apocal. 21. 22. Leges tabellarum auerit, mœchum in adulterio deprehensum necato: Videant sibi, quibus hodie iustus est mœchia, ne dicam gloria in confusione ipsorum.

Adulterij enormitas.

Mœchia hodie iustus est.

si ad mulierem menstruatam non accesserit: nã effrenis libido coniugum

jugum inhebetur tanquam adulterina, quia adulter est, inquit Hieronym. vxoris proprię amator ardentior, 1 Theff. 4. Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, &c. Hinc non sine causa Salomon docuit, tempus item esse abstinēdi à complexibus. Ecclesiastes 3. Tempus hoc est menstrui & puerperij.

Adulter est
propria vxor-
is ardentior
amator.

si hominem non contristauerit. vim inferendo & tyrannizando: Quo verbo prohibetur omne genus calumnię & violentię: Vide Hierem. 22. & 25. Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in vobis.

Tyrannis &
violentię
prohibetur.

si pignus debitori reddiderit, pauperculo scilicet, qui domi isthoc pignore quod tradidit, opus habet: Legis hoc decretum est, Exod. 22. Deut. 22. 24. Huiusmodi impignoratam rem ante solis occasum domum referre, aut certè mittere iubentur fideles etiam in lege Euangelica, Luc. 6.

Pignus debi-
tori reddendū.

si per vim nihil rapuerit. Nam omne genus fraudis, calumnię circuentionis, furti, rapinę, exactiōis & violentię prohibetur, Isa. 1. 2. 3. Iac. 4. &c. 5. Sed & audiatur Ethnicus Cicero, De trahere aliquid alteri, inquit, & hominē hominis incommodo suū augere commodū, magis est contra naturā, quā mors. Itē idem, Qui secundū naturā vult viuere, nunquā cōmittet, vt alienū apperat, & id quod alteri detraxerit, sibi assumat. Cōstat itaq; contra naturā esse rapere, & hominē inopem aggrauare, consequiturq; & contra naturę conditorem, & pauperum patrem & protectorem esse. Plus dicit B. Hieronymus, Epist. 34. Amico rapere quicquam, furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est: Accepisse aliquid erogandum pauperibus & esurientibus, apertissimi sceleris est: Aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat, vide 1. Cor. 5. 6.

Rapina pro-
hibetur.

Rapina com-
estatur nu-
tura & cōdi-
toti natura.

si panem suum esurienti dederit. Isa. 58. Eccles. 17. 18. Matth. 6. 1. Cor. 9. Dan. 4. Luc. 11. Obseruādum hīc quod ait, panem suum, nā non est alicuius meriti, de præda aliquid dare egens. De suo quisque dare iubetur. Pro. 3. Luc. 19. Itē obseruandū quod addit, dandum esurienti & nudo, contra eos qui liberales sunt vbi nō oportet. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

Elemosyna
de præda fa-
cta Deo in-
grata.

si nudum operuerit vestimento, Matth. 25. Nudus eram, & operuistis me, &c. Isaie 8. si ad vsuram non commodauerit. Sequitur item, Et amplius non acceperit, Psal. 17. Qui pecuniā suā nō dedit ad vsurā, Mat. 5. Mutuū suū dare nihil inde sperātes, Deu. 15. & 23. Exo. 22. Eccl. 29. si ab iniquitate auerterit manus suā: quia odio est Deo impius & impietas, Sap. 14. Eccl. 12. Aequitas nobis hic cōmēdatur in omni negotio seruāda, & ad dextera, hoc est, iniquitas interdicitur. Ab hoc malo vult nos lōgē esse effectū, nimirū & affectū. Abstinere manus, est eius mali immunē esse. Sic ait Dauid Ps. 7. Nō est inuenta iniquitas in manibus meis.

Vsura prohi-
betur.

Aequitas in
omni opere
seruanda.

Si in-

*Iudicium re-
ctum quis fa-
ciat.*

Si iudicium verum fecerit inter vinum & vitium. Deut. 16. 24. 27.
Rectum iudicium hic prescribitur. Iuste iudicare filij hominum,
ait Psalmographus, Recte iudicat, qui nullam personam curat,
non statum, rædera, non confectaneos, obsequia, conditiones,
amicitias, in anera: & quicquid id est, quo mentes humane so-
lent captari, respicit. Vtinam locus hic in senaculis & consisto-
rij omnibus fidelium scriptus, non solum legatur, sed & cordi
com mendeat & practicetur. Sequitur: *Et in præceptis meis ambulauit, & iudicia mea custodierit, ut faciat veritatem.* Ambulare in
præceptis, iudicia Dei custodire, facere veritatē, eodem coinci-
duat. Epilogus est totam lectionem comprehendens.

*Error asseren-
tium iustum
in omni opere
peccare resu-
tatur.
Pseuerantia
corona debe-
tur.*

Hæc cum eleganter interpretetur D. Hieronymus, succincta
elucidatione prolequi placuit. Illud autem obseruasse profue-
rit contra eorum sententiam, qui impudenter asserunt iustum
in omni opere peccare. Prophetam ex enumeratione omnium
istatum virtutum aliam longè conclusionem inferre, scilicet,
*Hæc qui fecerit, hic iustus est: vita viuet, & nõ morietur, si tanē in ipsa
virtutum operatione perseuerauerit: soli enim perseuerantia
debetur corona.* Si quando exciderit iustitia, iam secundū hunc
eundem prophetam, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur.
Recte ergo docet Ecclesia, opera bona mereri vitam æternā:
idque ex iustitia, sicuti mala æternā damnationē, iuxta illud,
Stipendium peccati mors, & licet addat, Gratia Dei vita æter-
na: quia secundum Augustinum Epist. 106. ex gratia fit, ut ipsa
opera faciamus: tamen Apostolus sibi non solum gratiā polli-
cetur à Domino reddendā, sed etiam mercedem pro cursu felici-
titer exantlato, 2. ad Timoth. 4.

EPILOGVS.

*Iustitia diui-
na vult, ut
vniuersusque
onus suum
portes.*

*Dominus Deus, quæ eius est iustitia, non sustinet ut dicatur in eius iu-
diciū, alios pro aliorū facinoribus plekti, iuxta hoc ethnicū: Quicquid de-
linant Reges, plektuntur Achiui: Sed sic diuine visum est iustitia, ut dica-
tur. Vniuersusque onus suū portabit. Ad hanc sententiā hodie dicitur. Neminē
pro alio quouis dānari. Postremo etiam hic opera iustificatoria enūterata
sunt parte aliqua, ut ex illis reliqua quisque colligere possit, & omnibus cer-
tum fiat, solam fidem haudquaquā iustificare. Christum quoque ad stipulatur
verbis Prophetis, Hoc fac, ait, & viues, Mat. 19. Marc. 10.*

FERIA QUINTA HEBDOMADAE
PRIMAE, EVANGELIUM.

Ioan. 8.

*Dicebat Iesus ad eos, qui crediderunt ei iudeos, si vos manseritis in ser-
mone meo, veri discipuli mei eritis, &c. Finis Evangelij: ego autem si
veritatem dico, non creditis mihi.*

IN Evangelio hoc ad perseuerantiam in fide, Christus hor-
tatur iudeos. Quemadmodum enim artifex industrius
cum

cum iacta fuerint ædificij prima exordia, laborat opus absol-
uere, nec cessat quousq; extremam ei manum imposuerit: sic
Christus videns iacta in aliquorum cordibus ex verbis suis ve-
ræ fidei fundamenta, nunc ad consummationem spiritualis æ-
dificij sola perseverantia consequendam adnititur. In quo
etiam ostendit quàm miserum reddat hominem peccatum &
peruersum: contrà, quàm felicem, benignum & obsequen-
tem iussis diuinis gratia; & continet tria, omnibus per quàm
necessaria.

1. Primò, Quomodo vera libertas parari possit, dum ait: si
manseritis in sermone meo. Q. d. Parum est sermonem meum au-
ribus hausisse, & ad tempus seruasse: nam multi sermonē meū
audierunt, & tamen retrò abierunt, Ioan. 6. Quid autē prodest
durum subiisse certamen, si animo fracto, tandem hosti manus
tradamus? non incipientibus, sed perseverantibus salus promit-
titur. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & aspiciens
retrò, aptus est regno dei, Luc. 9. Memores estote vxoris Loth,
quæ conuertà retrò, in statuā salis est mutata, Gen. 19. Luc. 17.
Proinde nolite vobis blandiri quod sermonē meum audieritis:
nisi enim in ipso permāseritis, nihil proderit vobis. Non enim
auditores legis iusti sunt, sed factores. Rom. 2. Manet autem in
sermone & verbo Dei, quod potest saluare animas nostras, Iac.
1. Quisquis ei per fidem adhæret contra omnes vel hæretico-
rum, vel gentilium cauillationes, vel etiam contra quascunque
tentationes: item quisquis opere exercere studet, quod audit &
credit, Mat. 7. Auditur autē hoc verbū auribus externis, quādo
solo tinnitu verborum aures feriuntur, sine villo motu Spiritus
sancti: quod profus frustra & inutiliter fit: quia non audito-
res legis iusti sunt apud Deum, Roman. 2. Si enim quis audi-
tor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti
vultum, &c. Iaco. 1.

Auditur item auribus internis, quando occulta reuelatione
Spiritus sancti animi secreta pāduntur, vt veritas verbi admit-
tatur, Isaia 50. Mane erigit mihi aurem, vt audiam eum quasi
magistrum: & Psalm. 84. Audiam quid loquatur in me domi-
nus, &c. & Deut. 13. 27. 1. Reg. 12. Et Ioan. 6. Omnis qui au-
diuit à patre, & didicit, venit ad me. Et hoc auditu cessat in
homine cæcitas & obduratio mētis. Psalm. 94. Hodie si vocem
eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Itaq; hoc auditu
amplissimam illam consequemur, quam hic Christus promit-
tit, promissionē, scilicet, vt simus verē ipsius discipuli, qui non
ex sola fide discernuntur, siquidem præter hanc, & alias notas
dedit Christus, quibus possent dignosci veri & falsi discipuli.
Veri cognoscuntur fide: *Si manseritis in sermone meo*, id est, si verē
credideritis, quia ego sum, &c. spe, quæ eos non confundit,
quia

*Manere in ser-
mone Christi
quid sit.*

*Sermo dei va-
rè auditur.*

*Veri discipulū
à falsis digno-
scuntur, fide,
spe, & cha-
ritate.*

quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. sed patienter expectans & charitate. In hoc cognoscet omnes quod verè discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis ad inuicem, Ioan. 13. Matth. 10. Qui amat patrem suum aut matrem suam plusquam me, non est me dignus. Falsi verò per hoc cognoscuntur, quia felici tempore credunt, & aduerso recedunt, Lucæ 8. qui deniq; verbis fatentur se nosse Deum, factis negant, Tit. 1. De falsis agit Ioan. 1. cano. cap. 2. E nobis exierunt, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniã non sunt omnes ex nobis.

Veritatis cognitio qua promittitur, quales sit.

Deinde hanc consequemur promissionem, ut cognoscamus veritatem, primò, fidei, id est, Christum, Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam, Ioan. 18. Christus enim nõ cognoscitur ex externa specie, sed ex verbo suo, Ioan. 5. Secundò, vitæ, qua deponentes mendacium, loquimur veritatem cum proximo, ambulando in sanctitate & iustitia, non solum coram hominibus, sed corã Deo omnibus diebus vitæ nostræ, Lucæ 1. Tertio, doctrinæ: Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit, Ioan. 7. Quasi etiam dicat, Aliis in varios errores prolabantibus, in sermone meo permanentes, cognoscet veritatem, quæ eos errare non sinet. Tandem cognoscet veritatem, ipsum, scilicet fontem veritatis in futuro, super benedictam Trinitatem, quæ nunc per speculum in ænigmate videtur.

Libertas Christiana, qua sit & in quibus consistat.

2. Secundò, Continet quæ sit Christiana libertas, dum ait: *Veritas liberabit vos.* id est, liberos vos reddet, scilicet à peccato, quod inuidia diaboli intrauit in orbè terrarū, & sua tyrannide omnes ita oppressit, ut nemo sit mundus à sorde, nõ infans quidem, cuius est vnus diei vita super terrã: Quod per vnum hominẽ in hunc mundũ intrauit, in quo omnes peccauerũt, Ro. 5. à quo sola liberat indebita gratia cõditoris, iuxta B. August.

A corruptione, scilicet, merito peccati inflicta naturæ. Græue enim iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, &c. Eccle. 40. quo fit, ut corpus quod corrumpitur, aggrauet animã, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, Sap. 9. Hæc iuxta August. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 3. non peccati causa, sed pœna: ex qua & ceteræ nascuntur infirmitates, quibus subiicitur natura nostra. Ipsa enim creatura vanitati subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, donec liberetur à seruitute corruptionis, Roman. octauo.

A miseria, quam omnes experimur, dum sentimus aliam legem in membris nostris captiuantem nos in lege peccati, qua
fit ut

fit ut quod adiacet velle bonum perficere non possimus: Adeo
 ut etiam sanctissimus exclamet Apost. Infelix ego homo, quis
 me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. Ac sibi ipsi re-
 spondens, veram huius loci interpretationem afferens, ait: Gra-
 tia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Et quid ma-
 ius promitti potuisset? Nec vana pollicitatio est, id quod vide-
 mus in Apostolis, qui cum Christo permanentes in tentationi-
 bus eius, Lucae 22. acceperunt Spiritum sanctum, qui eos docuit
 omnem veritatem, Ioan. 16. eosq; liberauit ab erroribus vni-
 uersis, ab omnibus quæ in mundo sunt concupiscentiis, à timo-
 re mortis, à timore inimici, à misera illa seruitute peccati, tan-
 demque in perfectione libertatis constituit: de qua Paulus Ro-
 ma. 8. Quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis,
 in libertatem gloriae filiorum Dei.

Errant ergo toto caelo, qui putant Christum hoc loco omnem
 libertatem fidelibus permisisse, ut magistratui Ecclesiastico, ac
 politico, qui à Deo Ecclesiae est institutus, obedientiam deuen-
 gent. Siquidem omnis potestas, & Pontificia, de qua, Lucae 10.
 Qui vos au dit, me audit, &c. & Matth. 18. Si ecclesiam non au-
 dierit, sit tibi, &c. & Regia, de qua Roman. 13. Non sine causa
 Rex gladium portat. Item vis non timere potestatem, &c. & tum regia à
 1. Reg. 8. 1. Petr. 2. Siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus,
 &c. subditi estote, à Deo est, & qui potestati resistit, Dei ordi-
 nationem acquirit, Rom. 13.

Promittit itaque Christus non libertatem quæ sit velamen
 malitiæ, 1. Petr. 2. & carnis, qua scilicet, proni in omne nefas iua-
 mus, iuxta Paulum: Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum
 ne libertatem in occasionem carnis detis, Gala. 5. Sed per cha-
 ritatem spiritus seruire inuicem: pugnant enim
 inter se hæc duo (quæ imperiti Anabaptistæ non discernunt)
 videlicet, carnis & spiritus libertas. Nam carnis libertas, libera
 à iustitia, peccato seruiens, filios iræ & damnationis constituit,
 & captiuos sub lege peccati. Qui enim facit peccatum, seruus est pec-
 cati. Huiusmodi liber vocatur iustitiæ, quia iustitia caret: Liber-
 tas verò spiritus libera à peccato, seruit iustitiæ, Ro. 6. Liberati
 à peccato, serui facti estis iustitiæ. Filios iræ, efficit filios adop-
 tionis, hæredes Dei & cohæredes Christi. Rom. 8. Gal. 4.

Responderunt Indei, Semè Abrahæ sumus & nemini seruiuimus unquam,
 &c. Monuerat Christus ut in sermone suo manerent, indica-
 uerat qui veri essent discipuli eius, deniq; promiserat veritatis
 cognitionem: ipsi tamen hæc omnia dissimulabant, se audisse,
 & tantum arripiunt, quod de libertate dixerat. nimirum car-
 nis libertatem amantes & quærentes. Sic plerunq; carnalis ho-
 mo, etiã si multa spiritualia audiat, nihil mouetur: si autem

Error liberti-
 notum cæcæ.

Potestas cum
 Pontificia,
 & tum regia à
 Deo est.

Libertas spi-
 ritus & car-
 nis inter se
 pugnant &
 differunt.

vel vnum verbum audiat, quod carnali suo affectui adblan-
ditur, hoc auidè recipit, & mordicus retinet. Deinde ex hoc ver-
bo declarat quanta sit superbia cordis humani. Quàuis enim
Iudæi illi longè lateque abessent à perfectione ipsius Abraham,
iamque ipso facto sub iugo Romanorum essent vt verè dicere
possent illud Isā. 63. Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit
nos: & illud ca. 64. Facti sumus immundi omnes nos. &c.
nolunt tamè ea confiteri, quin potius de vtroque contra cōscien-
tiam suam gloriantur. Hæc est hominis carnalis superbia. Sic
impij tantum de externis gloriantur, de nobilitate generis, &
libertate externa. Atqui hæc non est vera gloriatio. Quid, enim
prodest si genere sis nobilis, factis autem ignobilis? Itemque
si homini non sis subiectus, cum tamen seruus sis vitiorum. Est
autem exultatio talis maligna. &c. Iac. 4. Non ergo glorietur
sapiens in sapientia sua, nec diues in diuitiis suis. &c. Iere. 9.

*Miseria, quã
Peccati tyran-
nis affert.*

3 Tertiò, Continet Euangelium hodiernum quæ sit miseria,
quam peccati tyrannis affert: cum enim Iudæi impudenti men-
dacio negassent sese vnquam seruiuisse, cum toties victi Aegy-
ptiis Babyloniis, Chaldæis seruissent, vt ex historiis facile est
videre. Christus docens se, non de corporea illa seruitute loqui,
quæ consistere cū libertate spiritus potest, vt ostēdunt Ioseph,
Daniel, aliiq; innumeri, ostēdit generali isthoc axiomate om-
nem peccatorem esse seruum. Siquidem illi peccatū domina-
tur, quod prohibet Apost. Rom. 6. d. non ergo regnet peccatū
in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.

*Peccator om-
nis seruus est.*

Mundus quippe gravem seruitutē esse iudicat, si quis ex an-
cilla nascatur, aut in bello capiatur, aut seipsum in alterius po-
restatem iure civili vendat, aut carcere captiuus claudatur. &c.
Verum hæc non est vera captiuitas aut seruitus. Plerique enim
talium & si corpore serui erant, animum tamen habuerunt li-
berum, imò multi talium etiam externè serui, libertatē tamen
filiorum Dei simul habuerunt. Apud Deum enim, neque seruus
neque liber. &c. Gal. 3. Vera autem seruitus vel captiuitas est, si
quis fuerit sub tyrannide peccati & satanæ. Quamuis enim pec-
care nihil minus videatur quam seruitutē seruire, verissimè ta-
men dictum est: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

*Peccatū facere
quis dicitur.*

Dicitur autem facere peccatū, qui iuxta Iacobum à propria
concupiscentia contra Dei legem illectus & abstractus, dicto,
facto, ac voluntate liberè illud agit, nulla scilicet impellente fa-
tali necessitate. Peccatum enim adeò est voluntarium, vt si non
sit voluntarium, iam non sit peccatum nec seruum constituat,
qui stipendium peccato debitum mereatur, Rom. 6.

Quanta tamen tyrannide peccatum in homine dominetur,
experientiã ipsa docet avaritia peccati genus est, quæ si in ho-
mine emergerit, quid nõ cogat? animum nunquam sinit quie-
tum,

quietum, noctes cogit in somnes ducere. Et quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ambitio, luxus, inuidia, &c. si in homine erumpant, quanta tyrannide dominantur? Cogunt ex alieno præscripto vivere, mentiri, adulari, sycophantam agere, & denique quid non, vt interim taceam, quod hominem etiam in æternam damnationem coniciant. Verè dictum est. 2. Pet. 2. A quo quis superatus est, eius & seruus est. Item. Ro. 6. Cui accommodastis vos ipsos ad seruiendum, eius serui estis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ, ad iustitiam. Hoc igitur verbo ostēdit Christus nos omnes peccati & mortis esse captiuos. Hæc est enim hæreditas Adæ in omnes filios eius, de quo vide Paulum Rom. 5. Deinde hoc verbo arguit Iudæorum cæcitate, vt qui tantum attenderent externam libertatem vel seruitutem, non autem interna & spiritalia, quæ tamen sine compactione maiora sunt. Nam qui facit peccatum, non vni Domino subiicitur sed pluribus. Statim enim in eum ius & dominium habeat mors, afflictio, infernus, atque ipse Satan: Hæc enim sunt stipendia peccati. Ius autem mortis est occidere: ius afflictionum, est molestia afficere: ius satanæ est perdere. Clarè igitur patet, quantum hæc seruitus excellat mundanam illam seruitutem, imò maior seruitus excogitari non potest, quàm seruitus peccati. Nam quicumque hac seruitute tenetur, nihil potest libro animo facere, nullam habet pacem conscientiæ, nullam ducit requiem, etiam si corpore liberimus sit. Non est pax impiis dicit dominus Isa. 48.

Dispar autem est conditio serui & filij: Quia seruus non *Filius & serui* manet in domo in æternum. Timore tantum agit, & spe mercedis, cum tantum habeat spiritum seruitutis, in timore. *dispar conditio.*

Domus autē Dei in hoc sæculo est Ecclesia Dei, de qua David Psal. 25. Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. In altero sæculo domus Dei, vita, & gloria æterna est, de qua iterum Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua domine, &c. Item Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Ab utraque autem seruus peccati eijcitur. Primò enim etsi secundum loci qualitatem & oculos hominum in Ecclesia conuerseretur, in oculis tamē Dei ab Ecclesia vt putridum membrum resectus, in futuro etiam visibiliter segregabitur, quando exhibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, &c. Matth. 13. Deinde etiam a posteriori domo, hoc est cælo excludetur. Illuc enim nihil coinquinatū intrabit, iuxta verbū Davidis Psal. 5. Nō habitabit iuxta re malignus, nec permanebunt iniusti ante oculos tuos. Vides igitur quam perniciofa res sit peccati esse seruum.

Filius autē manet in domo in æternū: quia accepit spiritum adoptionis filiorum Dei, regeneratus non semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei, 1. Pet. 4. Dedit enim eis

filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, Ioan. 1. Gal. 3. Omnes autem filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu,

Filius quoniam hæres est, & Dominus domus, perpetuum habet ius in domo: nec solum ipse verè liber est ab omni seruitute, verum etiam alios potest libertate donare, Christus autem filius Dei est, & ideo hæres & dominus domus, denique & ab omni seruitute liber est. Ipse enim solus inter mortuos liber est. Psal. 87. solusque dicere potest: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Ideo & veram libertatem conferre potest Gal. 4.

Concludit itaque Christus, gratiam redemptionis, qua à seruitute ac dura peccati tyrannide liberantur, quotquot sunt occulta Dei sapientia præordinati ad vitam, non liberandos vi & energia legis: Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus esset: non operibus liberi arbitrij: quia & si per naturam iustitia, inquit Augustinus lib. de gratia & lib. arbit. ca. 13. ergo Christus gratis mortuus esset: imaginaria est enim omnis libertas, quæ aliundè quàn per Christum obtinetur. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, Rom. 8. restituens eam libertatem quam peccato amiseramus. Christus ergo filius Dei, sicut adoptionem filiorum Dei pro inenarrabili sua benignitate communicat, ita & verè libertatis gratiam nobis præstat.

Libertas omnis qua aliunde quam per Christum patatur, imaginaria est

EPILOGVS.

Leſſiopræſens oſtendit, quòd Chriſtus filius Dei, ſicut adoptionem filiorum Dei pro inenarrabili ſua benignitate comunicat, ita & verè libertatis gratiam nobis præſtat. Quia enim omnes homines ſeruituti obnoxij erant, nec quiſquam eorum alios eripere poterat, deſcendit filius Dei de calo, & homo factus, ſua cruce, morte & reſurrectione nos liberauit à iure peccati, ne nos occidat à iure mortis, ne nos damnet: à iure afflictionum, ne nos moleſtia afficiat: à iure Satana, ne nos perdat: & reſtituit nos iuſtitia, gaudio, vite, & Deo. Non quidem omnino abſtulit peccatum, mortem, afflictiones, &c. Hac enim non auferuntur extrinſecus à credente: In mundo, inquit, preſſuram habebitis, Ioan. 16. Similiter omnes moriuntur: Præterea credentes ſapenmero in ignes inferni coniciuntur, vt Dauid, Iob, Non igitur nos liberat Chriſtus à ſenſu horum malorum, donec venerit nouiſſimus ille dies, Apoc. 21. ſed liberat nos à iure, et dominio ipſorum, & adimit eis aculeum quo omnes homines peribant. Hinc in Oſee 13. De manu mortis liberabo eos. &c. Et Apoſt. I. Corinth. 5. Vbi eſt mors aculeus tuus? &c. Sentimus quidem afflictiones, ſed non perimus, occidimur, ſed non morimur, perſecutionem patimur, ſed non deſtituimur. 2. Cor. 4. Videmur quidem ſiſtes, ſemper tamen ſumus gaudentes: caſtigati, ſed non mortificati.

2. Cor. 6. Hic igitur videmus quam necessarius sit nobis Christus. Quem enim ipse Christus liberum facit, is verè liber est, etiam si ex ancilla natus sit. Qui autem per Christum non fuerit in libertate collocatus, is verè mancipium est crudelissimorum dominorum, etiam si fuerit à nobilissimis ac liberis parentibus prognatus. Deinde edocti sumus hic, quod vera libertas non in hoc consistit, ut nulli subiecti simus, ac facere possimus, quicquid libet, sed ut à iure peccati & mortis liberi simus. Huic libertati seruitus corporalis non obstat, nec impedit. Apud Deum enim, neque seruus neque liber, Galat. 3.

Christus quæ
necessarius ne
bis.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE PRIMAE
QUADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris, &c. Finis Epistolæ: vita uiuet & non morietur.

Ezech. 18.
Dent. 14.
4. Reg. 4.
2. Par. 25.

IN lectione præsentis pergit Propheta impium prouerbium diluere, de quo supra facta est mentio: Patres comederunt uiam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Impium hoc prouerbium grauissimo locupletique argumento confutat & ostendit, nullum alterius damnari peccato, sed suum quatenus exoluere debitum: Et facit in hac Epistola præfertim tria.

1. Primò, Ostendit Dei singularem iustitiam, qua pollicetur filium non portaturum iniquitatem patris, nec patrem iniquitatem filij. Nam, inquit Propheta, Iustitia erit super iustum. Ostendit & singularem Dei misericordiam, qua pollicetur impio, si pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis, & custodierit vniuersa præcepta, peccatorum remissionem. Nam, inquit Propheta, Impietas erit super impium. Ergo sicut peccatis debetur mors. Iac. 1. ita iustitiæ vita, Rom. 6. 2. Timoth. 4. Nec propterea gratiam deprimimus, quando omnis nostra iustitia ex præuenientis Dei gratia profluit. Nam, ut vera fides habet, sine Christo nihil possumus facere, Iohan. 15. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis. 2. Corinth. 3. Non possumus venire ad patrem, Iohan. 6. Non denique nisi ad peccandum sine ipso ualemus, August. lib. 3. cap. 8. contra duas Epist. Pelagia. Illo verò gratia sua nos præueniente, & per spiritum suum excitante nos, & præparante opera bona, ut in ipsis ambulemus, Ephes. 1. fit ut vitam æternam mereantur iusti, tantum abest ut in quouis opere bono peccent.

Iustitia Dei
singularis &
misericordia
ostenditur.

Quia verò nulla potest esse hominis iustitia ubi dominatur iniquitas, hortatur impium ad veram cordis conversionem ac pœnitentiam, quam non constituit solum in humilitate confessionis, sed in renouatione hominis interioris, quæ peccatorum ex diuina inspiratione correcto, & malum displicet quod amauit, & bonum placet quod odiuit. Atque ideò, iuxta Gregor. malè illi pœnitent, qui se de nequitia criminis accusant,

Conuersio ue-
ra & pœni-
tentia in quo
consistat.

Præpostere
pœnitentes.

& prauitatem non corrigunt voluntatis. Vtrumque enim vera iustitia requirit, hoc est, pœnitentiam ab omnibus peccatis & obedientiam vniuersæ legis. Hinc ait, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.* Deinde addit: *& custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam.* &c. Hæc scriptura, scriptura fulcitur. Dauid dicit Psal. 30. *Declina à malo & fac bonum.* Declinare à malo, est pœnitens odio peccati ad iustitiam conuerti. Facere bonum est obedire. Hoc vult etiam Apost. Ro. 12. vbi ait, *Odio habentes malum, & adhærentes ei quod bonum est.* Siquidem nefas est dimidâ sperare salutem, aut ita iustitiam colere, vt vtroque claudices pede. Idcirco vniuersa præcepta impleri iubet: siquidem in vno qui offenderit, factus est omnium reus: quia iuxta August. reus fit omniû, qui aliquid contra charitatem agit, in qua tota lex pendet & Prophetæ, August. Epist. 29. Sic etiam Innocentius, serm. 1. Dominicæ tertiæ Quadragesimæ.

Declinare à malo & facere bonum quid sit.

Salutē dimidiam sperare nefas est.

Bonitas Dei ad pœnitentiā nos inuitat.

Sic culpam et pœnā remittit Deus, vt pœnam æternam mutet in temporalem.

Vtilitas pœnitentiæ.

2. Secundò, Hortatur ad vitæ melioris propositum ex consideratione diuinæ bonitatis, qua non solum peccatores recipit, verum etiam vt respiciant efficit, concessa misericorditer dispensantia peccati, & desiderio rerum diuinarum. Sic enim respicientibus ita miseretur, vt iuxta Prophetam, omnium præcedentium iniquitatum non recordetur: nimirum quo ad pœnam æterni exilij, ac exhæredationis. Culpa enim quæ ex natura sua pœnam meretur æternam, ex misericordia redemptoris cuius sanguis emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, accedente legitimo sacramentorum vsu, cum pœna æterna deletur, atque (vt docent scripturæ, 2. Reg. 12. & 16.) immutatur in momentaneas & temporales. Sic olim sanctissimis illis quibus gratis condonabat peccata: nempe Mosis, Aaroni, Mariæ sorori Mosis, & Dauidi, qui gravibus flagitiis iram diuinam fuerant meriti, post peccata remissa gravissimas pœnas immisit, Psalm. 98. Sic enim non recordari dicitur, quia nō statuit amplius æterna pœna punire, nec imputare, Psal. 31. & 88. Neque verò id cum ipsis aut iustitia aut misericordia pugnat quod remissis peccatis visitet in virga iniquitates, & in verberibus peccata; ita tamen vt misericordiam suam non auferat: omnis enim huiusmodi correptio, licet amara, pœnitentiam operatur in salutem stabilem, Heb. 12.

Deinde vt ostendat quid vel commodi vel utilitatis huiusmodi pariat pœnitentia, subiungit Propheta, *In iustitia sua quam operatus est vinet.* Quomodo ergo dicit Apostolus, vt irueniat in illo non habens meam iustitiā? Philip. 3. Sed non pugnat cum Propheta Paulus. Siquidem Paulus de illa loquitur, quam staturbant ij qui sine Christo saluari volebant, ex solis scilicet, si liberi arbitrij viribus, & legis cognitione acquisitam: Propheta

verò,

verò, de illa quæ ex fide est & gratia spiritus parta. Ergo Christiani hominis iustitia est vitæ aternæ meritoria.

Ex his omnibus satis liquescit vias Dei & vias huius mundi, sibi in immensum distare. Mūdus ait, Remittā, sed recordabor. Deus, Omnium iniquitatum eius non recordabor. Idē Hier. 31. quod Apost. quoq; pulchrè in nouū deriuat testamentum. Sed & Isa. 1. dicit, Absistite à peccatis, discite benefacere, Sequitur: *Si peccata vestra vt cruor fuerint atra, vt nix candida fient.* Itē Si obedieritis mihi, bona terræ comedetis. Deinde mundus etiā parcere recusat. Domini verò proprium est, parcere semper & misereri. Mundi ingenium est, statim de inimicis sumere supplicium, pœnis afficere, &c. Dei verò est condonare.

Præterea hortatur ad melioris vitæ propositum ex consideratione diuinæ clementiæ, dum testatur, Deum nolle mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat. Quæ profus Euan gelica doctrina, vt desperationem & diffidentiam, quam facile solet peccator ex consideratione iniquitatum concipere, tollit; ita tremori nostro & spem & fiduciam suggerit, vt scilicet, cum fiducia accedamus ad thronū gratiæ, vt misericordiam inuenire possimus, Hebr. 4. Sed ita demum certam experiemur hanc spem si permanemus in fide fundati & stabiles, Coloss. 1. Hic item videmus quæ sit mens Dei: Iustitiam diligit & misericordiam vult. Mortem peccatoris non vult, nec tamen ad aliam atque aliam iniquitatem illi parcat, sed vt conuertatur & viuat.

Apostolus quoque ait, 1. Tim. 2. Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Petrus quoque ait, 2. cap. 3. quod Deus patiens sit erga nos, dum non vult vltos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Exemplum eius loci vides, Gen. 18. Vbi tot milibus Sodomitarum & Gomorrhæorum propter Abrahæ preces paratus erat parcere, si saltem decem innocentes in ciuitatibus illis essent reperti. Et Dominus Iesus fleuit super ciuitatem, quod non agnouisset tempus visitationis suæ, Luc. 19. Deniq; sat temporis dedit ad pœnitentiam Iudæis crucifixoribus suis, vt per dignam pœnitentiam, Dei patris horribilem à se amouerūt indignationem, Act. 2. 3. 4. Hinc in eodem cap. immediatè post hanc lectionem iterum ait sibi non esse voluptati, si pereat peccator: Sed & subdit continuo, Convertimini, & agite pœnitentiam, &c.

Si verò quæretur, cur hæc Dei voluntas, qua vult omnes homines saluos fieri, & eius potestas, qua potest de potentia absoluta omnes seruare, non semper impleatur, cum indies multi peccatores, & quotquot prædestinati non sunt relinquatur? Hic opus est distinctione illa communi qua voluntas Dei distinguitur in voluntatem signi & beneplaciti. Quarum hæc non semper impletur propter libertatē voluntatis humanæ, Isai. 66.

Voluntas Dei & mundi longe differunt. Hebr. 8.

Clementia Dei pœnitentiam verā à nobis requirit.

Mens Dei qua sit.

Voluntas Dei duplex.

Quæ nolui, egistis, Act. 7. Vos semper resististis Spiritui S. & e. quæ solum vocatur voluntas per metonymiam, quæ media proponit, quibus illa à nobis possit impleri: illa verò semper impletur, quia eadem cū ipsius essentia creditur, cui nullus resistere potest: quia omnia quæcunque voluit fecit, Psal. 113.

*Securitatem
nemo sibi pol-
liceri debet.*

3 Tertiò, Ne qui semel sunt iustificati, temeraria persuasione securitatem sibi pollicerentur, ostendit iustum quando à iustitia sese auerterit, & iniquitatem fecerit secundum omnes abominaciones, quod humanæ voluntatis volubilitate facilè accidit, si gratia Dei desit, qua tentationi resistitur, non victurum, quia per antithesim virtutem opponit vitium, & vitam morti. Ergo si virtus vitam æternam merebatur, & impius relapsus gratiam inuenit, omnino vitium mortem tanquã stipendium accipiet, & iustus desipiens iram in se Dei prouocabit, vt omnes iustitiæ eius quas fecit non recorderentur, ac in præuacatione qua præuacatus est, in ipsa moriatur. Non quòd vlla cadere in Deū possit obliuio, cui tã præterita, quàm futura omnia semper sunt præsentia, sed quia non statuit illis coronam reddere. Subsequens enim impietas, illarum sustulit dignitatē & meritum: ac iuxta Eccles. 11. cap. Si ad Austrum aut Aquilonem ceciderit lignū, ibi erit. Vltimã namque in homine voluntatē Deus dignatur, aut æterna gloria, aut æterno supplicio. Et si enim præter æquitatem esse videatur, quòd momentanea impietas æterno puniatur supplicio, tamen si rem recta ratione metiamur, vt eleganter habet Augustinus. Epist. 49. quæst. 4. quia æternam voluit impius habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inuenit seueritatem.

*Obliuio non
eadis in Deū.*

*Voluntatē vl-
timã dignatur
Deus aut æter-
na gloria, aut
æterno suppli-
cio.*

*Æterna mors
iustissima Dei
punitio.*

Concludit itaque Propheta contra impios, qui Dei arguebant iudicia atque iustitiam, quòd ea parum essent æqua, quia eos qui iustè vixissent, si semel à iustitia exciderēt, statim æterno damnaret supplicio: Docens iustissimè eos æterna morte puniri, qui in obduratione, & sine pœnitentia peccatorum decederent, sicut & eos qui in iustitia perseuerarent, pro merito iustitiæ reddit immarcescibilem gloriæ coronam. Nam vnusquisque in quo inuenitur, in eo iudicabitur, inquit B. Hieronymus. Si itaque iustus corpus Christi, hoc est, communionē sanctorum deseruerit, seque corpori diaboli inseruerit, cum diabolo & eius membris in igne æternum ibit. Non hic proderit quod aliquando in Christi corpore fuerit, permansisse namque in sanctorum communionem debuit. Dominus Iesus pronuntiat beatos eos qui in finem perseuerarint, Matth. 24. & mittentes manum ad ararium, & respicientes retrò, ineptos esse regno Dei, ait, Exod. 16 & Num. 14. Videmus quàm exitiosum fuerit in Aegyptū respexisse. Exemplis quoque ostēditur, non prodesse bene incepisse, & non perstiuisse. Chore, Dathan &

*Perseuerantia
in bono nobis
est opus.*

Abiron

Abiron proculdubiò primò graues exitere viri, sed postquam Mofi malitiosè restitere, nil profuit illis prior grauitas, Num. 16. Psal. 103. Sic Iudas Scarioth Apostolus fuit, Matth. 10. Et Nicolaus diaconus, Act. 6. Sed quoniam ille Senatam Apostolorum dereliquit & Dominum Iesum Iudæis tradidit: nihil profuit illi aliquando cum Apostolis fuisse, Act. 1. Huic itè nihil profuit, quòd in diaconū erat electus, quia defecit turpiter, Apo. 2. Debèt ergo qui currunt non retineri, sed ad currendum viam excitari. Bene cucurristis, ait Apost. quis vos impediuit? Curramus ergo sic, vt comprehendamus, 1. Cor. 6.

EPILOGVS.

Verbis non obscuris in Epistolica hac lectione dictum est, neminem aliorum delicto, aut damnari aut saluari. Ostensum est item in eadem lectione, Dominum Deum peccatori respicienti non propitium non esse posse: Iustus vero viam iustitiæ deserenti & ad iniquitatem deficiente, districtum iudicem futurum. Iustus non minus est Deus quam clemens. Caveat ergo sibi Iustus equè vnusquisque ne iudicium eius incurrat, ab opere bono ad quod vocatus est, atque clemens defisendo. Miserum verbum fuisse iustum, &c. Labora, talis sis, qualis iudicari velis. Esto factor legis, & non iudex: Et time iustum iudicem venturum & pastorem, qui separaturus est oves ab hædis. E duobus aliter assumetur, & alter relinquetur, Luc. 17. Relinquetur qui cessat, assumetur qui pergit. Det Deus, vt sic pergamus, vt assumamur.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE
PRIMAE, EVANGELIYM.

Post hæc erat dies festus Iudeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, Ioan. 5. &c. Finis Euangelij: Abijt ille homo, & nuntiavit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum.

EVANGELIYM hoc in quo duo nobis exempla conspicienda proponuntur, eaque maximè inter se contraria, alterum in Iesu Seruatore, obedientiæ videlicet, erga Deū Patrem, & charitatis erga homines: alterū in Iudæis impiis inobedientiæ nimirum, erga Iesum, & odij erga eundem, & erga sanatum infirmum, complectitur quatuor.

I Primò, Significat fore, vt breui festa Iudeorum, vtpote quæ typica tantum erant, abrogentur. Fuerunt autem Iudaica festa præcipua Paschæ, Exod. 12. Pentecost. Exod. 23. Leuit. 23. & Scenopegiæ, Leuit. 23. Hæc Christus, etsi subiectus legi nō esset, quia tamen nō venit soluere legem, aut Prophetas, sed adimplere, Matth. 5. aliorum more excoluit: sed ita, vt significaret fore propediem illa abroganda. Siquidem Iudæi illa non ex intentione legislatoris colebant, quos grauius Isaias, cap. 1. Hieremias cap. 6. Amos, cap. 5. & Oseas, cap. 2. peistringunt, significantes ipsorum vitio fieri, vt nauseam Deo patiant ipsorum

Exempla duo
inter se con-
traria.

Festa Iudaica
præcipua fue-
re tria.

*Iudaica festa
quorum vitio
Deo abomi-
nabilia.*

*Festa cui ex-
coluenis Chri-
stus.*

*Probatia qua
lus locus fue-
rit.*

ipforum festa. Christus autē vt festorum veram rationem indi-
cater, & quid sit ea feriari & sanctificare ostenderet, ipsis inter-
esse voluit. Ascendit autem ad festum Pentecostes, in memo-
riam datæ legis institutum, vt hoc insigni aliquo miraculo fa-
ceret perspicuum. Ascendit autem variis de causis: 1. Vt legi
satisfaceret. 2. Vt gloriam patris promoueret, Ioan. 8. 3. Vt
miraculis hominum infirmitatem iquaret. Ioan. 9. Me oportet
operari donec dies est. 4. Vt tum simplicem ad se multitudi-
nem facilius alliceret, quæ maximè his festis diebus audiendo
Dei verbo dispositior erat, vt habet Chrysostr. hom. 35. in
Ioannem.

Cùm autem esset Hierosolymis Probatia piscina extis &
intestinis sacrificiorum lauandis accommodata: quam etiam an-
nuè insigni aliquo miraculo Deus ornare solebat, Angeli mi-
nisterio, qui Christum referret, in eius porticibus iacebat ma-
gna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, & aïdorū.
Nam & hoc tempore variæ ægritudines inualuerant, id Deo
permittente, quo maior venturi medici Christi virtus dinosce-
retur, eiusq; necessariis animæ, à ratione valerudinis corporis
designaretur aduentus, quia iuxta Esa. 1. cap. tum omne caput
languidum, & omne cor mærens: nec erat vsque ad vnum qui
bonum faceret. Psalm. Qui expectabant aquæ motum: expe-
ctare oportebat, vt voluntas magis proderetur, quod volunta-
te maximè sanctificemur: vt quæ fides, perseverantia quoque &
patientia panderentur, ne frustra effundi quis putaret beneficia
diuina: aut indifferenter omnibus, saltem quæ gratuita sunt,
nisi dispositis elargiri. Quem motum angelus diuina virtute
semel annuè faciebat.

Poterat quidem Deus absolutè, & sua potentia id exequi,
mediis tamen angelis vsus est, vt doceret mediis hominibus,
ipsum vt summum, animas à peccatis purgaturum, Coloss. 1.
Nec semper, neq; statim omnibus hæc aqua medica fiebat, deo
hoc miraculum moderatè, non autem natura, vt doceret Deus
gratuita hæc miracula & curationes, non omnibus, sed singulis
& per interualla, beneficia communicari. Sic licet plures sub
Helisæo decesserint: vnus tamen ab eo puer suscitatus est, 4.
Reg. 1. Et quâuis in diebus Heliæ plures essent viduæ, ad vnâ
tamen Sareptanam ille diuertit, 3. Regum 17. Et ex omnibus
leprosis sub Helisæo propheta vnus Naaman Syrus mundatus
est, 4. Reg. 5. Luc. 4. Descensus angeli secundum tempus in
piscinam, vnde hæc virtus esset, adnotabat. Nec enim hæc aut
humanæ, aut dæmoniacæ, sed diuinæ & cælestis dignationis
erant. Motione aquæ ostendere voluit Deum extraordinato &
super humano modo operari. Nam licet minus mundare tur-
bata aqua videatur, sanabat tamen hæc: id quæ ea de causa, ne

tu contemptibili ratione elementi, contemnas sacramentum. Quid enim vilis aqua turbida? quid luto abiectius, quo cæci oculos perunxit? Et tamē hæc curandi vim habuerunt, vt olim Jordanis aqua, Naaman etiam prius contemnenti, medica facta est. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aque, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. 1. Probatica hæc piscina baptismi figurabat. 2. Aegritudines corporales, spirituales in ratione baptismatis significant. 3. Ad rationem baptismatis accedit, eos qui eo abluendi sunt, ad fores templi expectare, voluntatemque suam liberam protestari. Omnium enim fides est liberrima. Vnde baptizandus respondet: Credo, Volo, Abrenuncio, idque liberè interrogatus. 4. Vnitas personæ, vnitatē indicat baptismatis. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, ait Paulus, Ephes. 4. & 5. Curatio ab omni infirmitate, docet omnia peccata elui baptismate virtute quinque vulnerum angelicæ testamenti Christi. Vnde & ipse expansis manibus crucifixus est, vt liberum ad eum aditum significaret: imò Eph. 2. per ipsum vocabatur accessum ambō in vno spiritu ad patrem. Vnde & se vocat ostium, quo non minus porticus salutis vocetur. Neque enim aliunde quàm è cælo allato auxilio humanæ naturæ miseria sanari poterat, quia omnes peccauerant, Rom. 3. Psalm. 52. 13. donec aduenit Christus, magni consilij Angelus, qui animorum & corporum morbos, cæcitatē, paralytum, & languores nostros auferret, in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viamur. 1. Pet. 2.

Hic angelus est ait Tertull. lib. de Trinit. qui Agar puteum aquæ ostendit, & ipsum eius puerum in gentem magnam futurum pollicitus est, Gen. 21. Item is qui cum Iacob luctatus est. Gen. 32. Angelus autem hic non omni tempore, sed secundum tempus præordinatum à patre descendit de cælo, id est, incarnatus est, Ioan. 1. in terris visus est: & vbi venit plenitudo temporis, missus est à patre, Galat. 4. Tum verò aquam turbauit, eamque sanguine suo tinxit: Nam commotio ab illius est passionibus, qui torcular calcavit solus. Emouit ergo aquam, cum ei per benedictionem vim suæ passionis infudit.

Nec enim vt ibi Chrysostomus homil. in Ioannē obseruat, aliud hoc portendebatur, quod aquam ab angelo moueri oportebat, quam secretam aquam in baptismate morbos eluere nō posse, nisi virtus Christi accesserit. Neque enim per aquam, sanatur aqua (vt habetur de consecrat. dist. 4.) nisi spiritus sanctus descendat in eam, & consecret. Nunquid enim aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset? Proinde Paulus, nos in morte Christi baptizatos esse dicit. Emouit autem violēto motu piscinā hanc, adeo vt sanguis aut sanies hostiarum è fundo in summum enataret.

taret. Nam & Christus quasi è fundo omnia sacrificia & victimas ad suum tempus, imò ad seipsum, vt prototypum perduxit, eaque simulque patres antiquos in piscina sui sanguinis sanctificauit.

*Baptismi præ
ludium pi-
scina.*

Hoc igitur facto prælusit ad futurum baptismi sacramentum, atque adeò homines ad ipsum baptismum præparauit, vt cum viderent in aqua piscinæ morbos corporis sanari, non dissideret etiam in aqua baptismi peccata ablui, quem per Prophetam Ezechielem cap. 16. Deus promiserat, d. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris. per aquam tanque piscinæ baptisma nostrum peroptimè præfiguratum est. Sicut enim in piscina morbi corporum sanabantur, sic in baptismo peccata. Deinde, sicut aqua piscinæ non sanabat nisi turbata vel mota esset ab Angelo, ita inefficacia sunt omnia sacramenta, & media, nisi à verbo Domini moueantur, hoc est, nisi habeant verbi appendicem, & fide accipiantur. Præterea sicut in piscina illa nullus sanabatur, nisi primus descendisset, ita nemo saluatur, nisi per Christum primogenitum fuerit & ipse primogenitus factus. Omnia enim primogenita legis in Christum primogenitum respiciunt. Proinde, vt credentes alia bona Christi per fidem mutuò accipiunt, ita & primogenitura donantur vt saluentur. Nam soli primogeniti ad Deum pertinent. Ideò & Paulus fidelibus loquens dicit, Hebr. 12. Accessistis ad concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cælis.

*Num 3.
Exod. 13.*

*Baptismus
piscina excel-
lentior in quo
fuerit.*

In hoc autem baptismus noster piscinam illam excellit, quòd non vno loco affixus est, sed vbiq; haberi & administrari potest. Deinde quod non vnum peccatum tantum, sed omnia tollit. Præterea quòd non certis diebus, sed semper patet. Est enim fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ, Zach. 13. nec vnum tantum sanat, sed omnes accurrentes. Omnis igitur nobis adempta est excusatio, si in peccatis remiserimus. Atq; hinc satis constat, quàm abundè in nouo testamento gratia Dei effusa sit. Quòd si illi tam diligenter expectabāt motum aquæ propter sanitatem corporis recuperandam; quantò magis nobis vniuersis & singulis, infantibus & senibus, accurrendum est ad fontem gratiæ, ad thronum misericordiæ, vt gratiam inueniamus in tempore opportuno? Hebr. 4.

*Miseria hu-
mana nature
insinuat.*

2. Secundò, insinuat in eo, quem 38. annos decubuisse describit, humanæ naturæ miseriam & paralytim: quæ dum vellet sine Christo vel per legem, quæ propter transgressionem posita erat, & iram operabatur, Galat. 3. vel per naturam, quæ tota erat ad malum propensa, Gen. 6. Hier. 17. vt ne bonum cogitare posset, sanari nec posset. Si enim ex illis vera contingeret salus, gratia Christus mortuus esset, quare iacentes in nosocomio non sanabatur.

Sanabantur nisi accessu angeli, id est, accedente Christo, qui acrimonia verbi, omnium animas peccatorum ægritudine corruptos & oppressos, sanaret. Venit enim non vocare iustos, sed peccatores, Matth. 9. ad penitentiam, Luc. 5. quæ vera est post naufragium tabula, qua ad portum salutis transire valeamus. Hæc merito Christi, salutem stabilem operatur, remissionem peccatorum obtinet, & ex filiis iuræ, filios regni facit. Hæc enim non tantum apertis verbis commendavit Christus, Luc. 13. d. Si penitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis, & aliis locis innumeris: verum factis quoque expressit, dum ægris sanitatem & mortuis vitam restituit. Quod enim externis illis miraculis agebatur, id in animis peccatorum, occulta Spiritus sancti operatione fieri monstravit. Ut autem in hac Probatica piscina angelorum ministerio in usum piorum edebantur miracula, signa, ac prodigia ad Mosaicæ doctrinæ confirmationem: ita in noua lege ad veritatis Evangelicæ probationem eorundem Angelorum ministerio fiunt miracula ad memorias martyrum, ut docet August. lib. 9. confess. cap. 7. Epist. 137. lib. 20. contra Faustum, cap. 21.

*Penitentia
secunda tabula
post nau-
fragium.*

*Miracula in
noua lege cur
fiunt.*

Morbi diuturnitatem Evangelista in hoc homine idè tam exactè ponit: Primò, ut miraculi magnitudo commendetur. Deinde, ut doceat, non fortuitò hominem hunc tanto tempore morbo affectum fuisse, nec casu hominem nõ habuisse, qui eum in piscinam mitteret. Hæc enim omnia voluntate Dei sic dispensata sunt, ut glorificaretur Christus. Hic ergo discamus omnes nostras afflictiones potissimum voluntate & opere Dei diutius durare, ut tandem Dominus in nobis glorificetur. Sic de cæco infra cap. 9. dicitur: Neque hic peccauit, neque parentes eius, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in eo. Sic Israëlitarum, non idè tam durè, tamque diu in Aegypto afflicti sunt, ut perderentur, sed ut glorificaretur nomen domini, ipsis liberatis, & Rege potentissimo deiecto. Sic Iob multis mensibus in grauissimos inferni dolores coniectus est, ut per doloris diuturnitatem, manifestum fieret omnem hominem esse mendacem: Deum autem solum veracem, Rom. 3. sicque nomen Dei per illum glorificaretur. Sic & Ioseph diu post somnium suum partim in seruitute, partim in vinculis mansit, Gen. 37. sed nulla alia ratione, quam ut nomen Dei per illum glorificaretur. Nomen autem Dei glorificatur, quando facto quopiam manifestatur eius potètia, sapiètia, aut misericordia, ut inde pij assurgant in laudè eius, & discant cõfidere & timere.

*Afflictiones
voluntate dei
diutius ali-
quando du-
rant, ut glori-
ficetur in no-
bis.*

*Nomen Dei
quando glori-
ficatur.*

Tertiò, ut patientia eius & perseuerantia nobis in exemplum proponatur, ut qui animo infracto spem semper conceperit. Patientia opus perfectum habet, ut in Iob & Dauide patuit. Perseuerantia, Dei opem conciliat, De bono patientiæ vide

Tertull.

Tertull. libellum. Perseuerantia autem adeò necessaria est, vt non coronetur, nisi qui legitime certauerit, & perseuerauerit. 2. Timoth. 2. Commendatur in Iacob qui angelo dicebat: Nò dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 32. in vidua, Luc. 18. in amico, Luc. 11. Turbatur quoque per læpe Ecclesia, & affligitur, nū desinat fidelis sperare. Ecce enim post longam captiuitatem, populus ex Aegypto educitur: Sic perierunt & omnes hæreses, quæ trecentis etiam annis perseuerant, vt Arianorū. Nullus ergo recedat ab Ecclesia, vt nec iste à piscina. Affligitur vidua, orphanus & pupillus, discant hic sperare in domino, qui eorum iudex est. Nec desperet peccator in diuturna pœnitentia, vt gloriam assequatur. Non desperandum, imò potius cum Iob 13. cap. dicendum: Etiam si occideris me, sperabo adhuc in te. Diuturnæ quoque patientiæ in morbis, etiam post amissam curationis à medicis expectationem, exempla habes per multa. Hemoroyssa quæ duodecim annis multa fuerat perpeffa à medicis, deterius habebat, spem tamen hanc cōcepit vt diceret: Si tetigero tandē simbriam Christi, salua ero. Matt. 9. Marc. 5. Lucæ 8. Diutius etiam cæcitate oppressus Tobias, quod Deum non minus quàm Iob benedixit, sanitati à Raphaële restituitur.

Hinc igitur & nos discamus patienter ferre manum domini, nec per infidelitatē festinemus, sed per fidem expectemus; certi quòd etiam si dominus moram fecerit, veniens tamen veniet & non tardabit. Adhuc quidem visus procul est, apparbit tamen in finem & non mentietur, Abacuc 2. In tēpore erit respectus illorum, inquit Sap. 3.

Misericordiã suam patefecit Christus in hoc infirmo.

Afflictorum consolatio est quòd deus eos videt.

Aegritudinis nostræ remedium agnitio peccati.

3 Tertio, Singularem Christi misericordiam, & potentiam complectitur. Misericordia eius est, qua eum qui 38. annis decubuerat, misericorditer aspicit, cæteris neglectis, Roman. 11. quia scilicet, voluit à massa perditionis separare. Quod summa afflictorum consolatio esse debet, nempe, quòd Dominus eos videt, & insuper cognoscit eorum afflictiones. Sic in Aegypto vidisse dicitur afflictionē filiorum Israël, Exod. 3. Exegit autem ab ipso infirmo prius propriæ infirmitatis, miserix & paupertatis confessionem, dum ait: *Vis sanus fieri?* Est enim Christi gratia, qua vocat auersos, iustificat peccatores, & glorificat mortales: ac beneficio eius, quo præuenit, adiuuat atque sustentat dimicantes, indignus, qui non ex animo miseriam suam agnoscit. Non est enim aliud aegritudinis nostræ remedium, quàm vera agnitio peccati, qua teste conscientia agnoscimus nos esse iræ filios, damnationis reos, indignos misericordia Dei, non tamen desperantes, sed ex fide propter mediatorem, confugientes ad thronum gratiæ per veram contritionem: quamquæ humilis confessio peccati, qua peccatum sacramento

mento

mentali confessione à Christo instituta Ecclesiae ministris confitemur, tunc demum sacramenti virtute, quod à Christi verbo vim habet, sanamur.

Nec cōfestim eum à principio sanauit, sed primùm suo colloquio eum familiarem sibi fecit: per interrogationem futurae fidei faciens viam ait Chrysostom. Quo colloquio catechesis ante baptismum commendabatur, qua fidem, intentionemque baptizandi per interrogationem exquirimus, d. Vis baptizari? Deinde interrogauit vt in eo excitaret oblatae sibi gratiae desiderium: & relictum quoque homini consensum ad emundationem: & se ad spiritualem, vt hic ad corporalem, curationem disponere posse testetur: Liberum arbitrium hęc domini interrogatio satis testatur. Docet enim in ægtori potestate esse bonū eligere id est, sanitatem: & in peccatoris potestate esse (Deo tamē præueniente, vt & hic præuenit paralyticum) suam à peccatis curationem desiderare. Vt enim hic non curatur nolens sed volens, ita nemo aut remissionem accipit, aut saluti donatur, nisi volens. Quod probatur ex eo quod eniti in contrarium possumus, vt & enixi sunt Iudæi in legem, Ad quos Christus: Quoties volui congregare filios tuos, & noluiti? Matth. 23. Vnde nec nolentes, saluantur: nam addidit Christus: Ecce relinquetur domus vestra deserta.

Sequitur languidi responsio: Domine (inquit) hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum venio ego, alius ante me descendit. Q. d. Domine, non deest mihi voluntas. Quid enim æger magis quàm sanitatem expectet? Iob primo, Pelle pro pelle, & omne quod habet homo, dabit pro anima sua. Nec deest spes: hac, scilicet, de causa hic præstolor aquæ motum. Sed hominem non habeo, qui mei curam gerat, quoniam derelictus sum & pauper. Ex quo loco mysticè discimus, pueris in baptisinate susceptore opus esse. Nam sicut huic homo necessarius fuit, qui eum in piscinam dimitteret, hoc ipso scilicet quod infirmitas corporis eum semet dimittete non permittebat: ita quia ætatis imbecillitas & ignorantia infantes occupat, opus habent susceptore, qui pro ijs respondeat, vt doctè diuus Dionysius Areopagita, libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ, capitulo vltimo, docet.

Potentia eius est, quæ eundem infirmum solo verbo sanat, *Potentia Christi iubendo vt grabatum tollat, & sanus abeat. Est nāque ea verbi sui circa infirmum, & verbi Dei vis & efficacia, vt assuetos lecto deliciarum, scilicet, libidinis ac voluptatum illecebris, seu quadam paralyti dissolutos, bi Dei vi.* & animi robore destitutos, mox erigat ad subeundos graues & acerbos veræ pœnitentiæ labores, vt orationibus Deum sollicitent, lachrymis per singulos dies stratum rigent, atque ieiuniis

corpus castigant. Hoc enim est verè grabatum tollere: abhorret nanq; ab huiusmodi operibus caro, siquidem prauis ipsius operibus hæc repugnant. Neque verò hæc quæ patres vocant satisfactionis opera, quicquam Christi merito aut satisfactioni derogant, vt magis ipsum commendent, siquidè illius spiritu in nobis diffuso per charitatè operante, à nobis aguntur.

Obseruandum allegoricè tria hic præcipere Christum omni peccatori necessaria. Nam sicut paralyticus spiritualis peccatum est, quo omnes animæ vires velut demortuæ, suis destituuntur officiis, sic iste paralyticus nobis peccatorè insinuat. Hunc nisi homo, id est, aliquis pius vir sua monitione iuuet, & reducat in piscinam, id est, meritum Christi sibi applicadum, aut Christus ipse præueniat, impossibile est, vt sanitatè recipiat. Porro vbi in eum Christus suam bonitatè exerere voluerit, tria illi demāda- bit. 1 Surgere, per contritionem, & peccati detestationem. 2 Tollere grabatum, per pœnitentiam, adeò vt carnè in qua volutabatur, secundum eam viuēs, ferat, id est, spiritu subiiciat. Et sicut exhibuit membra sua seruire iniustitiæ, sic tandem pietati & iustitiæ exhibeat. Rom. 6. Qui esca offendit fratrè, carnem non manducet, & quæ sunt similia. 3 Ambulate, demū oportet de virtute in virtutem. Nec enim satis est à peccatis ablui, sed & opera bona exequi oportet. Hinc Psal. ait: Declina à malo, & fac bonum.

Item, hoc factò ostendit, quod non tam aqua quàm ipsius verbo etiam in baptisinate, sanitati restituimur. Hinc Petrus 1. canon. cap. 2. renatos nos dicit ex semine incorruptibili, verbo, scilicet, Dei.

Proinde statim dicitur sustulisse grabatum suum. Quo utique nos admonet nihil hæsitare in baptismatis virtute. Nec enim obicienda sunt innumera illius qui baptizatur peccata, quasi successione Deus egeat, vt ea eluar. Medica plus valet arte Deus. Vt dixit, & statim facta sunt, mādauit & creata sunt: ita statim vbi verbum accesserit elemento, peccata eluuntur, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita regnet gratia per iustitiam, Roman. 5.

*Calumniæ
hypocritarum
in Christum
perfida.*

4. Quartò, Perfidam hypocritarum in Christum calumniam complectitur. Qui enim conspecto tanto miraculo debuerant in Dei laudem erumpere, hi propria malitia ac inuidia excæcati, Christo nituntur insidias conciliare, dum clamant: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Et languido sanato nituntur odium conciliare, dum clamant: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Talis mos impiorum est, vt sub prætexu pietatis, pietatem arguant. Sic Synon Phariseus, Lucæ septimo. Hic utique si esset Propheeta, sciret quæ & qualis est mulier. Et Iudas, Ioan. 12. Vt quid perditio

perditio ista vnguenti facta? &c. Caterum, iusserat Sabbatum obseruare, & in eo ab operibus seruilibus abstinere, in memoriam creationis totius orbis. Nam eo scriptura docet Deum requieuisse ab omni opere suo quod patrarat, Genes. 2. Deinde, vt in ipso die reconciliemur, & animi vires ad Deum colligamus: item, ne plus equo seruos & bruta labore torqueamus. Non ergo hoc diespiritualia officia, sed seruilia prohibebantur, Ierem. 17. Item portare onera sine necessitate, Neem. 13. & 2. Esdræ 13. At vbi necessitas adest, & Deus iubet, aut ad Dei refertur gloriam, vt hic ferre grabatum, id fieri etiam potest Sabbato. Hoc die nimirum Helias fugit à facie Iesabel, 1. Regum decimonono: Machabæi in legis aduersarios pugnauerunt, 1. Machabæorū 2. Discipuli spicas vellierunt, Maith. 12. Vtique quod eos vt facerent necessitas vrgebat. Christus ergo impetabat, cur igitur iste sanitate restituta, non morem gerat?

In quibus iudicium rationis ac carnis agnoscere licet, quæ dum vera fide & pietate, quæ secundum Deum est, destituitur, in præceps cæca ruit, nec Dei potentiam aut misericordiam intelligit, sed veram poenitentiã vt hypocrysim damnat. Sed qui se sanatum à Deo agnoscit, hic nec pudore cedit, nec clamoris tabulis terretur, sed fortiter prædicat Dei potentiam, & agnoscit beneficium remissionis peccatorum. At nos reiecto odio Pharisaico, hic admonebimur, ne aut iis qui beneficio afficiuntur, aut iis qui ea in ope destitutos effundunt, inuideamus, refragemurque vnquam. Sed multo magis monemur, ne sub prætextu religionis pietatisue, tyrannidem exerceamus.

Iudicium carnis cæcum.

Respondit ergo eis: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Q. d. Videte cui obedio, huic qui solo verbo & in momento me curauit, Eccles. 8. Sermo eius potestate plenus est. Ego verò num illi motem gerere pro beneficio tam celeriter collato debui? En me sanum fecit, cur non sicut surgere potui, ita grabatum tollere & ambulare debui? Porro ex hoc Paralytici responso, discere oportet murmurantibus in nos hæreticis, nihil aliud respondere, quam quod olim Pythagorici sycophantis: Ipse dixit, Ne curiosè rationes mandatorum ceu institutionū & Dei & Ecclesiæ requiramus. Sufficiat respondisse: Dixit Deus, dixit Ecclesia.

Interrogauerunt ergo eum: *Quis est ille homo qui dixit, Tolle grabatum tuum & ambula?* Callidè & malitiosè supprimunt, dictionem (surge) quod eius virtutem non attendant, sed ei legis præuaricationem inculcare velint. Quibus similes sunt Hæretici, qui quæstiones einouent: vtique non vt doceant, & instruant, sed vt quoquo modo sycophantiæ & calūniæ ansam

arripiant, quod faciunt de minimis quærentes, de iis autē quæ rei substantiam explicant, tacentes: qui de cæremoniis potius quàm de sacramentorum veritate disputant.

Is autem qui sanus effectus fuerat, nesciebat quis esset. Adeò Christus cum subito sanarar, vt non ei sciscitandi quis esset, otium datum sit. Quod factum est, vt ira Iudæorum aliquantulum deferuere, non quia ipse timeret, ne quid irati possent aduersus eum, antequam veller, facere: sed vt exemplo eius declinandum ab iratis discamus, ait Cyrillus. Vnde sequitur.

Et declinauit à turba constituta in loco. Primò, (vt dictum est) quo litium causam & occasionem fugere doceret. Noli contendere verbis, ait Apostolus, 2. Timoth. 2. hoc enim nihil prodest. Secundò, vt nos de fugienda vana gloria instrueret. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, dicit iterum Apost. Gal. 5.

Postea inuenit eum Iesum in templo, quo se contulerat, Deo referendarum actionum gratia: idem nos facere docens, vbi ab aliqua afflictione aut corporali, aut spiritali erepti fuerimus.

Et dixit ei: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deturum contingat. E quibus verbis elicitur, nō tantum in futurū supplicia peccatoribus reseruari, verumetiam multis ac variis modis eos in hac vita puniri. Quod ita fieri, diuus Paulus etiam testatur primo Corinth. vndecimo, Ideo inter vos infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipfos diiudicarem, non vtique diiudicarem. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Deinde obseruandum quoque Christum non corpore tantum, sed & anima, id est, hominem totum in Sabbato curasse: vt contra hæreticos doceatur, non tantum in baptismo non imputari peccatum, sed & omnino elui. Et vt doceat nos quoties pœnitentiã agimus, de omnibus peccatis conteri debere, vt omnia remittatur: alioqui infructuosa pœnitentia, & confessio nostra futura est. Postremò discendum, à morbis corporalibus reciduum peccatum perniciosissimum esse. fiunt enim posteriora peiora prioribus. Proinde accepta venia, cauendum ne relabemur. 2. Pet. 2.

Abiit homo ille, & nunciavit Iudeis, quis Iesus esset, qui fecerat eum sanum. Vt cognoscerent medicum, si quis eorum curari veller. Non enim accusans hæc dixit, sed quasi eius beneficia prædicans: hoc facto nos instruens, vt beneficio à Deo accepto, laudes illius, & quæ in nobis contulit, celebremus. In medio Ecclesiæ laudabo te, ait Dauid.

EPILOGVS.

Historia hæc Euangelica ostendit Christum Iesum Sernatorem nostrum Hierosolymis miserum quendam, qui triginta & octo annis agrotans decubuit,

buit, sua clementia nuzū curasse. Deinde etiam Iudaos misericordia hoc diuina opus reprehendētes, confutasse, atque inuidia reuicisse, atq; per hoc nefandos sabbathi eos esse violatores, se vero illius fuisse obseruantissimum: *Sanctificare* *sabbatū* quid. *ut qui in eo praestantissimum opus misericordiae exercuerit, quo sabbatum* *ritē celebratur sanctificaturque.* Circa misericordiam, eleemosynam, & fugam vitiorum feriat, parum praeceat apud Isaiam, Amos, & Zachariā.

SABBATO HEBDOMADAE
PRIMAE, EPISTOLA.

Rogamus autem vos fratres, ut noueritis eos qui laborant inter vos, & praesunt vobis in domino, &c. Finis Epistolae: Ipse autem deus pax *I. Thess. 5.* sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi, seruetur.

IN praesenti lectione Apostolus Fratres bis cōpellat. Primò, omnes in genere, tam laicos quàm clerum. Deinde clerum, hoc est, animarum curatores, & mysteriorum Dei dispensatores. Illos obsecrat ut fratres. hos peculiariter flagitat. Fratres, tam hos vocat, quàm illos. Est enim vniuersitas fidelium, fraternitas vera, teste beato Hieronymo super Isaiam, capit. 19. vbi describit quinq; Ecclesiae ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, fideles, & catechumenos. Plebem precatur, ut clerum in pretio habeat ipsi deferendo. Clerum exhortatur obnoxius, ut tanto honore se dignos exhibeant: Dignos verò tum se exhibent, cùm vocationi iuxta respondere conantur. Facit autem Apostolus peculiariter per hanc Epistolam tria.

1 Primò, Rogat laicos, ut honoris Episcoporum rationem habeant, ac vult, ut nouerint quibus deferant, & sciant quare ipsis deferendum. Noueritis, ait, eos qui laborant inter vos, & praesunt vobis in domino, & monent vos. Laborantibus, praestantibus siue praesidentibus, & in spiritu lenitatis alios adhortantibus deferendum est. Duplici honore digni sunt, ait ad Timoth. 1. cap. 5. qui bene praesunt in verbo & doctrinā. Angeli enim sunt domini exercituum, Malachiae 2. Mysteriorum Dei dispensatores sunt, 1. Corinth. 4. Non literae, sed spiritus sunt administratores, 2. Corinth. 3. Diuus Chrysostomus hic multis encomiis Sacerdotalē statum in caelum extollit, tribuit illi principatum, cui laicos subditos vult. Id verò facit auctoritate Apostoli, primo Corinth. 16. Vbi vult fratres, familiae Stephanae & Fortunati, & Achaici (qui Ecclesiae moderatores egere) esse subditos. Rationes has affert Chrysostomus, dicens: Orant pro te, administrant tibi Charismata diuina, per sacramentum baptismi regenerant te, exhortantur, & erudiunt te, & media nocte

Ecclesia ordines quinque,

Laici Episcopi & Praelati deferant.

B. Chrysost. in lib. dialog. de sacerdote.

nocte vocati ad te veniunt. Et infrà. Per Sacerdotes estis geniti in æternam generationem, per illos contigit vobis regnum; omnia quæ ad salutem vestram sunt commoda, per eorum manus efficit Spiritus sanctus, per illos vobis portæ regni cælorum referantur. Qui Christum diligit, Sacerdotem qualemcumque non habebit odio: per ipsum enim sacra consecutus est mysteria. Et libro 6. dialog. dicit Sacerdotem alloqui Spiritum sanctum, sacrosanctam offerre hostiam, & omnium nostrum Dominum manibus attingere. Mox subdit, & qui poterit talis fatis coli? Recordare quales manus, qualis lingua, per quæ hæc fiunt & dicuntur. Denique lib. 3. exclamando ait, O miraculum, ô Dei erga nos charitatē, qui supra sedet dexter Deo, hic in sacrificio manibus sacerdotis tenetur. Alludit huc Beatus Ambrosius in hæc verba: Honorificentia sacerdotis, non de timore magis fit, sed de amore, &c. Apostolus hic tria exprimit, quæ fideles ipsis teneantur: Honorem, scilicet, propter laborē verbi: charitatem, propter moderamen, quia sunt patres: & pacem, propter admonitionem, ut eorum verba & aliquando verbera æquo animo sufferant. Prius videt & dolet sacerdotiū hoc tempore adeo esse contemptum. Vix credo tempore Atrij ordinem hunc tam admirandæ celsitudinis, tam fuisse vilem, atque hodie est. Sacerdotem hodie esse, planè est contumeliosum. Vnde & dictio Sacerdos, aut Presbyter Teutonico idiomate prolata, pro probrosissimo prorsus vocabulo habetur. Vnufquisque ex ordine nostro curet, ne lædatur à seipso.

Encomion & dignitas officij sacerdotales.

Fideles sacerdotibus tria tenentur.

Episcopi officium est monere inquietos

Hæretici inquieti & inordinati.

2. Secundo, Depingit Apostolus Episcopis, Pastoribus, & omnibus Ecclesiæ primatibus suum officium: Primum est, *Coniungere inquietos*, vel iuxta veritatem Græcam, monere inordinatos. Omnes Pseudocatholici sunt inordinati, quia disciplinas Ecclesiæ negligunt, & legem Dei præuaticantur, non tamen hæretici dicendi sunt. Potissimum verò inordinati & irrequieti sunt hæretici, qui disciplinas Ecclesiæ antiquare, & ipsam legē diuinam planè irritate conantur. Merito bonorum operum irritato, legem Mosaicam non solum, sed & Christi præceptum nouum, charitatis nimirum, in nihilum redigere student. Vnde irrequieti ipsi & factiosi, omnia irrequietant, hoc est, seditionibus cōturbant, sensum sacræ scripturæ communem & Catholicam obliterant, omnes ferè sopiras hæreses excitant, Sacramenta omnia partim pro sua libidine perperam administrant & tradunt, partim prorsus negant, traditiones Apostolicas & disciplinas Ecclesiæ vnà eū solemnitatibus, & cæremoniis abolere nituntur omnes. Denique irrequieti sunt, quoniam omnes in suam sectam inducere & donis & blanditiis, cogere etiam minis non supersedent. Hos duriter increpandos per Episcopos sancit hic Apostolus, ut tam ipsi, quam alij ex correptione tali

tali fiant cautiore. Hæc correptio acerba & seuera item significare potest excommunicationem, vitationem nimirum, de qua ait ad Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est. Idem est quod Matth. 18. Dominus ait, Sit tibi tanquam Ethnicus, &c. Et 2. Thessal. 3. Dicit iterum Apostolus, Denuntiamus vobis fratres in nomine domini Iesu Christi, vt subtrahatis vobis ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Atqui si non proderit nuthesia vel dura correptio Pontificalis, locū habet exusia Cæsaria: de qua, Rom. 13. Exusiam eam B. August. quanquam inuitus, inuocauit contra Donatistas, fidelis Episcopus, & Pastor.

Secundum est, Consolari pusillanimes. Peritus medicus debet pro morbi qualitate temperare sua pharmaca. Pastoris industrij est pecus suam nosse. Prou. 27. Sunt enim in Ecclesia duræ cervicis & indomiti plerique, sunt rursus meticulosiores plus æquo: vnde nec vna admonitio vtrisque conuenit. Hinc sacra Scriptura tam ad comem, quàm ad duram hortatur increpationem, Roman. 14. & 15. Item 2. Timoth. 3. ait, Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Bonus ergo pastor infirmis & pusillanimes pater esse debet consolationis. Actorum 4. præfractis verò fulmen, 2. Thessalon. 3. Tit. 3. Actor. 5. illis dicat. Bono animo estote, confortamini, nolite timere, &c. Isaiæ tricesimo quinto, his verò dicat, Maranatha, hoc est, Dominus venit, scilicet, est iudiciū, 1. Corint. 16. Matthæi 16.

Tertium est, Suscipere infirmos, qui varij sunt in Ecclesia. Sunt enim Neophyti, qui ferè infirmi sunt in fide, & in disciplinarum & religionis obseruantia. Sunt etiam infirmi constitutione corporali, qui non possunt per imbecillitatem corporis, vigiliis, ieiunia, & alias disciplinas præstare. Denique infirmi sunt plerique mente, siue conscientia: sunt autem supersticiosi, quos vulgus vocat angustæ conscientie homines. Contrarij sunt illis factiosi hæretici, quorū conscientia vsque adeò sunt amplæ, vt in illis ciuitatem decem millium ciuium ædificare possis, quemadmodum quidam Magnum Alexandrum depinxit. Iuxta ergo vniuscuiusque affectus pastores debent infirmos portare & assumere, Rom. 14. Infirmis esse debent infirmi, 1. Cor. 9. Sic sunt sufferendi infirmi, quemadmodū alij aliorum onera leuant, Galat. 6. Idem est quod Apost. vult, vbi ait, Supportantes siue adiuvantes inuicem.

Quartum est, vt patientes sint, ad omnes longanimes: vult Colof. 3.

Corrections Pontificalis adesse debet censura Cæsareana. Episcopi est infirmos in fide suscipere.

Infirmi varij sunt in ecclesia.

Patientia & longanimitas præcipue. Prælati est necessaria. Apostolus Prælatos erga omnes esse alienos ab iracundia, Ephes. 5. Psalm. 4. Virtute hac pulcherrima vult, vt se veros exhibeant Dei ministros, 2. Corint. 6. quæ etiam fructus est spiritus, Gal. 5. Virtutis huius exemplū est Deus pater ipse, Rom. 2. 2. Pet. 3. exemplū hoc potissimū eis imitandum. Matt. 5. Hoc verbo etiam ipsos adhortatur ad aduersa quoque omnia æquo animo sustinenda, de qua re vide exemplū B. Iob, Iac. 5. Eulogium Philosophicum, vtramque virtutem complectitur. Sustine & parere. Vtraque Episcopis præcipue commendatur. Nam si omnibus dicitur, In patientia vestra possidebitis animas vestras, multò magis hoc sibi dictum credat Episcopi, qui exemplar virtutum debent esse gregi, 1. Timo. 3. & 4. Tit. 1. 3. Tertiò, In genere hortatur ad ea, quæ tam clero, quàm laicis sunt præstanda. *Videte, ait, ne quis malum pro malo alicui reddat.* Quo damnatur falsum hoc Ethnicum dictū, Par pari referto, Idem nobis præscribitur, Matt. 5. Luc. 6. Ad magistratum quidem pertinet, ab iniuria defendere imbecilles, & vlcisci eos qui iniuriam patiuntur, &c. Rom. 13. 1. Pet. 2. Sed si priuatim causa vlciscendi sese, malum pro malo reddiderit, æquè atque priuatus peccat, imò longè magis quàm priuatus, testibus Chryfost. & Theophylacto.

Bono malum vincendum omnibus.

Semper quod bonum est sectamini in inuicem & in omnes. Suprà monuit, ne quis alicui malum pro malo reddat: hinc iubet omnibus facere bonum. Alterum prohibet, alterum iubet. Hoc enim modo æmulamur Patrem cælestem, Mat. 5. Luc. 6. Locus iræ non dandus, Rom. 12. Oportet enim nostram iustitiam esse maiorem, quàm fuit Patrum in veteri testamento, ne dicam Ethnicorum, Matth. 5.

Lugendi causa fidelibus nõ deest nec abest cõsolatio.

semper gaudete, Contristatos verbo hoc potissimū alloquitur. Lugendi causa maxima est fidelibus. Quis enim tam duri cordis esse possit homo, qui hodie non lugeat, videns tantam Ecclesiæ Catholicæ calamitatem? Quod Turca necdum denastavit, hoc omni Turca perniciosius perdit hæresis Lutherana, Zvingliana, Caluinistica, Anabaptistica, &c. Omnes hæ sectæ vna vehementia sanctam matricē impugnant Ecclesiam. Quis hæc considerans non illachrymetur ex corde amaro? Accedit huic tanto malo cuiusque crux. Sed & est quod quisque commisit, hoc defleat. Sic publica & priuata omnibus lugendi imminet causa. Pios itaque fideles luctuosos monet, vt gaudeat. Iuxta hoc quod Christus ait, Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam consoletur. Seruator suis discipulis contristatis promisit gaudium nunquam ab ipsis auferendū, Ioan. 16. Apost. quoq; Philip. 4. gaudere item iubet, d. Gaudete, iterum dico, gaudete. Apud Matth. 5. cap. Christus gaudij huius reddit rationem, d. Quia merces vestra magna est in cælis. Quorum, inquis,

inquis, merces? Eorum qui hinc lugent, qui hinc iniuria afficiuntur, Apost. Iacobus etiam monet idem, d. cap. i. Pro summo gaudio ducite fratres, quoties in tentationes varias incideritis, &c. In Deo solidum hoc nostrum gaudium est situm. Ceterum in mundo conturbemur oportet.

Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, &c. Duo hinc fidelibus praescribit Apost. Continuum orationem, & gratiarum actionem. Improbe orandum, semperque obsecrandum etiam praescribitur nobis, Luc. 18. Non ergo septem preces canonicæ, pro Papisticis nugis sunt habendæ, sed plane pro Apostolicis. Septies in die laudem dixi tibi ait Psal. Idem, Media nocte surgebam ad confitendum tibi, Psal. 118. Septies in die, & media nocte precari, est continue precari. Canones enim fatentur continuum esse, etiam quod fit per intervallum, modo fiat perseveranter. Ad continuum orationem vetus noster Adam, hoc est, vetustas, urgere nos debet. Septies quippe in die cadit iustus, quare & orationis suffragio, ut resurgat, necesse habet. Facit ad hoc praecipue oratio Dominica, in qua assidue precamur, Dimitte nobis debita nostra. Modum, quo hanc Apostolicam admonitionem facilius praestemus, ostendit B. Augustinus, d. Si bene vivis, laudas: cum agis negotium, precaris: laudas, cum cibum capis: oras, cum in lecto requiescis: laudas, cum dormis: plus attendit Deus quid vivas, quam quid somnes. Constat itaque posse pium hominem semper precari, imò non posse non semper precari. Qui Deum timet, vocis preces, votis cordis addere novit, neutrum negligit. D. Ambrosius ait, assiduum orationem iudicis animum ad indulgentiam movere atque flectere. Huius loci habes parabolam, Luc. 11. Gratiarum actio potissimum fit in Missæ sacrificio sacrosancto, quod Græci Eucharistiam vocant. Quare admodum salutare est audire Missam, quanquam adversarij ob hoc pium opus Catholicos irideant. Supra gratiarum actionem hanc publicam, debent pij domi & ubique in omnibus Deo gratias agere. In omnibus, ait Apostolus, etiã in iis quæ veteri Adamo sunt adversa, exemplo S. Iob, qui ait, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Hac est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Postquam Apostolus praescripsisset fidelibus ea quæ ad salutem atque per hoc etiam ad iustitiam consequendam faciunt, praescriptum tale confirmaturus atque vehementius commendaturus, parenthesi praemissa vitur, dicens, voluntatem Dei esse, ut talia praestemus, à quo omnia bona nobis donantur, & sine quo nihil boni agere valeamus. Ioan. 15.

Spiritus nolite extinguere. Hoc est, iuxta Ambros. Si aliquem

Canonicæ preces non vana.

Iustum semper oras.

Gratiarum actio in missa potissimum fit.

Deus non solum fidem vult, sed etiam bona opera.

*Spiritum in
baptismate su-
scriptum ne-
mo suo vitio
extinguat.*

*Doctores Ca-
tholici non
seruendi.*

ad horam Spiritus sanctus repleuerit sua gratia, vt possit interpretari diuinas scripturas, & diuina mysteria loqui, nolite eum prohibere, quin loquatur & doceat. Quia Deus qui os asinae aperuit, quæ seni non aperit, reuelat sæpe iuniori quod melius est; vel secundū Aug. Spiritū S. nolite extinguere, qui quamuis cum vnus substantiæ sit cum patre & filio in sua natura, nō potest extingui, per vitium tamē nostrum extinguius illum in nobis, dum illum à nobis excludimus peccando. Spiritus S. inquit Sap. disciplinæ effugiet fictū. Dum ergo tradimus corpus nostrum libidini, & cōiungimus illud meretrici, quod tempore baptismi & manus impositionis factū est tēplum S. Spiritus, excludimus illum à nobis & fugamus, & quantū est in nobis, dicit Aug. extinctores sumus eius. Sed ne hoc agamus, ait Apost. Spiritum S. qui in vobis cœpit habitare tempore baptismatis, nolite fugare à vobis, neque extinguat is illum in vobis peccando, & tradendo corpus vestrum diuersis turpitudinibus, quod templum eius debet esse, 1. Cor. 6.

Prophecias nolite spernere, id est, Si aliquis valet explanare dicta Prophetarum, sicut Hieronymus, ceterique doctores ad ædificationem auditorum, loqui & prædicare, nolite illum despiciere, nolite contemnere, sed humiliter attendite, & amplectimini quæ docet, quemadmodum pessimè aduersarij omnes Ecclesiæ patres contemnunt, suos interim impostores cælo æquant, omnia illis subiicientes, atque in numero sanctorum collocantes.

Omnia autem probate: hoc est, Omnia quæ probatione egent, per rationes discutite, seperando, nempe, bonum à malo, pretiosum à vili, virtutem à vitio, &c. Hinc Paulus, Gal. 6. Opus suum vnusquisq; probet, & sic in semetipso tantum gloriam habebit non in altero: & paulò inferius, Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemur, &c. *Quod bonum est, tenete*: quasi dicat, Postquam omnia ita à vobis per rationes fuerunt discussa, separando, nempe, bonum à malo, &c. tunc quod bonū est amplectimini, vtendo rectæ rationis iudicio, scripturarumque auctoritate, & testimonio. *Ab omni specie mala abstinete vos*, id est, ab omni re mala, à praua cogitatione, peruersoque opere abstinete vos, sed in omni virtute, iustitia & veritate, perfecti stete, vt possitis adimplere legem Domini. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, &c. Zach. 8.

Ad extremum orat Apostolus pro Thessalonicensibus, vt adimplere possint ea quæ scripta sunt in lege, & prædictas exhortationes, cum ait, *ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur*. Quasi dicat, Deus Opt. Max. solus cordi-

cordium scrutator, & custos per omnia, quorum vos admonui omnibus virtutibus mūdet vos, ornet, & perficiat, vt mens vestra ab omni labe, & delicto sit immunis, incorrupta atq; integra permaneat. Similiter & anima & corpus immaculata, & sine reprehensione permaneant, vsque in diē iudicij, & non recedat à vobis gratia, quā accepistis à baptisinate Spiritus sancti. Qui quidem nos ab omni malo liberet, atque defendat, Amē.

EPILOGVS.

Apostolus beatissimus sexdecim articulos præstandorum & omittendorum nobis hic præscribit, quibus Deo seruiamus & proximo fidem, spem, & charitatem erga Deum: Dilectionem item veram erga proximum declarat: præsertim cum clerum tum plebem admonet sui officij. Præcipuum opus Episcopi est conuincere inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, patientem esse ad omnes &c. Ad plebem pertinet, eos qui bene præsunt atq; in verbo & doctrina laborant, duplici honore prosequi, 1. Timoth. 5. Deut. 25. 1. Corinth. 9. Beatus vtrique qui hic verbum domini audierit, & custodierit. Luc. 11. qui sciuerit & fecerit. Iohan. 13.

SABBATO HEBDOMADAE
PRIMAE, EVANGELIUM.

Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem eius. &c. Finis Evangelij: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

Matth. 17.

Marc. 9.

Luc. 9.

2. Pet. 1.

QUIA Christus suis gustum regni cælestis ante mortem se exhibiturum fuerat pollicitus, vt dictis fidem faciat, atq; ad eō fidelibus omnibus certam spem futuræ immortalitatis suggereret, specimē quoddam latētis in se diuinitatis & futuræ beatitudinis scintillam in ista trāsfiguratione voluit exhibere. Et quia supra humanam persuasionem est, verum hominem, verum Deum vnā posse esse, cui fidei multi Iudæi, Turcæ, Ethnici & hæretici oblatraturi essent, ideo multis & variis modis suam nobis quoque declarare voluit diuinitatē, vt copia argumentorum variorum quisque fidelis fidem suam stabiliat ac firmet, habeatq; vnde blasphemias istorum retundet, obiiciatq; eis montem Thabor, in quo transfiguratus est, & montem Oliuæ, ex quo gloriose & suapte virtute cælum ascendit. Luc. 24. Et docet præsertim quatuor.

Transfigura-
tio Christi ne-
cessaria fuit.

Mōtem domi-
ni conscendere
qui digni sint.

Petrus, Iaco-
bus, & Iohānes
quid interpreta-
rentur.

I Primò, Qui digni sint ex singulari ipsius misericordia, vt in montem domini conscendant, vt nō per speculum in ænigmate, sed reuelata facie, gloriam domini contemplantur, scilicet: Petrus, qui à fidei firmitate veritateq; laudem commeruit, Matth. 16. qui dominum plus aliis dilexit, Iohan. 21. vt sis firmus in fidei firmitate & vnitare, contra omnes hæreseos & diaboli insultus, 1. Pet. 5. 1. Iohan. 5. Deumq; intimè diligas.

Iacobus

Iacobus. i. supplantans, ne vitij consentias, Ro. 6. Non regnet peccatum, &c. Gen. 4. Subter te erit appetitus tuus, &c. & Iohannes, hoc est, gratia diuina, cui acceptam ferre debemus, & fidem nostram, & victoriã, 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum, &c. Hos tres assumpsit (ait Chrysoft. hom. 57. in Matth.) quia ceteris excellentiores erant Petrus, quod valde diligeret. Iohannes, quod plus aliis diligeretur. Iacobus, quod ingentis zeli fuerit, vt patet, tum cum calicem bibere paratum se esse dixit, & magnum quiddam Herodes contulisse se, Iudæis obsequium arbitratus est, si ipsum morti traderet. Act. 12. Item Petrus princeps futurus Ecclesiæ: Iohannes matris Christi custos: & Iacobus primus inter eos martyr. Siquidem hi (vt relicto cortice literæ, ad sublimiora mysteria adfurgamus) eos nobis adumbrant, quos propheta regius Psalm. 14. habitaturos in monte sancto pollicetur, dum interrogationi Deo proposito sibi ipsi responderet ex Spiritu sancti reuelatione: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? id est quis superatis huius mundi illecebris, periculis, malis denique omnibus vitæ præsentis, dignus erit qui à te deposita hac domo manufacta, admittatur in cælestem illam tuam gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Isa. 6. Item: Quis requiescet in monte sancto tuo? Cui quæstioni respondet, cum ingressurum: 1 Qui ingreditur sine macula: 2 Qui operatur iustitiam: 3 Qui loquitur veritatem in corde suo: 4 Nec agit dolum in lingua sua: 5 Non facit proximo suo malum: 6 Qui iurat proximo suo, & non decipit: 7 Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: 8 Qui munera super innocentem non accipit.

Altitudo montis Tabor. Ioseph ait 2. 2. stadiorum esse latitudine.

Pauca hæc capita qui pro conditione vitæ præsentis seruent, is demum dignus, qui Christi gloriam cernat; quam suo sanguine nobis præparauit: Ipse enim abiit parare nobis locum, Ioan. 14. ac montem illum Tabor (quem Egesippus ait esse altitudinis stadiorum 30. ac miræ rotunditatis, vt non immerito regno cælesti comparari queat) cælestem scilicet Hierusalem conscendat, sed cum Christo. Siquidem aliis non contigit huius tanti mysterij suauitatem aspicere, quam quos Christus, qui factus est nobis à Deo patre sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, via, veritas, & vita, in montem duxit, id est, à terrenis hisce amore cælestium accendit. Ascensus quippe montis, sublationem cordium ad cælum significat, quam Ecclesia nobis assidue in sacrificio missæ commendat, d. Sursum corda. Adde quod secessus ille animos nostros à mundi negotiis & curis vindicat, & fugam mundi gloriæ, & vanitatum significat, iuxta B. Ambros. verbum d. Transeamus opera mundi.

Item Petrus, Propter primatum suum, prælatos. Ecclesiæ designat

signat. Iohannes, qui permansisse virgo perhibetur, cœlibes ac ac mundi contemptores, præmonstrat. Iacobus verò qui supplantator dicitur, coniugatos, & mundo licitè vtentes, quibus vniuersi electi qui cum domino in montem salutis ascendunt, significantur.

Obserua hîc non infimæ aut cuiuscunque conditionis homines, sed Apostolorum præcipuos & in montem ascendere, & transfiguratum Iesum, Moſen & Heliam loquentes, patrisque de filio vocem de cœlo allatam, & vidisse & audisse: quo non omnibus arcana diuina committenda doceretur. Vnde ad suos ait Luc. 8. Vos estis quibus datum est nosse mysterium regni Dei. Sic habes Exod. 24. Moſen in montem accitum, cæteros verò sub mortis pœna ipsum accedere prohibitos. Nimirum & Moſes, & hi tres Apostoli prælatos Ecclesiasticos significant, quibus montem diuinarum scripturarum perscrutari licet vt decreta variis in locis satis docent. Paulus ipse idem docet. 2. Timoth. 3. Episcopum, inquit oportet doctorem esse. Et Malach. 2. dicuntur labia sacerdotis custodire scientiam. Quod verò nec indiscretè omnibus diuina interpretari liceat, d. Dionysius Areopag. epist. ad Demophilum multis scripturis ostendit: nam Demophilum ibi arguit quod non prouectus ad sacerdotium in sacra irruperit, eaque sibi publicari voluerit. Sed nunc (vt Hiero. ad Paul. conqueritur) scripturarum interpretationem passim sibi vendicant omnes, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Sic enim textus habet: *duxit illos in montem*: Vt doceret à terrenis voluptatibus in spiritualem vitam euehi oportere eos, qui diuina arcana volunt agnoscere. Matth. 16. Caro & sanguis ea non reuelat: nec animalis homo percipit quæ Dei sunt. 1. Corint. 2. Hinc Philo. lib. de vita supplicum asserit Christianos carnis mortificatione sacras inuestigasse lectiones. Addit *excelsum*. Vt quæ sursum sunt, sapienda, Colloſſ. 3. & his qui Euangelizant Sion, in montem contemplationis ascendendum, commonstraret. Sic enim Gregor. Nyssen. lib. de beatitudine, colligit ex figura scalæ à terra ad cælum protensæ, & Dei super ea stantis (Gen. 28. à Iacob visæ, aliter ad Deum erigi non licere nisi quis semper superna contempletur, & eorum desiderio teneatur. Hinc hæretici omnes, quod terrena, id est, aut luxuriâ, aut gulam, aut inobedientiam & superbiam sapiunt, cælestia comprehendere non possunt. Quos Primasius lib. 4. in Apocalyp. idcirco ranis comparat, quæ vt in cœno coxant, ita illi in febre cupiditatum suarum blasphemant: & vt illæ noctu, sic illi cæci in tenebris ignorantix suæ, strepitu molesto odibiles habentur. *Scorsim* dicit. Vt bonos à malis separandos ostenderet: Iterum vt scot-

vt seorsum esse debere ab hominum gloria eum, qui vult Dei amicus fieri, instruat. Præterea vt eum, qui Ston est euangelizaturus, & verâ fidem possessurus, seorsum à timore hominû esse debere, doceat: tandem vt denotet comtemplaturus, à tumultu secularium segregari oportere. Vnde dominus cum populum suum ad sacrificia euocaret, ex Aegypto in solitudine ite præcepit Exod. 3. *Et transfiguratus est ante eos*: Lucas cap. 9. ait: facta est dum oraret, species vultus eius altera: non quod (ait Hierony. in Matth.) amisit pristinam formam & speciẽ, sed propter claritatis vultus eius immensitatem D. Hilarius, explanat, sua in Matth. obseruat hic post dies sex habitum dominicę, glorię ostensum esse, vt sex milliũ annorum temporibus euolutis regni cęlestis honor præfiguretur: tribusq̃ue assumptis, de trium Origine, Sem, Cham, & Iaphet, futura populi electio ostendatur. Vel vt insinuaret post sex mundi ætates, sanctis quiescendum esse, ait Beda in Lucam, cap. 9.

*Montes apti
contempla-
tionis.*

Sanctus Lucas ait, dominum Iesum etiam in monte hoc Thabor precatum. Patriarchę vet. Test. leguntur sæpe in montibus orasse, vt Abraham in montibus: Item Moses orarunt & Helias in Carmelo. Sic Anachoretę Aegyptij catholici, in montibus orarunt, nō à montibus aliquid religionis accepturi, sed sanctis suis precibus non dubitantes ipsa loca orationi sacrari.

2. Secundò, docet hac transfiguratione se voluisse à cordibus discipulorũ auferre scandalum crucis, quod disuadere Petrus conabatur. Matth. 16. & voluntarię passionis contemptrum, eũ viderent faciem eius splendescere sicut sol, & vestimenta eius sicut nix. Exhibuit quippe illis (vt Hieron. super Marcum ait) gloriã futurę resurrectionis. Vt cuius tandem dum pareretur faciei non esset aspectus: qui vt leprosus credi poterat Esa. 3. ipsa resurrectionis die se ab his expurgare immũditatis posse testaretur. Claritatem hanc vultus Christi proprio similitudine explicare nō potuit, quã solis. Quid enim eo lucidius? Hinc Christus se iustitię solem, & lucẽ mundi, Ioan. 8. se eum qui illuminat omnem hominẽ, Ioan. 1. se ab omni macula purum, Ioan. 10. docebat. Cãdido, splendido, refulgentiq̃ suo vestimento, exuberantẽ in se diuinitatis gloriã testatus est, quę etiam in vestimenta, non in solam verò carnẽ deriuaretur. Item ne animas tantũ, sed & corpora, imò sanctorum vestimenta illustranda: nec quid in sanctis, imò ne indumentum quidem non magnificandum docere voluit.

*Transfigura-
tio domini fi-
dem & spem
Ecclesia con-
firmavit.*

Quibus etiam Ecclesię fidem confirmat, vt scilicet ipsaq̃ue est corpus eius, Ephes. 1. qua esset commutatione donanda; intelligeret. Siquidẽ in beata illa gloria, iusti sicut sol, Matth. 13. & stellę in perpetuas æternitates, Dan. 12. & scintillę in arundinetis, Sap. 3. fulgebunt: cũ Deus absterget ab oculis eorum

rum

ram omnem lachrymam, vt Apoc. 21. Isa. 25. 2. Corinth. 5. habetur. Tum mors, luctus, clamor, & dolor amplius non erunt, quia precipitabit dominus mortē in sempiternū, auferet lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi de vniuersa terra. Pius hæc tanta mysteria exactius æstimet, sunt enim plena consolationis in aduersitatibus omnibus. Chrysoft. dicit maiorem futuram gloriā minimi vniuersi beati, ea quam viderāt Apostoli. Tantum viderunt quantum capere potuerūt. Posthac videbimus eum sicuti est. Psalm. 16. 1. Corinth. 13. & 1. Iohan. 3.

Voluit autem Christus hanc gloriā non in alieno, sed proprio corpore exhibere, vt hac imagine, eorū insaniam destrueret, qui putant omnia pecudum instar mortē deleri: aut nihil post hanc vitam hominis superesse, quales Salomon depingit, Sap. 2. atque etiam eorum, qui licet animæ resurrectionem concedant, negant tamen corporū futuram, res humanis rationibus inuestigare nequeāt, quomodo corporea hæc moles toties mutata, in pristinā sit reditura formā, Quē errorē confutat Paulus. 1. Cor. 15. Iob 14. & alia innumera scripturæ loca.

Causa Transfigurationis domini in proprio corpore.

Moses mortuus & Elias superstes, in Transfiguratione adsunt.

3. Terriō, docet hoc admirando spectaculo, cui Moysen mortuum & Eliam etiam nū superstitem adesse voluit, vt se mortis ac vitæ dominum demonstraret, (mortuus enim erat Moyses, Deutr. vlt. Helias viuus. 4. Reg. 2.) atque illum vt legis auctorem. Nonne Moyses dedit vobis legem? Ioan. 7. Lex per Moysen data est, Ioan. 1. cuius tamen à Iudeis vt transgressor accusabatur; hunc verò vt legis zelatorem, quò testimonium à lege & prophetis haberet: sese esse maiorem ijs, cum vulgi iudicio, aut Helias, aut Iohannes bapt. aut tantum prophetarum quispiam esse putaretur, Matth. 16. atq; adeò suam doctrinam non esse notitiam, sed ab iis olim multis ante seculis confirmatam. Verè magnus noster Dominus, & magna nec non superælestis eius doctrina, ad cuius testimonium inferius remissit Moysen, cælum Heliam: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum. S. Lucas cap. 9. exprimit quale habuerint colloquium, nempe de eius exodo, hoc est, transitu ex hoc mundo. verba Lucæ sunt: Ecce duo viri loquebantur cum illo, erant autem Moses & Helias, visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. Excessus quippe erat maximus mors & passio Christi. Excessus amoris: maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam. &c. Iohan. Excessus tormentorum Thren. 3. & 4. Excessus Iudicæ ingratitude. Esa. 5. Salutare sane colloquium, dignum quod assiduè in Liturgia sacra repetatur. Nam huc lex & prophetæ respexerunt omnes. Colloquium item hoc declarat Christum non venisse antiquatam legem, sed impletum Matth. 5.

Patet

Patet hic locus dicendi de veritate fidei catholicæ, quam hæc tenus Ecclesia à Christo vsque defendit contra omnes aduersarias potestates. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Matth. 16. Christus ab antiquissimis & probatissimis patribus testimonium accipere voluit quod Messias sit: idem in reliquis quæ fidem concernunt suo exemplo faciendum esse docens. Siquidem, inquit Vincentius Lyrinensis, in ipsa Ecclesia vniuersitatis pariter, & antiquitatis consensus spectari debet. Quid enim et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus, Apostoli conuersati sunt? Et Sisinnus Nectario consulebat, vt contra hæreses testimonium ex traditione veterum adhiberet. Vbi enim carismata domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea ab Apostolis Ecclesiæ successio.

Tum etiam docet Patris æterni præsentia ac voce, qua de filio suo æterno Iesu Christo contestatur, non sub caliginosa, densa & fumigante nube, qua seueritas legis exprimebatur, Exod. 19. sed lucida, candida, & amœna, quia nouus hic nomothetes non erat allaturus spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, non legem terrentem, sed spiritum viuificantem.

Nomothetes. i.
legislator, no-
mus Christus.

Præcipit enim audiri filium, prompta scilicet obediendi omnibus mandatis eius voluntate, quasi dicat: Ille meus filius, non adoptiuus, sed proprius naturalis, cui dixi: Ex utero, & ante luciferum genui te: nam cæteros feci in tēpore & creauit. Meus est, de mea substantia, Deus de Deo, lumen de lumine. Ceteri enim non in eo gradu mei sunt quo iste. *Dilectus*, In quo & mundum mihi inimicum Rom. 5. dilexi, Ioan. 3. Cuius vna & mea est dilectio Spiritus sancti ab utroque procedens, ille per quem omnia facta sunt: ille, sine quo factum est nihil. In hoc enim mihi complaceo: Per illum mihi quotquot credent in nomine eius, fide per charitatem operante, mihi placebunt: *hunc audite*, quia ille veritas est, & vita: ille virtus mea, & sapientia mea, finis legis est. Rom. 10. qui docturus est omnia, Ioan. 4. quem vt se audiendum Moses monuerat. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, diabolum ligat, vasa eius capit, qui peccati chytographum, & præuaricationis pacta dirupit. Ipsum audite, qui viam aperit in cælum per gradus crucis. Quid trepidatis redimi, quid pauetis faucij liberari? Leo papa. Qui hunc audit, etiam si mortuus fuerit, viuet, Ioan. 5. Qui hunc audire supersedet, vapulabit, Deut. 18. Iam est condemnatus, Matc. 16. Non audiunt qui non obediunt, maligni, inordinati, & irrequieti, quales sunt Simon Magus, Theuda, Pharisei & hæretici omnes.

Filius Dei
audiendus.

Ius. II.
Collof. 2.

Idem

Idem testimonium & iisdem verbis præbet, quod & apud Jordanem, in signum quod ipse auctor est gratiæ quæ confertur in baptismo, & gloriæ quæ in resurrectione, Psal. Gratiam & gloriam dabit Dominus: Vtrobique enim regeneramur quasi noui filij patris celestis; in baptismo per gratiam, in resurrectione per gloriam. Vtrobique ostensa est Trinitas superbenedicta, Patet in voce, Filius in humanitate, Spiritus sanctus in columbæ specie & nube. Quemadmodum enim spiritus sanctus animæ simplicitatem & innocentiam tribuit columbinam; sic & refrigerat eam ab igne concupiscentiæ & omnium tentationum feruore.

Hanc vocem, diuinæ maiestatis plenam, nec humanis ferendam auribus, cum audissent Apostoli, maiorem in modum extimuerunt. Metuebant enim vitæ suæ, sciens dictum Exod. 33. Non videbit me homo & viuet. Et ceciderunt, non retrò ut Heli, 1. Reg. 4. sed in faciem suam. Cadunt iusti in faciem, per timorem vt hic; Per humilitatem, Matth. 2. Proidentes adorauerunt eum; Per gratiarum actionem, Apoc. 7. Ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum. Terretur enim fragilitas humana ad præsentem Dei loquelam, Exod. 20. Populi conterriti, dixerunt Mosi: Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. hinc Deut. 5. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuētis? faciebant quoque ad timorem non vox tantum, qualis in Iordane, & cum tonitru quoddam factum est Ioan. 12. sed & terrore plena trāsformatio, mortui Mosi collocutio, absentia demum, nubes, montis magna altitudo, profunda solitudo, ac multum silentium. At Iesus recepta specie priore, contigit eos manibus, ne suspicarentur esse spectrum, ac voce consueta notaque consolatus est, vt (teste Hieronymo) tactu fugaret timorem, & debilitata membra consolidaret. Sic pastor recreat oues, d. *Surgite, nolite timere.* q. d. Nō dum omnia implera sunt: hæc tantum meæ gloriæ scintilla est, ante cuius maiorem manifestationem humiliari oportet. Quid timetis cum Deum vobiscum habeatis, & redemptorem &c.

Et statim circumspectantes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum. Quo certius esset, voce patris solum Christum designatum, Moysen & Heliam nusquam filios, sed seruos suos vocauit. De Christo ergo intelligendum, hic est filius, &c. Neminem viderunt, nisi solum Iesum, breue verbum, sed amplum mysterium, Christus finis legis, Rom. 10. Omnes prophetæ respexerunt in Christum, Matth. 11. Officium itaque Mosi & Helix erat exactum: Neuter ergo eorū cum Christo debuit remanere. Iesus minister, imò auctor noui testamenti, iuxta oracula prophetica, Hebr. 13. Remansit ille qui

*Casus iustorum
in faciem.*

*Marc. 9.
Christo solum
cōpetit: hic est
filius meus,
&c.
Christus solum
remanit: Mose
& Helia dis-
lapsis.*

alpha est & ω, principium & finis: Remansit, & suos solabatur, quia Euangelium nihil est nisi lectum nuntium, vox consolationis plena. Euanuit lex, Euangelium manebit in aeternum, imperfectio cessit perfectioni, contra Cherintianos & Ebionitas hæreticos sabbatizarios, qui contenderunt Moysen vnà cum Christo audiendum, hoc est, legem Euangelio permiscendam, quasi non per fidem Christi, & legem perfectæ libertatis Euangelium Christi, homines saluari possint, legem verò salutem adferre, & iustitiam absolueret. Sed Apostoli Christum viderunt solum; quia solus ille filius dilectus: quia solus finis legis & prophetarum, redemptor, caput, & Ecclesiæ fundamentum. Sufficit ergo nobis ille, sine quo nihil est. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Quartò, docet hominem carnalem, cuius typum hic Petrus expressit, non posse intelligere ea quæ sunt spiritus Dei, nec altius adfurgere, quàm humanæ rationis acumine adsequi queat, 1. Cor. 2. Proinde attonitus tãtæ gloriæ adspectu, & ignarus quid dicat, petit tria fieri, scilicet Christo, Moysi & Helix tabernacula: Primum Christo, quia filium Dei viui hunc fuerat confessus, & quasi illius confessionis etiamnum memor, illum cæteris præponit. Deinde Moysi, quia vt legis auctorem hunc venerabatur; proinde dignum qui Christo adesset. Tertio, Helix, quia & hunc nouerat zelo legis, impiis sese regibus etiã cum capitis periculo opposuisse, ac dignum iudicabat, qui Christo in gloria coniungeretur. Ac si dicere voluisset, Domine, non est hinc vsquam abeundum, valeat Hierosolyma, quæ tibi mortē minatur. Visa namque domini maiestate & duorum seruatorū, Petrus adeò d'lectatus est, vt cuncta temporalia obliuioni traderet, & ibi cum domino in perpetuū permanere exoptaret. Si Petrus ex scintilla diuinæ felicitatis gustata tanto desiderio manēdi accensus est in monte terreo, pralibauitque melius esse habitare in domo domini, quam in tabernaculis peccatorum, quanta erit suauitas & dulcedo videre regem in decore suo, & interesse choris angelorum, sanctorumque omnium in mote celesti; nam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, Isa. 64. 1. Cor. 2. Domine si vis, inquit, &c. Quo deuotionem subditi & obedientis serui ostendit, loquendi indecentiam corrigens. Nam ante correptus fuerat à domino, quando dixit Matth. 16. Absit à te hoc, &c. volēs eius impedire mortē: vt inde discamus Dei nostri beneplacito omnia cōmittere, dicentes non vt nos volumus, sed sicut tu, voluntas tua fiat, Matth. 6. Sic sanè multi adhuc cælum suum, & mansionem

Petrus carnalis non intelligit que sunt spiritus Dei.

In terris constituunt d. cum B. Petro, *Bonum est nos hic esse.* bonum est thesaurizare, splendide viuere, voluptatē indulgere. Immo quidam adeo terrenis inhiant, vt non vereantur dicere; Cælum cæli domino, terram autem dedit filiis hominū, non attendentes nos hic mansionem durantem non habere. Vbi Salomon cum omni gloria sua? vbi Samson? vbi Alexander Magnus? Vbi omnes Principes terræ, &c. Exterminati sunt, & ad inferos descenderūt, Baruch 3. Potius dicendum: Malum est nos hic esse: quia quanto diutius hic manemus, tanto grauius peccamus, & damnamus animas nostras. Clamandum ergo cum Psal. Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et cum B. Paulo Philip. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Item cum Simeone: Nunc dimitte seruum tuū domine, &c. Luc. 2. Sed quoniā iuxta Marcum & Lucam hallucinādo, & non malitiosē loquebatur, dominus Iesus eius hallucinationem non redarguit. Apud Esaiam cap. 6. habes, vt se habeant mortales diuinam maiestatem contemplantes.

Porro cum Petrus ab Evangelistis perstringatur, ignarus quid diceret: multos tamē videas, hanc personā magna quadam animi tranquillitate ac conscientie securitate & exprimere vel votis ac precibus, & imitari vel factis & gestibus, stultis scilicet ac temerariis, non tantū sepe contra conscientiam, sed contra etiam voluntatem Dei, atque eius verbum. Certe errauit Petrus volēs tria tabernacula fieri, seruos cum domino comparans. Colendi quidem sunt Moses & Helias, sed in Christi tabernaculo, id est, in Christo & propter Christum. Errauit, quia regnum cælorum voluit constituere in terris, quod dominus promiserat dare in cælis, Matth. 19. Luc. 22. Errauit, quia oblitus est se & socios suos esse mortales, & absque mortis gustu voluit habere felicitatem æternam, & ante conflictum perpetuæ gloriæ triumphum, cum tamen Apost. dicat: quod non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, 2. Tim. 2. Superfluum ergo videtur, & vanum in terris cælestia tabernacula quærere, quæ ab omni intemperie aëris protegant incolas suos, qui non esuriunt neque sitiunt amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus, Esa. 49. Veruntamen Petrus pio hæc zelo dixit, timens Christo mortituro, vt iam ab eo audierat. Cogitauit enim si hoc fieret, non ascenderet Ierosolymam, & sic non moreretur. Cogitabat fortassis Heliam ibi adesse, qui in monte ignem descendere fecit, 4. Reg. 1. & Moysen, qui intrauit nebulā, & cum Deo locutus est; & sic occultati possent, vt nullus persecutorum sciret vbinam essent. Vnde quærere non debes, quā imprudenter hortabatur Petrus, sed quā seruens charitate incendebatur.

*Transfigura-
tio cui reue-
lati inhibita.*

Priusquam autem redirent ad discipulos, inhibuit id aliis indicari. Primò, quo inuidiæ occasionem tolleret ex animis ceterorum, qui hac visione non sunt dignati. Necdum enim perfecti erant, nec æquo animo ferre potuissent tres illos sibi præferri, quemadmodum & decem de duobus indignati sunt, qui concessum regni petebant, Matth. 20. Secundò, quo inanem gloriam in hoc mundo fugiendam doceret, Galat. 5. Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, &c. Tertio, non vult hoc in populis prædicari ante resurrectionem, ne (vt dicit Hieron.) & incredibile esset præ rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret. Nam ante id tempus, sermo caritativus erat & fructu & fide, Marci 9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset, cum à mortuis resurrexerit, Luc. 9. Et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant, donec filius hominis resurrexisset à mortuis.

Obserua hic quod Evangelista dicit vestimenta Christi facta splendentia & candida sicut nix, quo exuberantem in se diuinitatis gloriam testareretur, non in solam carnem, sed etiam in vestimenta deriuari, vt sic ne animas tantum, sed & corpora, imò sanctorum vestimenta illustranda doceret: ac ne quid in sanctis, imò ne indumentum quidem non magni faciamus. Pessimè igitur obmurmurant Vigilantiani, simulque nostri Calviniani & Beszani, aut potius Atheistæ, nullã reliquiis à Deo inditam virtutem esse. Apertissimè vident 4. Reg. 13. contactu ossium sepulti Helisæi mortuum reuixisse, quod exemplum adfert Cyrillus Catech. 1. 8. vt probet sanctorum corporibus virtutem inesse. Chrysost. tomo 4. hom. 27. in 2. ad Corinth. cap. 1. Sanctorum (inquit) celsa demones sistunt ac torquent. Et Damascenus lib. 4. de fide Orthodox. cap. 16. Fontes, inquit, nobis salutare reliquit Dominus, sanctorum reliquias, multimoda beneficia scaturientes. Quis illud non credat? Si enim ex rupe & firmo saxo aqua in cremo profiliuit volente Deo, Exod. 17. Num. 20. & ex maxilla asini Samsoni sitienti, Iudic. 15. ex martyrum reliquiis vnguentum suauis olens emanare incredibile est? nec patres tantum hæc argumeta tradunt, sed & Apostoli & Evangeliste. S. Lucas. Act. 5. refert umbra Petri sanatos infirmos, Act. 19. sudariis & semicinctiis Pauli creptos omnes qui grauissima infirmitate laborabant. Tactu vestis Christi Hæmorrhøssa sanata est, Matt. 9. Qui ergo corpora vestesque puerorum è fornacis igne eripuit, idem in Christo corpus & vestimenta in ipsa transfiguratione, honorabilia docuit, & proinde martyrum reliquias honorandas esse.

Obseruandū item, an verè apparuerint Moses & Elias,
& num

& num mortui redire possint. S. Matthæus refert ca. 27. post Christi passionem resurrexisse plurimos, & multis apparuisse, testimoniumque resurrectionis Christi dedisse. Si vera testimonia sunt, utique & veri testes sunt; non autē in phantasmate excitari. Et si qui obstrepant divino hoc factū privilegio, fatemur tamen ex hoc defunctos in mundum renovari posse. Nec Christus (Luc. 16.) dictam refert diuiti, non posse eum ad fratres reuerti: sed habere eos Moysen & prophetas. Quod hic ad Moysen spectat, defunctus ille erat, & tamen apparet, loquitur, & de Christo testatur. Vade Procopius Gazeus in Genesim cap. 18. Non mentitur (ait) diuina scriptura d. Helias visus est, & Moses, corporibus amicti apparuerunt, quamuis anima vbi decesserit corpore, sola, & corpore nudata degat. Hieronymus Heliam supernē venisse dixit: Moysen verō inferne. Hoc olim Deus promiserat Moysi, Exod. 33. cum diceret: Posteriora mea videbis.

Obseruandum tandem Dominum in nube apparere, vt speciem rerum visibilium commēdet, qua ad inuisibilia erigamur, Rom. 1. Proinde nec contemnendas esse imagines quæ nobis pia & diuina in memoriam reuocāt. Quid enim nubes ista lucida aliud, quam Dei maiestatis imago? Sic & in nube lucida implese dicitur maiestas Domini templum Salomonis, 3. Reg. 8. & montem Synā. Item quid vox ista articulata, nisi imago diuini illius verbi? nec enim Dei vox organica, & articulata est. Vox Domini cōstringentis cedros Libani. Vox Domini super aquas, De⁹ maiestatis intonuit. Vidērint ergo Ionomachi, an ne Deū arguere velint, dum imagines euerunt, qui nostro sese captui accommodans per res sensibiles, insensibiles & diuinas nos docuerit.

EPILOGVS.

Historia Christi transfigurationis, qua se in monte Thabor in sua gloria, quantum tum discipuli capere poterāt, declarauit: & colloquū Moysi & Heliam Christo facti tradit præsertim ad hoc, ne discipuli surripique credentes adhiberent, quin olim præliturus esset quæ de maiestate secundi aduentus sui promiserat: & ne timerent opprobria crucis, qui viderant oculis suis gloriam futuræ resurrectionis. Transfigurationis huius tantum mysterium discretis verbis quod vult, in hunc modum describit d. 2. Pet. 1. Non in dōctas fabulas secuti notam fecimus vobis domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed specularores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo partē honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et hanc vocem nos audiuimus de celo illatam, cum essemus cum ipso in monte sancto: faxit Deus tantorum mysteriorum salutarium participes efficiamur. Amen.

Transfiguratio-
nis historia sa-
lutaris.

2. Theff. 4.

De cetero ergo fratres, rogamus vos, & obsecramus in domino Iesu: ut quemadmodum accepistis à nobis. &c. Finis Epistolæ: & nullus aliquid desideretis.

IN hac Epistola, qua alteram doctrinæ Christianæ partem, Inempe bona opera & proponit nobis & urget, Apostolus nō cessat rogare Theffalonicenses, vt si quando per abrupta quæque & iniuria, cum suis indulgebant vitiis, præcipitum fecerint, nunc recto calle incedant, si velint Deo perplacere. Sibi quoque suadeant eam esse diuinam voluntatem, vt sint vitæ inculpatissimæ. quod si quandoque aculeo carnis titillati ceciderint, posthac ab omni petulantia, lasciuia & immunditijs sibi contineant. Deinde vult ne astu quodam suum fratrem Christianum circumueniant, aut quempiam vi opprimant, vel cupiam iniuriam inferant, nam hoc à Deo etiam lege naturali suis præcordiis insitum est, vt mutuo amore se prosequantur, & agit tria.

Fideles sua vocationis esse memores debent.

I Primò, hortatur fideles, vt memores vocationis suæ sanctæ, in qua vocati sunt à Deo, secundum propositum gratiæ suæ, dignè ambulent, hoc est, religiosam vitam degant, ac Deo placeant: ne verò satis esse putent mediocri studio, & eadem mensura bona opera exercere, hortatur, vt & abundant, hoc est, indies magis ac magis bonis operibus ditentur. Cum dicit de cetero fratres, rogamus vos, & obsecramus in domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo. sic & ambuletis, vt abundetis magis. q. d. Non possum non assidue vos adhortari, ad piè & sanctè viuendū, vt possitis Deo per omnia placere, & post hac frui immortalitate. Nihil enim est quod æquè vos Deo commendet, quàm ipsa vitæ sanctimonia, sine qua nemo diuinam maiestatem conspexiturus est. Quod si vitæ castimonia & puritas animi in vobis splendeat & eniteat, bonis omnibus affluetis. Nā quemadmodum fœda, sordida & obscœna vita officit homini ne ditetur, & diuitiis cælestibus abundet, ita vita illibata, casta & pura facit, vt homo magis ac magis dotibus Dei locupletetur. Perfectos igitur fideles esse oportet, quemadmodum pater cælestis perfectus est. Sancti sint necesse est, quemadmodum ipse Deus sanctus est. Igitur in bonis vsque operibus progredi eos oportet, de virtute in virtutem semper ire eos decet: Non autem in cancri morem retrogrediendum est, non est retrospectiendum manu semel ad aratrum admotam. Sic enim inepti fuerint regno cælorum.

Quæ cum pro ratione officij sui imperare posset, rogare maluit,

maluit, Phil. 1. ne cum austeritate imperare velle videretur, quem admodum dominus de Pastoribus tyrannicis conqueritur, Ezech. 34. sed ut mansuetudinis formam superioribus imitandam daret, Galat. 6. fratres si preoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, &c.

*Apostolus vov-
gare maluit
quā imperare.*

Hortatur autem non ad solam fidem, sed ut opera Christiano homine digna perficiant, ut scilicet Apostoli præcepta & statuta superare contendat vitæ puritate, non contentum parere præceptis, verum etiam ultra quàm præceperit, agant. Sic enim fidei suæ energiam declarabunt, si quem admodum terra solet sua semina cum foenore reddere, ita contendat morum puritate, innocentia, & sanctimonia succincti (ut loquitur Petrus cap. 1.) lumbos mentis, & sobrii perfectè sperare in eam quæ offertur gratiam, & per bona opera certam suam vocationem efficere. Tunc enim verè Deo placebunt, dum non amplius configurati prioribus ignorantie desiderijs, exuunt veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induunt novum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: hoc est, ut habet Paulus Rom. 13. dum de somno surgunt peccati, dum abiciunt opera tenebrarum, dum induunt arma lucis, ut in die honestè ambulent, non in cubilibus, impudicijs, comestationibus, ebrietatibus, contentione, & amulatione, sed induunt dominum nostrum Iesum Christum, nec curam carnis faciunt in desiderijs; huc enim spectabat Paulus, dum ait: Scitis que præcepta dederim vobis per dominum Iesum, ac sic dicat: Nec vos later quænam præcepta vobis dederim, quæ non eò tendunt, ut ad Mosaicæ legis cæremonias, & Iudæicas observatiunculas revertamini, aut auscultetis illis qui non rectè sentiunt de Evangelio Iesu Christi, sed ut in cælesti & arcana doctrina vobis per nos tradita persistatis. Nec huiusmodi præcepta, religionem in Deum, & pietatem in proximum cõcernentia, nostra auctoritate sancita sunt, sed Domini nostri Iesu Christi. Quibus etiã verbis ostendit, se non solum fidem in Christum Iesum docuisse, sed & præcepta tradidisse disciplinæ, puta religionis perfectæ; neque præcepta esse sua, sed Christo referenda accepta, qui ait Matth. 19. Si vis in vitam ingredi, serua mādata. Apostolus quoque ait 1. Cor. 7. Nihil est præputium, nihil circumcisio, sed observatio mandatorum Dei. Ergo cum Paulus velit fideles plura agere quàm præceperit, nemo nisi impius damnare opera supererogationis potest, qualia sunt à Christo, Matth. 19. vel de paupertate, vel de continetia cõsulta. Nam ad ea quæ sunt præcepti, ex iure religionis obligamur, si-

*Opera Christi-
ano hominis
digna fideles
perficere da-
bent.*

*Deo quando
homines pla-
ceant.*

*Doctrina Apo-
stolorum præ-
cipua est estli-
ca.*

*Opera super-
erogationis
nemo nisi im-
pius damnat.*

quidem non hominum, sed Dei sunt mandata, quanquā per homines, Dei tamen ministros lata, Seruatore nimirum hoc attestante, Luc. 10. Qui vos audit, inquit, me audit, &c.

Intelligamus ergo ex hoc loco Apostolorū decreta, & Ecclesiasticorū prælatorū edicta & præcepta, plurimū roboris, & momenti habere. non enim tam sunt humana quā diuina: nam à summo legislatore dimanant, vt summa cum diligentia obseruentur.

2. Secundò, Non contentus communibus præceptis religionis eos obstrinxisse, moralia quædā secundæ tabulæ tanquam ex Dei voluntate repetit: quasi dicat: Voluntas Dei bona, bene placens, & perfecta est sanctificatio vestra: vt non solū sitis animo puri, sed & corpore; nam mentis & corporis castimonia gratissimū est Deo sacrificiū. Quòd si pruriente in libidinem carne, imò ipsa effreni carne spiritui reclamāte in vitium luxuriæ incideritis, abstinete post hac ab omni fornicatione, qua corpora conspurcantur. Sicut enim animus est hospitium Dei, ita & corpus est domicilium animi: & propterea sicut oportet animum ab omni scæda libidine purum esse, vt Deum hospitem habeat, ita quoque oportet corpus esse purum, vt animum inhabitatorem habeat. Ad hæc, sicut luxuria eneruat corpus, vires frangit, rationem obnubilat, mentem occæcat, iudiciū peruertit: ita castitas corpus vegetat, rationem illustrat, mentem serenat, & rectum iudiciū stabilis. Intelligit autem hic sanctificationem temperantiæ, quæ est ab actibus veneris, quo malo vix vllum est aut grauius aut scædus, dum quis membra Christi tollēs facit membrum meretricis: qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, 1. Corinth. 6. Corpus enim nostrum non fornicationi, sed Domino est consecrandum, Hebr. 12. & 13.

Corpus Domini non fornicationis consecrandum.

Hic autem locus, *Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra, & abstinete vos a fornicatione*, planè docet fornicatione simplicem esse peccatū mortale. Si enim sanctificatio nostra sit voluntas Dei, ergo omnis immunditia & impudicitia diuinæ voluntati obstitit. Tum quoque: omne peccatum quod est contra voluntatem Dei, est peccatū mortale, sed fornicatio simplex est peccatum contra voluntatem Dei: igitur est peccatū mortale. Sed & frustra S. Tobias monuisset suum filium vt vitaret fornicationem, nisi esset peccatum mortale, Tob. 4. Seruet igitur vnusquisque corpusculum suum velut vas fictile, purum & incontaminatum.

Adò enim Deo est inuisum hoc malū, vt & præsentibus & æternis suppliciis puniat, Num. 25. 1. Cor. 10. & Heb. 13, ait, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, nec regnū Dei possidebūt: ideo & excommunicatione punit Apost. 1. Cor. 5.

Imò

Imò ne nominari quidem vult inter fideles, Ephes. 5. Vide etiam Prou. 5. 7. Neque verò faciæ litteræ tantû; sed barbaræ quoque nationes in adulteria, scortationes & fornicationes grauissimè semper animaduertunt. Nam adulteros Græci

*Græcorum ad
nimaduersionem
adulteros.*

verberabant, tondebant, naribus priuabant, ac occidebant, Arabes capite puniebant, Aegyptij virgis cædebant, Tartari publica lege statim occidebāt, vt faciliè inde intelligas ipsam quantumlibet corruptam naturam, ab his tamen vitiis abhorruisse, quæ proh dolor, ludum nunc arbitratur potior Christianorum pars, Sap. 13.

Neque verò ad perfectionē vitæ Christianæ satis arbitratur Apostolus ab his abstinuisse criminibus, sed vult quemque fidelem & conjugatum, vxorem quam valis nomine intelligit, possidere in sanctificatione & honore, hoc est, vt habet August. lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 8. vt non solum alienam non appetat, sed ne propriam quidē in cōcupiscentiæ carnalis morbo possideat, alioqui adulter censendus est, qui in vxorem ardentior est amator, sed vt maritalem congressum, cui morbida libido est annexa, adhibeat tanquam necessariū soboli in gloriam Dei procreandæ, non voluptatis causa. Et hac intentione qui suam coniugem possidet, habet non in passione desiderij, sicut gētes, aut ethnici, qui suis indulgent passionibus, eo quòd Deum ignorent, quorum vitia vides descripta, Rom. 1. Illo quippe concupiscentiæ malo vitatur, non vincitur, quādo illām inordinatis motibus estuantem frenat & cohibet, nec nisi propagationi consulens adhibet, sicut sancti patres Abraham, Isaac, Iacob, & David, qui, vt habet idē August. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 12, sufficiendæ prolis & multiplicandī populi Dei causā plurium vxorū habebant inculpabilem consuetudinem. Castitas ergo tam in matrimonio quā extra matrimonium esse & seruari potest & debet, vt commodius & syncerius Deo inferuiant. Vnde in priori ad Corinth. epist. cap. 7. dicit B. Paulus de his qui matrimonij iugo vincuntur: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tenter vos satanas propter incontinentiam vestram. Et B. Petrus 1. epist. cap. 3. Viri similiter, inquit, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vaseculo muliebri impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. Castus autem, temperatus & debitus matrimonij vsus, ad bonum prolis ordinatus, in honorem & gloriam Dei cedit. Vnde idem Apost. ad Hebr. 13. dicit: Honorabile connubiū in omnibus, & thorus immaculatus. Quod si quis effrenata concupiscentia vellet cōgredi cum sua vxore ac si non esset

*Adulter est, in
vxorem ardens
amor.*

*Castitas aqne
in matrimonio
atque extra
matrimonium
seruari debet.*

sua, & adeo libenter atque cum alia, peccaret mortaliter. Illa autem effrenis concupiscentia & immoderata voluptas, non conuenit Christianis, sed Gentilibus, qui præter hanc præsentem & momentaneam vitam, non sperant futuram. Castitas extra matrimonium est, se ab omni coitu & concupiscentia carnali continere. Castitas verò in matrimonio, est temperanter commisceri cum coniuge, idque liberorum procreandorum causa & amore. Quicumq; igitur extra matrimonium sunt, hoc est, siue in virginitate, siue in viduitate, ij neque coitum neque concupiscentiam admittant, sed in sanctificatione & honore possideant corpus suum. Mulier inuupta & virgo cogitet ea que domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu, 1. Cor. 7. Quicumque verò sunt in matrimonio, ij aliquando quidem conueniant, sed mediocriter & honeste: & conueniant non exatiande libidinis causa, sed propter amorem procreandorum liberorum. Christiani sumus, non gentes, homines, non bestia. Ergo non decet nos gentium & bestiarum more abuti corporibus nostris, eaque omni iuga spurcicia contaminare, quæ in baptismo facta sunt templa Spiritus sancti, 1. Corinth. 6. & quæ Apost. vult arma iustitiæ fieri Deo. Rom. 6.

*Auaritia mag-
nos in repub.
motus exci-
tare solet.*

3 Terribè, Quia magnos in omni republica motus excitare solet auaritia, ideo grauissimè eam prohibet, dicens: *Ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum*, hoc est, in negotiis contractuum, mercatus, aut assicurationum, aliisque congressibus reipubl. necessariis, dum fraude, imposturis, dolo malo, rapina, scenore, iniquis mensuris & ponderibus, ex aliorum incommodis & damno, sua quærit comoda. Quando videlicet mendax in stateris, Psal. 61. Prou. 11. 16. 20. pòdus & pòdus est in domibus ipsorum, Deut. 25. Osee 12. Ezeq. 45. & fasciculis iniquarum cautionum miseros opprimit, Isai. 5. 58. 10. huiusmodi perstringit Isa. cap. 10. dum ait: *Væ qui conditis leges iniquas, & scribentes scribitis iniustitiam, idq; vt opprimatis in iudicio pauperem, vt vim faciatis caulle humili, vt sint viduæ præda vestra, & vt pupillos diripere- tis. Diligenter hic obserua, quia ad castitatem nos prouocans, & volens vxoribus tantum esse contentos, dixerit: ne quis supergrediatur, & circumscribat in negotio fratrem suum; id est, ne suam coniugem detelinquens, alterius polluere quærat vxorè. Hæc D. Hieron. in cap. 4. ad Ephes. Omnes quippe homines sunt fratres nostri & sorores; fratrum autem & sororum est, mutuò, & ex animo se diligere: Ergo & nos omnes ex animo diligamus oportet. Quod etiam tum fiet, si neminem, nec læsione corporis aut membrorum, neque demigratione fame, neque calumniis seu obrectationibus op-*

*Esaias loqui-
tur in tercia
persona.*

prima

primamus aut laedamus, non cupimus huiusmodi fieri nobis ab aliis, itaque nec aliis à nobis fieri debent: quam mensuram cupimus nobis infundi, eadem & aliis meriamur.

His alioqui grauissimè cōminatur Propheta, Et Paulus, dum ait. *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Cum enim ex auaritia malorum omnium ita lice hæc proficiat, quam idololorum seruitutem vocat Ephes. 3. fieri nequit, vt regnum Dei possideat, quisquis ex iniquo ditescere studet. Siquidem auari, rapaces ac fures regnum Dei non possidebunt, 1. Corinth. 6. Nunquam enim, vt habet Augustinus in epistola ad Macedon. remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, non solum furto & rapina, verum etiam fraude, dolo, imposturis & periurijs; hæc enim tam sunt restitutioni obnoxia quàm illa. Atque huc respexisse videtur Apostolus, dum tanta seueritate Dei iudiciū proponit iis qui malis artibus questum facere student. Cum tamen huiusmodi impostores & vsurarij non sint habituri partem in regno Christi & Dei. Vindicabit autem dominus illorum crimina qui fraudulento negotio suum fratrem Christianū circumueniunt. Animaduertet & in illos, qui foeda libidine templum Spiritus, s. polluerunt. nam eo sine nos ad se accersiuit, vt puritate vitæ, & castitate eum corporis & animi, nostram professionē tueremur. Et propterea qui in pristinas fordes, à quibus semel fuerat ablutus, reuoluitur, suamque animam multis vitis foedat & contaminat, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit nobis spiritum, s. castitatis amatorem.

Auaritia videtur dixit omnium malorum.

Hinc tandem admonet nos etiam vocationis nostræ, seu finalis causæ iustificationis nostræ: mirum, non vocatos nos esse à Deo ad immunditiam, sed ad iustificationem: prophani quidem & immundi ante fuimus, verum lauit nos Christus ab hac immunditia per proprium suum sanguinē, vt posthac mundi essemus, nec inquinaremur rursus. Estote sancti, ait, quoniam & ego sanctus sum. Leuit. 19. Nemo ergo dicat: Credo, & baptizatus sum: peccatum mihi non imputabitur: hoc siquidem nihil aliud est dicere, quàm, quantū peccata abundant, tantum etiam abundat & gratia: quorum damnatio iusta est. non sic impij, non sic, neque enim gratiam in vanum recipi conuenit: quare qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Apoc.

Deus in quem suum vocauit nos.

EPILOGVS.

Bisariam lectio præsens diuiditur: prima sectio est, ut in bono opere perseueremus, & abundemus: secunda est indicium, quo nobis Apostolus indicat, in qua via iustificationis iustificandi ambulemus; eamque duplicem esse ostendit: altera est castitas: altera autem simplicitas. castitas in nobis in ipsis seruanda est; simplicitas vero erga proximos exercenda.

DOMI-

Matth. 15.
Marc. 7.

In illo tempore: Egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis, &c.
Finis Euangelij: Et sanata est filia eius ex illa hora.

EVANGELIUM hoc admirandum constantissimæ fidei, patientiæ, perseverantis orationis & charitatis complectitur exemplum, nec non & alia multa in eo comprehenduntur ad nostram doctrinam facientia, cuius primaria argumenta sunt tria.

I Primum, Mulieris Syrophœnissæ orationē cōplectitur, quæ singularem ipsius fidem, pietatem, & in oratio perseverantiam insinuat. *Digressus itaque illuc Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis*, hoc est, egressus à Iudæa in gentium terminos, non ut ibi tum regnum Dei doceret, sed ut lateret aliquandiu, Marc. 7. nimirum eo adumbrans se post per suos re ipsa deserturum Iudæos obstinatos, & iturum ad gentes, hisque missurum Evangelium, ac servaturum eas; quemadmodum & factum est, Marc. 16. Act. 13. *Et ecce mulier Chananæa statim ut audivit de eo, à finibus illis egressa*. Omnia mira sunt, hinc est quod Evangelista ait: *Ecce, quia mulier est, non vir: hæc quæ à viro doceri debuerat, vice versa, & viros Phœnicis tuo exemplo ad fidem inuitat, non minus quàm Samaritis, Ioan. 4. incolas Samariæ, & Iudæorum infidelitatem retundit. Non illa Iudæa erat, vt Martha & Magdalena, sed Chananæa, è populo Israël infensissimo. Ita infirma mun si elegit Deus, vt cōfundat fortia, 1. Corinth. 1. Esai. 26. 33. & Abd. 1. Ex quo observandum nullam apud Deum sexus, aut nationis esse discretionem, sed vt in figura veli Petrus edoctus est, Act. 10. in omni gente qui facit iustitiam, Deo acceptum fieri. Non enim acceptio est personarū apud Deum, Rom. 2. Ephes. 6. Coloss. 3. Non est in Christo aut mas aut femina, vt nec Græci à Iudæo distinctio. Quod à finibus illis egreditur Christo obviam, cordis devotionem & alacritatē insinuat, quæ ne stertere in cubili aut domo, nec ab amicis mundi huius reuocari nos permittat. Sic egreditur Abraham sacrificaturus, Genes. 22. & angelos excepturus, Genes. 18. Egreditur & Helias è spelunca, loquētem Dominum discreturus & auditurus, 3. Reg. 19. Quod item idololatriæ fines Chananitidis egreditur. vt Christum adeat, docemur & vitia, propriosq; carnis affectus abdicare à nobis, vt ad Deum pia mente progrediamur. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? 1. Corin. 6. Accedendum ergo ad eum plenitudine fidei, aspersi corda à cōscientia mala, & abluti corpus aqua munda, Heb. 10. clamant: Clamare quoque feruorem pietatis suæ insinuat.*

De terra sci-
licet Gensan-
sib.

Innuat. Sic clamor Israël, Exod. 3. Ionæ, Ion. 3. Et Stephani, Act. 7. deuotionis intètionem significat. Dicens ei: *Miserere mei Domine fili Dauid.* Perfecta utique cõfessio: nam & dominum vocans, Christi diuinitatem exprimit, qui dominatur potestati maris, cui etiã data est omnis potestas in celo & in terra. Filium Dauid Christum appellans, illius humanitatem & incarnationem exponit, ex femine scilicet Dauid secundum carnem est, Esai. 11. Hierem. 23. Math. 1. Luc. 1. Chrysof. hom. de Chananzæa.

Officium quoque & munus quod acturus venerat, succinctè explicat d. miserere mei, vt qui venerat misereri, Esa. 61. Psal. 84. & 47. Vnde sæpius se turbæ misereri, nec missum asserit, vt mûdum iudicet, sed saluet, Ioan. 3. & in figura misericordis Samaritani se exprimit, Luc. 10.

Obferuant Chrysof. hom. 5 2. in Math. Theophyl. Hieronymus, & Gloss. fidẽ mulieris istius maiorem fidẽ Reguli, Ioan. 4. quod non dicat: Veni & sana, sed tãtũ miserere: vt cuius misericordia sola, non autem necessarii corporalis præsentia requiratur curandis animabus & corporibus. Expendunt quoque eam nihil ex merito postulare, sed ex mera ipsius bonitate. Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed per suã summã misericordiã saluos nos fecit, Tit. 3. Misericordia quippe Domini quia non sumus consumpti.

Filia mea malè à demonio vexatur. q. d. Dauid per misericordiam consecutus est regnum, fac & tu misericordiam, vt nostrum tibi semper famulerur obsequiũ, quia misericordia superat omnia opera tua, Miserere ergo mei. Dauid pulfando citharam, fugauit malignum spiritum vexantẽ regem Saul, 1. Reg. 16. sic tu verbis tuis dulcisonis potes effugare dæmonia. Dauid dimissis ouibus patris sui iuit & liberauit filios Israël fratres suos de manu Goliã, 1. Reg. 17. tu verò fili Dauid, relictis nonaginta nouẽ ouiculis. i. nouem choris angelorum, venisti ouem errantem & perditam quærere. Ecce filia mea etiam ouicula non tam errans est, quam rapta ab infernali lupo. Miserere ergo mei: Ipsa mēus est impos, clamat, spumat, nititur se in ignem vel aquam præcipitare, præ dolore seipsam discerpere, crines & oculos mote phanaticorum euellere. Natura iubet vt mater filiæ miseria tangatur; Miserere ergo mei, & dic verbum, mox quæ liberabitur filia mea à dæmonio, omnium hominum misanthropo.

Luc. 8. & 9.
Diabolus misanthropos, id est, hominum osor.

Filia mea malè à demonio vexatur. Emphasim habent omnes hæc dictiones. Filiam vocat, cui mater compati debeat: meam dicit, dilectione scilicet & origine, vt quæ baculus senectutis eius esset, Tob. 4. Conditio igitur languentis, rem ipsam exaggerat. Sed & ratio morbi, vt quæ malè à dæmonio torqueatur.

queatur. q. d. iuxta Chrysoft. hom. de Chanaan: Vbi vadam? Quo pergam? In eremum ire non audeo, nec illam solam relinquere. In domo sedere non possum, quia intrinsecus est inimicus. Quo nomine eam dicam? mortuam? sed mouetur. Viuam? sed nescit quid faciat. Si mortua esset, non talia pateretur. Tradidisset utique corpus in sinum terræ, & tempore euoluto obliuionem malorum haberem. Nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, sine sensu viuum, spectaculum lamentabile. Cerno enim oculos eius transuersos, aspectum sanguineum, manus intortas, crinem dissolutum, collum contortum, ora spumantia, inimicum incendientem & non apparentem, tortorem clausum & flagella resonantia: neminem interrogantem & illam cum clamore eiulantem. Adsum sermocinatrix malorum meorum, præsto sum stimulatè natura. Miserere ergo mei, quia filia mea malè à dæmonio vexatur. Tertullianus lib. de fuga in persecut. narrat aliquando licere diabolo in domesticos Dei sæuire non propria potestate, sed Dei permisso, his scilicet ex causis, aut ad probationem vt in Iob; aut ad reprobationem, vt in Saul, 1. Reg. 16. aut ad cohibitionem, vt in Paulum egit satanas, 2. Corinth. 12. aut ad emendationem, vt Hermogenes & Phigelus satanæ traditi sunt, 1. Timoth. 1.

Qui non respondit ei verbum. Exclamat hic Chrysoft. in hom. de Chanaan. O noua & mira res! Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragediam, enarrat passionem, & amator hominum non respondet. Sermo tacer, fons clausus est, medicus medicamenta reuertit. Quid nouum? quid admirabile? Alios prouocas ad sequendum, & hanc miserabilem abigis insequentem? nequaquam. Sed perseverantiam illius in suorum exemplum experiebat, ne nos resiliamus, si id quod petimus, cito non assequamur.

Illud tamen hic obseruare pios oportet, Deum subinde sese quasi alium exhibere quam sit. Cum enim natura clementissimus sit & piissimus, de quo Psal. ait: Desiderium pauperum exaudiuit dominus. Et iterum: Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum; ostentat tamen quandoque se paulo seuiorem, & quasi suorum preces negligentem: quod non alia ratione facit, quam vt magis magisque excitet, & exerceat electorum suorum fidem, & aliis etiam conspiciendam proponat. hinc Euangelista addit: *Qui non respondit ei verbum.* Quod etiam fecit ob alias maximas causas: quarum prima est, ne daret ansam calumniandi Iudæis, si gentile & idololatram exaudisset statim, veluti idololatriæ criminis dissimulato, quod vndique in lege horrendum ostenditur. Secunda autem, quia prohibuerat discipulis, ne gentibus prædica-

prædicarent Euangelium, idque ne murmurarent Iudæi, Matth. 10.
 Tertia, vt doceret nos, ne statim impuris, crassis que peccatoribus benigni simus, ne inde putet non se tam peccatice enormiter. Quarta vero, vt eam pro tunc suo verbo indignam ostenderet, quæ tempore magis oportuno cum cæteris gentibus gratiam impetraret. Gentes enim super misericordiam honorant Deum, Rom. 15. Tandem vt perseverantiam eius in oratione semper imitabilem demonstraret, ac doceret nos quantum valeant apud Deum improbarum preces, ex humili corde & firma fide profusæ. Oratio humiliantis se, nubes penetrat, Prou. Et Iacobus cap. 5. Multum valet deprecatio iusti assidua. Et accedentes discipuli rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Beda hic dicit Christum suo illeto suos ad intercedendum pro muliere prouocasse. Clamat post nos, q. dicant: Theatrum clamoribus excitauit, omne commouit vulgus. Quasi & illum clamorem erubescendum arbitrarentur. Chrysof.

Hilarinus, Theophylactus & Euthymius hic intercessionem Apostolorum & aliorum sanctorum astruunt. Et si Deus liberalissimus sit, sciat quoque, quid nobis opus sit, Matth. 6. Tamen orari vult à nobis, vt oratione testemur, quantum illi deuincti sumus; vt qui omnia quæcunque habemus, ab eo accipimus. Idcirco Dominus Iesus, qui misereri venerat, & memorari testamenti sui sancti, Luc. 1. non semel tantum, sed bis, & tertio à muliere exorari, immo & ab Apostolis pro ea deprecari voluit. Sic & nobis & aliis vtilis nostras apud eum orationes esse docebat. Orat enim mulier pro filia, & Apostoli pro muliere, vt in hoc pro inuicem nos orare debere, Iacob. 5. & nostram in proximum charitatem commendare demonstraret. Idcirco omnes sancti, qui de hac vita decesserunt (ait Origen. homil. 3. in Cantic. Cantic.) habentes adhuc charitatem erga eos qui in mundo sunt, dicuntur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis. Scriptum est namque in Machabæorum libr. 2. Mach. 15. Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo. Hinc est, quod Gregor. Nyssen. oratione pro Theodoro martyre, Theodorum iam celo fruentem sic orat: Fratrum tuorum martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare. Multorum iustorum preces, multitudinum ac populorum peccata luant. Admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item theologum ac discipulum dilectum, vt pro Ecclesiis quas constituerunt, solliciti sint, pro quibus cathenas gestauerunt, pro quibus pericula & mortes tulerunt, &c. Sic B. Augustinus tom. 3. de spiritu & anima, cap. 50. consortes supernorum civium pro se orare expostulat, Magnæ enim

enim virtutis sunt preces orationesque sanctorum, ait Chryso-
 st. homil. 5. in Matth. cap. 1. Et tom. 1. hom. 2. in Psal. 50.
*Ille autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus
 Israël. non hoc dicit, ait Hieron. in Matth. quau ad gentes
 non missus sit: sed quod primum ad Israël, vt illis non reci-
 pientibus verbum, iusta fieret ad Gentes transmigratio.*
 Nam Gentibus etiam missus erat, vt testatur Esaias 42. 60.
 & Lucas 2. Aut non missus, vt promissus specialiter, com-
 munitur suam corporalem praesentiam, & miracula, sed
 ouibus Israël. Oves perditas Israël vocat, iuxta illud Psal.
 Nos populus tuus, & oves pascuae tuae, & congregatio fide-
 lis populi ante domini aduentum. Perierat autem oves eo-
 rum malitia quibus fuerant concreditae: nimirum supersti-
 tionibus & deprauationibus Pharisaeorum, vt sub typo vi-
 nae docet Christus Theophylactus.

2 Secundum, Proponit mulieris in orando pro filia à dæ-
 monio vexata constantiã. Non enim mox animum deiecit,
 etiã si non statim exaudiatur, sed fortiter in ipsa perseuerat
 inuocatione, exemplo vidue, quia (vt est Luc 18.) orationis
 perseuerantia quod cupiebat consequbatur à iudice: nam
 post Apostolorum preces non exauditas, *illa venit & adorauit
 eum.* Orabat prius post Christum, nunc verò vbi fides au-
 daciam suggestit, se Christi vultui offert, & prona ad-
 orat. Adorandus quippe Christus, cum verus sit Deus. Vi-
 debat foris humanitatem, credidit inhabitatem diuinitatẽ.
 Scriptum est enim Deut. 7. Vnum Deum adorabis. *dicens: Do-
 mine adiuua me,* non dixit, roga vel deprecare Deum: sed Do-
 mine adiuua me, quasi credat illum authorem & largitorem
 esse auxiliij: nec accusat Christi feueritatem, qui ipius ora-
 tionem, lachrymas, fidem, humilitatem, qua sese etiam ad
 geniculatione vsque deiecit, neglexit: neque detestatur con-
 ceptam de ipso opinionem, deceptam sese existimans, quòd
 duriorum illum experiretur, quam existimaret, cum illi re-
 sponderet. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Pa-
 nis est verbum Dei, Matth. 4. quod nostras animas foueat,
 item miracula, sacramenta, & id omne quod nos ad Dei co-
 gnitionem adducit, & spem vitæ aeternæ in nobis conciliat:
 qualia sunt beneficia Dei in nos, & similia, Glos. *Filij Iudæi
 sunt,* quorum semper vt pater filiorum Deus sollicitus, fuit,
 quos dilexit, quibus terram promissionis donauit, & per
 Christum regni caelorum hæreditatem pollicitus est. *Canis
 Gentiles fuerunt,* vt qui scripturas impiè in suorum princi-
 pum detorsissent applausus, more canum cauda applauden-
 tium, & in Dei verum cultum, legemque adlatrarunt. Scriptura
 enim sacra impurum & impudentem, canem vocat.

*Perseuerantia
 in oratione
 requiritur.*

Canes quoque censendi sunt omnes contentiosi, voraces, libidinosi, qui nullum æqualem ferunt; quales depingit hæreticos Paulus. Sunt enim, inquit, semetipsos amantes, elati, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obediētes, volupratum amatores magis quàm Dei, 2. Timoth. 3. Ne igitur margaritas ante porcos mittamus, ne cum illis versetur, ne de diuinis colloquamur, ne quod cum illis nobis sit commercium, ne sacramentorum nostrorum eos participes faciamus. *Nec propter hoc responsum resibi indignata velut Naman Syrus, quin potius Dominum constrinxit, vicitque d. Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ac si dicat: Et si sum canis, tu tamen es Dominus meus & Deus meus. Canis fidelis est domino suo, & ægrè ab eo diuellitur, sic & ego tibi adhaerebo, nec à te recedam. Canis enim si expellatur per vnum ostium, per aliud intrat, aut si potest, per fenestram irrumpit; ita & ego quamuis semel atque iterum repulsam patiar; adhuc tamen ad te confugio, nec dimittam donec benedixeris mihi. Si ergo canis sum, nutri me vt canem, satis me beatam reputabo, si saltem minutissima fragmenta gratiæ tuæ à liberorum mensa cadentia accepero: quod tum erit, si respexeris filiam meam, cuius sanatio minutula mica erit respectu grandium miraculorum Iudæis Dei filiis exhibitorum, vt merito hinc magnam illius fidem, & patientiam admirari liceat, quæ contra spem in spem tamen (vt de Abraham testatur Apost. Rom. 4.) credidit, quæ neque quasi propriæ orationi diffidetur, Apostolorum iuuatur suffragiis. Sanctorum enim preces non diffidentibus aut desperantibus, sed credentibus & sperantibus patrocinantur.

Neque propterea irritas esse diuorum preces existimabimus, quòd eas hoc loco Christus negligere visus sit: siquidē aliis locis innumeris eas scripturæ commendat, vt supra declaratum est. Nam Abrahæ preces pro Abimelech suscepit Deus, Genes. 20. Paulus sanctorum preces sibi prodesse posse credens, eas in omnibus penè epistolis petit: orant etiam fideles pro Apostolo Petro captiuo, Act. cap. 12. Malè ergo hinc negatiuè argumētantur, qui sanctorum inuocationem damnant; neque enim ideo non audiuit Christus Apostolos, quasi indignæ fuissent ipsorum preces, sed vt magis mulieris fidem exerceret, vt constantiam omnibus faceret perspicuam, vt denique doceret, si quando aliorum preces ambimus, nos denique non debere aut omittere, aut negligere: siquidem tunc demum illæ profunt, quæ ab aliis funduntur preces, cum ipsi & oramus, & vitam emendamus.

Quod igitur ait Christus, non decere, vt panis filiis negetur, & canibus detur, significare voluit gratiam noui testamenti lu-

Preces sanctorum credentibus & sperantibus patrocinantur.

Gratia noui testamenti lu-

de is primum
præparata.

menti, cognitionem nimirum Euangelij, aliaque eius beneficia, Iudæis primum præparata, Act. 13. Vobis oportebat loqui verbum Dei, &c. Non autem gentibus, qui canum mores infidelitate & scelerum licentia imitabantur. Quo dicto vehementer pupugit mulieris animûm, & quæ relicta videbatur infidelitas, expurgabatur. Est enim sermo Dei viuus & efficax, &c. Hebr. 4.

Fidei & con-
stantiæ præ-
mium.

3 Tertium fidei & constantiæ præmium, quod est primò reconciliatio cum Deo, quæ ex gentili facit Israëlitam, & ex catella filiam Dei, hoc est, vt loquitur Apostolus, hæredē Dei & coheredem Christi, Rom. 8. Efficit enim hoc fides, Ioan. 1. quæ Augustino teste, prima datur, per quam cætera impetrantur. Tanta autem fuit huius mulieris, tum fides, tum humilitas, tum prudentia, vt à Christo canis appellata, non solum non excanduerit, sed sese etiam magis deiecerit. Vides ait Chrysof. hom. 52. in Math. mulieris prudentiam? Vides quomodo nec contradixit, nec de aliorum laudibus doluit; nec quia contemni videbatur, molestè tulit? Non sibi damno ducit, aut ad iniurias transfert quod sibi dicitur. Nec enim miserum dicendum est, quod fit salutare, ait Tertull. lib. de pœnitentia, nec quoque increpationes, & seueriora patrum verba, filij aliter, quàm magnæ in eos dilectionis insignia interpretari debent. Sed pro dolor, nec etiam nos apud magnates culpa vacamus, si aut iudicium corruptelam, aut Ecclesiasticorum symoniam, aut superbiam diuitum & auaritiam, inter verbi diuini conciones depingamus. Adeo vice versa in cælum euehi volunt, qui ne quidē terra digni sunt: cum tamē hic primus ad salutem gradus, agnoscere propriæ naturæ miseriam, infirmitatem & malitiā, denique indignā omnibus Christi beneficiis, adeo vt misericordiæ sit quicquid à Deo contingerit. Est autē hæc Dei misericordia tanta, vt non solum filios pascat, sed etiam catellos, micis à mensa decidentibus, hoc est, peccatores, impios, & infideles alia beneficiis rerum præsentium, Matth. 5. Vnde sequitur, Respondens Iesus dixit: O mulier magna est fides tua. Fidem illius extollit, vt quæ bene fundata esset, nec tot repulsionibus emoueretur, sed inuiolabilis permaneret, quæ charitate in filiā polleretur, quæque deuotione effectusceret. Sed quænam fides hinc attendenda? Sux ipsius nuditatis agnitio, Dei benignitatis certa persuasio, infatigabilis fiducia oratio, oris clara confessio, &c. Certè magna eius fides, quæ non viderat mortuos suscitatos, non leprosos mundatos, nec prophetas audierat, nec scripturas legerat; imò maior quàm Archisynagogi fuit, Matth. 9. qui dixit: Veni impone manum tuam super filiam meam, & viuet: maior quàm Reguli, Ioā. 4. qui ait: Domine descende

Gradus primus ad salutem, agnoscere propria natura miseriam.

Fides Synopla nissa magna quæ.

descende priusquam moriatur filius meus: maior quam Marthe fides, Ioan. 11. Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Talem utique fidem scriptura ubique commendat, talem nobis ubique proponit, talem à nobis exigit. Propter hanc Apostolus, Philip. 3. omnia detrimenta arbitrabatur, ut Christum lucrifacere posset, & inueniretur in illo, non habens iusticiam quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide Iesu Christi, Philip. 3.

Fiat tibi sicut vis. Fiat vocula Deo propria, qua suam etiam diuinitatem Christus insinuat. Voluntatē quoque bonā indicat in nobis, quā Dominus, ut opere cōpleatur, indulget.

Alterum fidei & constantiæ præmium est sanitatis in filia restitutio, quæ virtute Christi liberabatur à sathana qui eā alligauerat, & matri pro ea deprecanti reddebatur. Nam sanata est filia eius ex illa hora. Idque fide matris & oratione, quibus permotus Christus diuina sua virtute filiam eius sanauit. Sic medica plus valet arte Deus. Nec poterat aliis explicare Euangelista, Deum temporis successu in curando & operando non egerē. Dixit enim & facta sunt, ait Psal.

Obseruandum hic quoque fidem alienam etiam sanandis prodesse, quemadmodū infidelitas obest & nocet. Fide Marthe & Mariæ etiam excitatus Lazarus, & Centurionis curatus est seruus. Quæ in Anabaptistas militant, alienā fidem detestantes, & probant paruulis parētum in baptisino fident esse vtilem. Vide Cyril. Carech. 5: & Optatum Mileuit, lib. 4. contra Permenianum. Et cum abiisset domum (ut Marcus habet) inuenit puellam iacentem super lectum, & dæmoniū exiisse. Quo haud dubiè significare voluit Christus, Ecclesiæ fidem & orationem, quæ pro peccatoribus & hostibus fidei in dies offertur, irritam esse non posse, atque adeo ipsos penitentes virtute sacramentorum absolutos restitui vnitati Ecclesiæ, eiq̄e obedire debere, nam remissio peccatorum & iustificatio quæ Christi beneficio cōtingit, non adfert libertatem illam carnalem, sed spiritus: qua fit, ut Ecclesiā agnoscant, eam reuereantur, ac eius præceptis obtemperent.

*Ecclesia fides
& oratio efficiat.*

Potest & ethica doctrina ex hoc Euangelio peti, qua moventur parentes, ut non solum filiorum corporibus aut fortunis consulant, sed salutis potius & animæ rationē habeant: habent enim & isti aliquando malos spiritus intra se, utpote spiritum superbix, auaritiæ, luxuriæ, odij vel inuidiæ, &c. qui non faciliè eiciuntur, si quando locum suis desideriis aptum inuenerint. Rogandus itaque Deus, quatenus ipse malos illos hospites effugare velit. Sed heu miseros parētes, quos contrarium indies agere videmus: morbos illos spirituales non curant, vtcunque letiferi & capitales sint, cum in-

Doctrina ethica pro parentibus.

terim ad paruam digiti alicuius cicatricem tantum non cæ-
lum, sed & terram inuogent: neque enim aliunde tanta mo-
rum corruptela erepsit, quàm ex nimia parentum indulgen-
tia. Utinam sanctæ Monicæ matris Beati Augustini imita-
rentur exemplum.

EPILOGVS.

Consolationem presentem & gloriam ingentem nobis hic habemus proposi-
tam, qui quondam ethnici eramus. Iudeos tanquam indignos canes reliquit,
conferens se ad ethnicos, non ut illis Euangelium regni denuntiaret, quod S. Mar-
ci satis indicat, sed ut apud illos delitescens præluderet abisitionem Iudeorum,
& uocationem gentium. Iuxta præludium hoc, apostolos (quibus prius prohibuit
ne irent in vias gentium, Matth. 10.) tandem iussit ire in vniuersum orbem
predicare & baptizare, Marc. 16. quam iussione[m] implese leguntur Paulus
& Barnabas, Act. 13. Exemplum quoque constantissimæ fidei, humilitatis,
& patientiæ, & perseverantiæ in muliere alienigena nobis imitandum proponitur.
Perseuerantia ac pertinacis orationis figuram pulchrè designat lucia ipsius Iacob
cum angelo, ad quem Iacob inter laudandum aiebat: Non dimittam te, nisi prius
benedixeris mihi, Genes. 31.

Exemplum fi-
dei, humilita-
tis, patientiæ,
& perseveran-
tiæ in Chana-
næa.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE SE-
CVNDÆ QVADRAGESIMÆ, EPISTOLA.

Daniel. 9.
Exod. 15.

Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti
in manu forti, &c. Finis Epistolæ: quia nomen tuum invocatum est su-
per civitatem & super populum tuum.

ORATIO hæc Danielis nostro seculo pernecessaria, in
qua humiliter & ardentè supplicat Domino, non pro
se tantum, sed potissimum pro Israëlè vniuerso, in gloriam solus
Dei, ut scilicet reduces in terra sancta & in monte sancto sa-
crificate rursus Deo permittat, & nomē eius sanctum magni-
ficare, quod in captiuitate iuxta legem haud quaquā poterat
facere, hoc ipsum Psal. 136. attestat: Quomodo cātābimus
canticum Domini in terra aliena? & agit potissimum tria.

I Primò, Magna animi deiectione tribuit Deo gloriam,
honorem & potentiam, quòd populum suum eduxerit olim
de terra Aegypti, id est, de domo seruitutis, & fornace fer-
rea, idque in manu forti, & brachio extento; dum Reges po-
tentissimos, omnesque aduersarias potestates ira deleuerit,
ut victorem vbique populum suum faceret. Est autem ob-
seruanda Prophetæ in hac oratione plusquam rhetorica, ut-
pote à Spiritu sancto profecta, venustas & elegantia. Siqui-
dem non ante causam proponit, quam eius quem exorare
conatur, beneuolentiam captarit. Solet enim irati animus ad
deteriora prouocari, quando qui displicet, ad intercedendum
mittitur, aut si displiceat pro quibus interceditur, vnde etiā
prohi-

Oratio Da-
nielii plusquam
rhetorica.
Irati animus
quando ad de-
teriora prouo-
cetur.

prohibuit Dominus, ne propheta Hieremias intercederet pro populo pertinaci & præfracto, Hier. 7. 11. 14. Itaq; quod commune est omnibus prophetis, tribuit Deo iustitiæ, potentia & æquitatis laudem; nam omnia quæcunque facit, in vero iudicio facit: & quia omnes peccauerunt, iustè omnes punit, vt agnoscat hi quibus parcat, ipsum non nisi misericorditer parcere. Proficiscitur autem hæc confessio ex vera cordis contritione, iræ Dei consideratione, & agnitione peccati, quæ excitantur in nobis gratia Dei, lumine fidei, & ipe. Sic Dauid mox vt peccatum agnoscit, tribuit Deo iustitiæ laudem, Psal. 50. Tibi soli, inquit, peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. hos autem fructus parit in nobis afflictio, miseria, egestas, & tribulatio; Daniel nanque in captiuitate constitutus, Deo hanc iustitiæ laudem tribuit. hinc Iosaphat ait 2. Paral. 20. Cum nesciamus quid facere debeamus, hoc residui habemus, vt oculos nostros ad Dominum Deum erigamus, vt Dei adiutoriū imploremus, donec misereatur nostri.

*Confessio esse
vera cordis
contritione pro-
ficisci debet.*

Hominibus verò tribuit confusionem, ignominiã, & miseriam, dum ex vera confessione, & agnitione iræ Dei, se suosque omnes accusat, ac diuinam iustitiam commendans, ait: *Peccauimus, iniquitatem fecimus Domine, in omnem iustitiam tuam.* Quare iusto tuo iudicio populus tuus ductus est in captiuitatem. Templum sanctuarij tui desertum est, & ciuitas Hierusalẽ, super quam innocatum est nomen tuum, deserta est. *Aueratur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Hierusalem & à monte sancto tuo, propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.* Filii sæpe propter delicta parentum corporalibus pœnis affligi dicuntur: quia secundum corpus sunt aliquid parentum, & descenderunt ab eis, & sapissimè patrem sequitur sua proles. Ideo orat Daniel has punitiones à Iudæis cessare, urbemque & templum reædificari precatur. Dionys. Sed quid? Nunquid non exorauit Daniel? Imò exorauit priusquam peroraret, vt oraculum Isaia cap. 65. adimpleretur. *Cumque adhuc, ait, loquerer & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israël, & prosternebam preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei, adhuc loquente me in oratione mea, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, cuius volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.* Summa est: Deus consolatus est prophetam virum desideriorum, & fecit illi secundum omne desiderium suum. Et teste Hieron. quòd Dei misericordiam est consequutus, hoc ad nostram facit consolationem, Rom. 15.

Daniel exorauit Dominum, quod ritè oraret.

Vtinam hæc confessionē ex animo omnes pij hodie, quos tangit misera Ecclesiæ facies, sicut verbis passim, ita animo

Religionis miseriam dolent omnes, sed nemo agit penitentiam.

syncero imitentur. Passim quidem omnes miseram religionis faciem dolent, sentiunt se iuste puniri, Dei que iustitiam agnoscunt; atqui radicem mali nemo in sese agnoscere vult, tantum abest vt eradicare conetur: & vt est Hier, 8. Nemo est qui agat penitentiam super peccato suo, dicens: quid feci? Quo fit, vt quicquid est auaritiæ, luxuriæ, superbiæ, gulae, & inuidiæ, ac si quid est talium flagitiorum in tanta rerum omnium, ac collabentis religionis calamitate, succrescat potius quàm minuatur, cum nemo sit qui se murum opponat pro domo Dei. Interim dum sic viuimus, Deum in nos magis atque magis irritamus: vnde quæ hæctenus perpeffi sumus, omnia dolorum credo esse initia.

Exepl. 13.

Ita Dei quomodo occurrendum.

2. Secundò, Omnibus Episcopis, Pastoribus, Regibus, & Principibus, quorù est gladio spiritus verbi Dei, ieiunio, cilicio, & oratione occurrere iræ Dei, ac vindicem eius iustitiam deprecari, vt Dauid, 2. Reg. 24. exemplù præbet, vt scilicet iuxta prophetâ præoccupent faciem Dei in cõfessione. Sed ita ne in sola peccati cõfessione subsistant: ea enim mox desperationem pareret, sed spe misericordiæ diuinæ exemplo Danielis, erigendus est animus, petenda est remissio, ac penitentia subeunda. Sic olim Deus Dauidi, 2. Reg. 12. Achab 3. Reg. 21: Niniuitis Ionæ 3: & Magdalene Luc. 7. peccati veniam gratis concessit. Est enim remissio peccatorum gratuita, Rom. 5. Iustificati gratis, &c. Siquidem ante eam nulla merita quibus ea redderetur, in peccatore reperiuntur: ac ne orationis meritum se extolleret iuxta Augustinũ, ipsa quoq; datur, sed fide præuia, quæ non orati datur. Ideo propheta, vt Deo suus constaret honos, & gloria, post agnitione peccati supplex orat, vt exaudiatur, non orationis meritum prætexens, sed meritum Christi. Id enim intelligit, dum ait:

Remissio peccatorum gratuita.

Exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium quod desertum est. Propter te ipsum Deus meus inclina aurem tuam. Id est, Respice non ad preces meas, sed in faciem Christi tui, cui negare nihil potes. Si quæras an nullum sit orationis meritum? Respõdetur cum August. epist. 105. Orationis meritum hic sese extollere non posse, imò ne ad vincendas quidẽ temporaliũ rerum cupiditates, sed fontẽ omnium bonorum esse auxilium Domini. Actum demum orationem efficacem esse, quando suæ innititur basi, id est, merito Christi. Ideo ipse Christus nos iubet orare patrem in nomine suo, Ioan. 16. Matth. 21. mittit Spiritum sanctum in cordibus fidelium, qui, quid & quomodo oportet orare, docet, Rom. 8. & orantes, vt exaudiri se credant, hortatur. Quicquid petieritis, credite, & fiet vobis, Ioan. 14.

Basis orationis, meritum Christi.

3. Tertiò, Docet publicas calamitates, quales sunt bella, ex-

cidia

cidia regnorū, depopulationes urbium, pestem, famem, hæreses, schismata, aliaque id genus vitæ incōmoda iustissimo Dei iudicio, non tam ob exercitia virtutum, quàm merito peccatorum infligi: quæ si vt oportet, de manu Domini recipiamus, nec patris disciplinam reiiciamus; mox quicquid est vitiorum, ex animis nostris auferetur. Et quanquā iusti videamur, tamen quasi communi malorum sensu percussi humili confessione oportet, vt iram Dei agnoscamus, petamus liberationem, & implotemus misericordiam, sed per Christum, quem proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius, Roman. 3. Cui & omnes prophætæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, Act. 10.

Calamitates publica ob peccata infliguntur.

Sic si petamus, fiet vt aperiat oculos, & videat: inclinēt aures suam, & audiat desolationem, qua miserè Christiana religio decerpitur: id quæ ab hostibus, non tantum externis, vt sunt hæretici, schismatici, Iudæi, & gentiles, quorū perfidia latissimè nunc vbiq; dominatur; verum etiam domesticis, non minus quàm illi perniciosiss: quales sunt hypocritæ, Symoniaci, adulteri, fornicatores, ebriosi, & auari, propter quos nomen Domini miserè proh dolor blasphematur, vt impiorum iudicio nulla penè videatur religio magis deplorata, vt meritò in sola Dei misericordia spem omnem collocare debeamus, ac cum Propheta dicere Daniele: *Exaudi deus meus, placare, attende, & fac secundum misericordiam tuam, propter te ipsum Deus meus, &c.*

EPILOGVS.

Propheta Daniel vir clemens & verè pius, cuius laus præcipuè est apud Ezechielem, vbi ait: *Et si fuerint tres viri isti in medio ciui, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum, Ezech. 14. confitetur in captiuitate Babylonica suam & populi peccatum, quare merito sint abacti in Babylonem. Supplicat deinde Deo, vt dimissis tantis negligentis & prauaricationibus populum suum postliminio in terram sanctam patribus promissam & concessam reducere dignetur, solius sui sancti nominis gratia atque respectu. Superest vt quisque in tanta rerum calamitate pro se Daniele se exhibere studeat.*

Laus pietatis Daniels apud Prophetas, necnon eius sapientia, Ezech. 28.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE SECUNDAE, EVANGELIUM.

Ego vado: & quæsit me, & in peccato vestro moriemini, &c. Finis Ioan. 2. Euangelij: quia ego quæ plæcita sunt ei, facio semper.

EVANGELIO hoc, quo diuinitas Domini nostri Iesu Christi multis argumentis declaratur, atque cæcitas & malitia Iudæorum ostenditur, Christus more prudentis medici

medici facit. Sollicitus enim de egrotō medico, omnē tentat restituendæ salutis viam: & vbi leuiora remedia non prodesse perspicit, acriora admouet, cauterium nimirum, sectionem, vstulationem. Atque vbi nec sibi credere, nec suis obtemperatiam, tum illum sicut desperatum relinquit. Ita sanè Dominus Iesus vbi mentes Iudæorum induruisse videt, nec leuibus, acribusue suis monitionibus allici conicit, proximam ruinam illis prædicit: Et complectitur tria.

1 Primò, horrenda quadam comminatione terret impios & infideles Iudæos, qui ipsum vt verum Messiam recipere recusarunt. Est autem ista comminatio vaticiniū futuræ interuentionis totius populi Iudaici. dicit ergo: *Ego vado*, scilicet per crucem, mortē ignominiosam, & passionem ad patrem, vt lux ad solem, humor ad radicem, sanguis ad cor, flumina ad mare, pater ad filium; demum, vt possessor fiam regni & cælestis Ecclesiæ, necnon & quietis: vt ibi electis & prædestinatis præparem locum; non vobis qui me persequimini. Ac tum *queretis me*, hinc vobiscum mortalem, armis primum & fustibus in horto, deinde falsis accusationibus coram Caypha, & Herode & Pilato. *Queretis me*, morte finitum, in sepulchro primum per custodes, ne resurgam: deinde, dum vos miseræ inuoluent circumuentos Romanis, Luc. 19: postremò in iudicij die, cum videritis iudicem, Zach. 12. Nec enim querendus armis Deus, qui homicidæ diabolo aduersatur: nec technismendacij, cum sit Deus verax, Num. 24. hæretici autem mendaces. Non est militibus obsidenda Ecclesia, vt nec olim sepulchrum: sic enim eum quaerierunt omnes hæretici, nec inuenerunt. Nec etiam coacta & nimis fera pœnitentia querendus, vt Esau, Malach. 1. Saul, 1. Reg. 15. Antiochus & Iulianus Aegypti præfectus, vt docet Nicephorus li. 10. ca. 19. *Queretis me*, non amore inueniendi, & affectu credendi, sed odio persequendi. Est enim ea naturæ à Deo desertæ prauitas, vt ea omnia in sui perniciem vertat, quibus ad salutē vti debuerat: Sic Pharisei qui sua iustitia, hypocritæ qui sua hypocrisis, & hæretici qui prauo scripturæ intellectu Deum se querere simulant, & Christi veram cognitionem, eò minus inueniunt, quia non ex fide quaerunt: ideo iusto Dei iudicio fit ipsis mensa eorum in laqueum vt irretiantur, in retributionem vt conterantur, & in scandalum vt cadant. Est enim Christus talibus lapis offensionis, & petra scandali, iis qui non credunt verbo in quo & positi sunt, 1. Petr. 2. ij enim nunquam inueniunt Christum.

Qui autem Dominum nunc quaerunt in veritate, inueniēt illum, Psal. 68. *Quærite Dominum, & viuet anima vestra.*

Alioqui

In huius quomodo Christum quaerunt.

Dominum qui nunc quaerunt, inueniunt.

Alioqui postea cum fatuis virginibus quærent, & non inuenient, Matth. 25. pulsabunt, & non aperietur eis, ibid.

Ego ergo, inquit, vado, non quò vestra cõpellit impietas, sed volens vado quò vos non potestis subsequi. Ostendens per hoc, quòd resurrecturus sit in gloria, & cõcessurus ad dexteram patris: ipsos verò, quoadiu tales essent, sequi nõ posse, Hierem. 5. Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis. Qui enim Christum non sequuntur per crucis ignominiam, postea non sequentur per resurrectionis gloriam. Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus, Lucæ 14.

2. Secundo, describit quale ipsos maneat merito infidelitatis, inuidiæ, & persecutionum Christo ab ipsis exhibitarum supplicium, dicens: Quia non creditis me esse filiũ Dei, Messiam in lege promissum, & redemptorem mundi, moriemini in peccato vestro, hoc est, æterna vos manet dånatio; & perpetuis addicti pœnis, æternæ vitæ exortes, semper secundam mortem acerbissimè feretis, iuxta intellectum Cyrilli. Nam suo vitio perit, qui salutem gratis oblatã obstinatè reiicit: & sibi mortem adsciscit, qui vitæ fontem aspernatur. Qui enim diligit maledictionem, veniet ei; & qui nolit benedictionem, elongabitur ab eo, Psal. 108.

*Infidelitatis hæ
deorum meri-
tum.*

Commiserant Iudæi peccatum ad mortẽ, de quo 1. Ioã. 5. quod Matth. 12. in Spiritum s. vocat Christus, non remittendum, nec in hoc seculo, nec in futuro. Nam his irremissibile peccatum est, ait B. Hieron. tract. 2. 2. parte epist. epistol. 22. ad Marcellam; qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumniantur, & clamitèr dæmonis esse virtutem. Quod peccati genus, Esai. 4. dicitur, vt docet Basilius in hunc locum. Peccatum quippe in ea quæ sunt fidei, irremissibile est, cum sine fide impossibile sit placere Deo, Hebr. 11: & sit ad mortem, quoniam qui non credit, iam iudicatus est, Ioan. 3. imò etiã in Spiritum s. cum Spiritu sancto locuti sint sancti Dei homines (1. Petr. 2.) qui nobis fidei symbola tradiderunt. Ideo Stephanus, Act. 7. Iudæis incredulis, & Christo semper aduersantibus, dicebat: Vos semper restitistis Spiritui sancto. Quamobrem, vt peccãtibus in Spiritum s. ait Christus, moriemini in peccato vestro.

Dicitur autem quis in scripturis mori peccato, Roman. 6. quod sit, dum quis virtutis Christi ita particeps factus est, vt prorsus in illo sit emortua natiua illa ex peccato contracta corruptio, vt amarus illos peccati fructus non amplius edat, de quibus loquitur Apostolus, Galat. 5. Tales nos omnes esse debemus, Rom. 6. Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu. Qui enim mortui sumus

*Peccato mori,
quid.*

K 5 peccato,

Mori pro peccato.

Christus quomodo mortuus pro peccatis.

Mori in peccatis quis dicitur.

Verbum consolatorium pro electis.

peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Deinde dicitur quis mori pro peccato, quod fit, dum quis iuxta pronuntiatam, Genes. 3. sententiam, naturæ debitum soluit, vel naturæ viribus dissolutis, vel illata extrinsecus morte violenta occumbit; quod bonis æquè ac malis commune est, licet dispari ratione: nam malis est peccati meritum, Rom. 6. bonis verò exercitium virtutum: Iustus enim si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, Sap. 4. Christus autem dum dicitur mortuus pro peccatis, intellige non à se commissis, sed vt ea quæ nos commisimus, auferret, 1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus. Tertio dicitur quis mori in peccato, quod fit, dum quis à massa perditionis iusto Dei iudicio non separatus, in odio & contemptu Dei finire permittitur hanc vitam, quod comminatur Christus iis qui peccant in Spiritum sanctum, Matth. 12. quod & irremissibile vocat, pro quo non vult orari Apost. Ioan. 1. epist. cap. 5. Hoc nullis electis potest accidere, Ioan. 10. Absit enim, inquit August. vt sine regenerationis aut reconciliationis sacramento, finire hanc vitam permittatur prædestinatus ad vitam.

Dupliciter item quis in peccato moritur, aut ratione peccati, aut respectu peccatis. Nam in peccato morimur respectu peccati, si aut in fidem peccamus per blasphemiam, quod peccatum est in Spiritum, s. aut ad mortem vsque obdurati in quouis mortali peccato persistimus, vt ait Gregor. lib. 16. moral. cap. 31. Porro respectu peccantis moritur quis in peccato suo, aut corporaliter, vt fures, & rei omnes cum morte multantur ob facinora: aut anima. sic impius ille latro in cruce, & omnes damnati. Omnibus autem hisce modis, moribundos Iudæos Christus prænuuntiat.

Est ergo merito pertimescenda hæc comminatio, quam non solum Iudæis factam putabimus, sed omnibus infidelibus, hæreticis, & impiis, quibus æterna damnatio tanquam mali operis merces (stipendia enim peccati mors) Rom. 6. reddetur, nisi præueniente Dei gratia respiscant à laqueis diaboli, qui in eis voluntatem excæcauit, iudicium subuertit, atque rationem sepeliuit, quasi miscuisset illis Dominus spiritum soporis & vertiginis, vt iuxta Isa. ca. 14. videatur percussisse fœdus cum morte, & cum inferno fecisse pactum: de hac morte ait, Psal. 33. Mors peccatorum pessima; & Psal. 48. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Itē, Salomon, Pro. 11. Mortuo homine impio, nulla erit vitra spes.

Iudicium carnis de verbo Dei.

3 Tertio, Cõplectitur quodnam sit carnis gratia Dei non illustratæ de verbo Dei iudicium, scilicet non recipere veritatis

tatis cognitionem, salutem ipso verbo oblatam reiiicere, & suum auctorem Deum contemnere: Ita enim impij hi tam seuera comminatione non mouentur, excæcati nimirum propria malitia: sed potius rident, dicentes: *Nunquid interficiet semetipsum? Ut se liberet à manibus nostris? Cleopatra quippe, vt se à manibus Augusti Cæsaris cum triupho eriperet: & Saul ne in manus incircumcisorum veniret, itemque Achab, se perimerunt: Aut quia Messias traditurus est in mortem animam suam, ipse, se interficiendo, Messias vocetur? Aut vt hinc ad dæmoniorum principem pergat, perpetuis ignibus deuouendus? Damnantur enim qui se perimunt, vt Iudas, Act. 1. Aut vt se Deum esse populo persuadeat, discipulis corpus eius furatibus & celatibus? cum eo modo Roma. suum Romulum, & Nembrothum sui senatores deum fecerint? quia dicit: quò ego vado, vos non potestis venire? Rectè dicit, Quò ego vado (vt obseruat August.) non quò irur ad mortem, sed quò ipse ibat post mortem. Poterant quidem mori & crucifigi, sed non tandem gloria donari, cum nihil inquinatum intret in regnum cælorum, nec merces sit ante meritum, corona ante legitimum certamen, quies nisi post laborem, & visio Dei clara, nisi post fidem. Vnde probè ait (vos) Iudei, scilicet increduli, non Apostoli, aut qui in eum credituri erant. *Aut in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Ioan. 7. Grandis in Dei filium blasphemia, cum non iolum in præcepto legis Mosaicæ, Exod. 20. prohibitum sit, Non occides, sed etiam apud Ethnicos horrendum habebatur seipsum interimere, teste Cicerone in Tusculanis quæst. quare permitti sunt seipsums reuera interimere corporaliter non modò, sed & spiritualiter, nimirum non intelligètes quid sit priuari Christo, vel ab ipso deseri. Est enim excidere à gratia, priuari via, veritate, & vita, nec non morti æternæ obnoxium fieri. Ab iis autem quisquis exciderit, mox diaboli traditus potestati, ipsius voluntati paret, perpetuò cum ipso periturus, Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.**

Christus autem qua erat singulari clementia, etiam erga reprobos illos Iudæos, blando ac suauis responso ostendit, hæc ipsorum perfidiam, iniquitatē, & malitiam causam esse cur à Deo desereretur, dū ait: *Quò ego vado, vos non potestis venire.* quasi dicat; Ego per crucem, mortem, & sepulturam, pergo ad gloriam, vitam, & resurrectionem. Vos de deorsum estis: nimirum affectus illorum terreni: nec cogitationes illorum afflatæ diuino spiritu, sed carnis imbecillitate. *Ego de supernis sum:* quia prudētia eius cælestis fuit ac diuina: item quod spiritus Domini super illum, Esai. 61. quo unctus (Act. 10.) non nisi quæ diuina sunt loquatur.

*Blasphemia
grandis tu-
daorum.*

*Priuari Chri-
sto vel ab ipso
deseri quid sit.*

*Causa deser-
tionis Iudæo-
rum.*

Vos de mundo hoc estis. Mundum hic dicit mundanam ac terrenam prudentiam, quæ non sapit quæ Dei sunt. De qua Paulus, 1. Cor. 1. Non cognouit mundus per sapientiam Deum. Et Ioan. 1. Mundus eum non cognouit. Ac si dicat: *Vos autem, quia de hoc mundo estis, & quæ sunt mundi diligitis, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, eò non potestis venire.* Horret enim caro crucem, ac proinde ad gloriam non potest accedere, nisi Christum imitetur, sicut prius dictum est, Matth. 16. Si quis vult venire post me, &c. *ego non sum de hoc mundo.* Ac si dicat: Ego non sicut vos sapio, vt meipsum interficiam. Nemo quippe diuina sapientia præditus, quibusuis circumueniatur malis, sibi manus violentas infert.

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Ea verba denuo reperit Christus, vt quod prima exhortatione eorum mentibus non inhæserat, saltem secunda aut tertia insigatur. Ita enim faciunt, qui duræ ceræ annuntur imprimere formam sigilli. Quod enim primo conamine non effecerunt, secundo aut tertio perficere nituntur; nisi vsque adeo dura sit & formæ reluctans materia, vt eam omnino nõ admittat. Qualis erat Iudæorum animus, qui nec prima, nec secunda admonitione emollitur. Porro moriemini, inquit, in peccatis vestris, cum prius dixerit, in peccato vestro: ex vno infidelitatis peccato, multa, imò omnia scelera enasci docens. Vt in Israëlitis patuit, qui increduli, modò vitulum adorant, modò super manna nauscant, Num. 12. modò lapidibus Moysen obruere volunt, & adulteria cum Madianitibus committunt, Num. 20. Sic etiam in hæreticis nostris, quæ non facinora in illis patrat infidelitas? Atriani Alexandriæ virgines nudarunt, regibus admouerunt, vt testatur Athanas. apol. de fide sua. Lucius ibidem fecit, vt denudatæ circumagerentur, constupraretur, clauis in caput diuerberarentur, nec corpora sepulturæ mandari permetterentur. Vide etiam circumcellionum scelera apud Augustinum epist. 22. ad Victorianum. Imò quæ non Anabaptistæ, Lutherani, Calvinistæ, vt & olim Hussitæ patrarunt? Sequitur:

Si non crederitis quia ego sum; id est, nisi me Deum esse confessi fueritis. Habet enim vim modus hic loquendi, cum Dominus ad Moysen se ita nuncuparit, Exod. 3. d. Ego sum qui sum: & Psal. Tu autem idem ipse es. Solum enim Deo esse, maxime conuenit, quo & diuiniore se naturæ docebat Christus. Origen. *moriemini in peccatis vestris.* Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est. Hebr. 11. Obserua ex his, verbum Dei nemini parere, nec personam accipere. Vides enim vt nudè loquatur Christus: *Moriemini in peccatis vestris.* Ita Helias ad

ad Achab, 3. Reg. 21. Sanguinem tuum lingent canes. Et ad Ochoziam, 4. Reg. 1. De lectulo super quem ascendisti, non descendes. Item Isaias ad Ezechiam cap. 38. Dispone domui tuæ quia morieris, &c. Tam audacter videntur illi principes allocuti, nec reges pertimuisse, Eccles. 48. Sicut nec Christus Iudæorum primates & Phariseos. Nam verbū Domini fax ardens, & vt malleus contereſ petras. Sic olim dura animaduersio Episcoporum ad reges dirigebatur, vt Babylæ Episcopi Antiocheni ad Numerianum præfectum. Nicephor. lib. 10. cap. 28. Necnon Basilij ad Valentiem, lib. 11. cap. 18. & Ambrosij ad Theodosium. Sed hæbescit nunc zelus quorundam Episcoporum: minima quidem vindicant, sed in maximis mutescunt: bonis religiosorum sibi vsurpandis inhiant, & multorum pastorum nephanda vitia dissimulant, aut pro mulcta pecuniaria conuiuent.

Dicebant ergo ei: Tu quis es? Post tanta miraculorū testimonia, ait Theophylact: interrogant eum: Tu quis es. Ita fuerunt insipientes & irrisores. Respondit Iesus: Principium, qui & loquor vobis. Habet Ioānes, quod August. tract. 39. in Ioan. principium interpretatur, quasi Christus se hic principium illud esse asserat, de quo Psaltes Psal. 109. Tecum principiū in die virtutis tuæ: omnium creaturarum auctorem, Ioā. 1. & omnis boni largitorem, Iac. 1. In summa, suam astruit diuinitatem, se principium omnis rei, boni, salutis, & gloriæ asserens. q. d. En ego rerum omnium conditor, loquor tamen vobis incredulis: en qui à principio per Prophetas vos allocutus sum; Ecce adsum, & verba facio. Theophylactus vero & Oecumenius vertunt, imprimis. q. d. Ecce in primis meis sermonibus testatus sum vobis quis sim.

Multa habeo de vobis loqui & iudicare. Per quæ comminatur eis iudicium futurum, vt non existiment quod tot illatas sibi iniurias non sit vindicaturus, ait Chrysoſt. *Sed qui misit me, verax est.* Primò in præſenti, quoniam sicut non misit filiū suum in mundum, vt eum iudicet, Ioan. 3. ita nec quenquam iudico. Secundò in futuro, quia diem stabiliuit, Act. 17. in quo nobis retributio fiet, & vestra condemnatio succedet.

Et ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Audiuisse à patre, idem est, quod esse à patre, quia ab illo habet audiētiā, à quo habet essentiam. Aut audiuit à patre vt homo: sicut & vnctus à Spiritu s. dicitur. *Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deus.* Adeò cæca est incredulitas & leprosa, quæ sensu destruitur. *Dixit ergo illis Iesus: Cum exali. fil. ho. cognoscetis quia ego sum, id est, me crucifixo à vobis, & Centurio & populus signis visis reuerentur, tundentes pectora sua, & dicentes: Verè filius Dei erat iste, Matth. 27.*

Et à meipso facio nihil. scilicet solo, quia pater mecum est, ut ait post modum. Aut à me homine, sed patre. Sed sicut docuit me pater, hæc loquor. Docuit enim cum Deus pater, ut & creuit ætate & sapientia, quod secundum hominem intelligitur. Et qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum. Quia qua placita sunt ei, facio semper. Misit me per incarnationem. Missio enim, incarnationis est, ait August. Non reliquit, quia ego in patre, & pater in me. Non reliquit me solum, quasi non vnum simus, & solus & diuersus ab eo. Et quæ placita sunt ei, facio semper, tanquam obediens eius filius.

EPILOGVS.

LECTIO præfens complectitur colloquium Christi & Iudæorum, in quo Seruator noster toti mundo declarat tam sacrosanctam suam diuinitatem, quam humanitatem. Coactus hoc fecit: Iudæi enim alterum crediderunt. alterum non: ad quorum infidelitatis peccatum prædicat eis mortem culpe & gehennæ. Nam impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit & ideo sequitur eum ignominia & opprobrium. Hinc Hier. 5. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisisti eos, & reuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini, & iudiciū Dei sui. Ibo ergo ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini & iudiciū Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, superius vincula. Sed per Iudæorum incredulitatem peruersam, nobis tanta lux veritatis contigit salutaria. vide ad Rom. 11.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE, EPISTOLA.

3. Reg. 17.
Luc. 4.
Eccles. 48.

Factus est sermo Domini ad eum dicens: Surge, & vade in Sareptam Sydoniorum, & manebis ibi, &c. Finis Epistolæ: iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Helia.

EPISTOLAE huius historia, in qua mirabilem videmus Deum esse in sanctis suis, iuxta Psal. 67. quia percutit & sanat; fame enecat, & refouet; mittit in ærumnas, & solatur, dum Heliam in deserto paur, & viduam piam iam fame morituram, per famelicum prophetam recreauit, cõplectitur tria.

Prouidentia
Dei non solum
erga vniuersalia,
sed etiam
erga particularia.

1. Primò, Singularem Dei prouidentiam, quam, ut voluit Aristoteles, non solum erga vniuersalia, sed etiam erga omnia gerit particularia, maximè tamen erga verbi sui prophetas, ministros, & prædicatores. Quos cum solet mundus odisse & persequi (non enim fert sua mala corrigi, 1. Ioan. 2.) hos in suam clientelam Christus suscipit, ut olim sanctissimum Heliam tempore famis, 3. Reg. 17. mane & vesperi pauerat, ad torrentem Carith, ministerio corui deferentis carnes & panem. Quod miraculum coruorum Dominus Deus in nouo Testamento repetiit, quos suis electis dapiferos consti-

Testamentum
nouum et vetus
sibi cõsentiant.

constituit, vt inde consensum Testamēti vtriusque confice-
remus. Vnum Heliam coruus in deserto escam ferēdo, pau-
uit; duos in nouo Testamēto eadem auis itidem in deserto,
simili ministerio paut, Paulum & Antonium, anachoretas
præcipuos, cōfēstante hoc Ecclesia cū Græca rum Latina,
quorum vitam vnus D. Athanasius, & alterius B. Hierony-
mus fideliter memoriæ commendauerunt. Nostri Hiero-
nymi verba pauca audiamus. Inter has, ait, sermocinatio-
nes suspiciunt (scilicet Antonius & Paulus) alitem coruum
in ramo arboris confēdisse, qui inde leniter subuolabat, &
integrum panem ante ora mirantium deposuit. Post cuius
abcessum: Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium
misit, verē pius, verē misericors. Sexaginta iam anni sunt,
quod accipio dimidij semper panis fragmentum, verū ad
aduentum tuum Antoni, militibus suis duplicauit annonā.
hæc Hieronymus in vita Pauli Eremitæ.

Fames verò ea de qua hîc agitur, pœna erat idololatriæ
Israëlis, quæ magna fuit sub rege Achab, per impiū illū regē
potissimum aucta, cuius crimen impunitum Deus præterire
non potuit, eo quod tam immane & execrabile sit. Famis
plaga magna etiā fuit tēpore Abrahæ, Gen. 12. Tēpore Isaac,
Genes. 28. Tēpore Ioseph, ibidem cap. 47. Caritas itidem
non parua fuit ætate Ruth & Noëmi; Dauidis itidē tēpore
talīs iræ Dei plaga Israële castigauit annis tribus, 2. Reg. 21.
cap. Sed nulla vnquā tam vehemēs fuit atque illa, quæ tem-
pore Helix hîc fuisse legitur, & postea tempore Helisei,
4. Reg. 6. & 8. Ea quæ sub Helia euenit, semiquatuor tenuit
annis: quod & scriptura noui Testamēti cōmemorat, Luc. 4.
Iac. 5. Plaga ea non solum cibos abstulit, sed & potum; non
solum vini, verū etiam aquæ. Exiccabantur enim tam flu-
uij, quàm fontes. Ætate Helisei tâta erat famis vehemētia,
vt caput asini mortui, & modius stercoreis colūbini, magno
emerentur, 4. Reg. 6. Accessit tâto malo bellum, quo malum
duplicabatur. Cæterum de fame per bellū orta, habes exem-
plū, 1. Mach 6. & 9. cap. In tâta ergo tâtæ inediæ calamitate,
quā Dominus in terrā misit ratione peccati, potissimū verò
idololatriæ, mississimus Deus ostendit se nequaquā cum im-
piis abiicere posse & derelinquere pios, Psal. 36. sed cibū da-
re suis in diebus famis. Ipse enim est qui dat escam omni car-
ni, Psal. 134. & 103. maximè tamen eis cui omnē sollicitudi-
nem suā in ipsum proiciunt, scientes cum ipso suscepisse
curā, 1. Pet. 5. Qui licet nunquā suorum curā deponat, patitur
tamen quādoque suos persecutionibus, inedia, paupertate,
fame, & angustia, aliisq; præsentis vitæ incōmodis sic affli-

*Famis plaga
præcipua.*

*Deus nōnun-
quā suis suos
variè affligit.*

excla-

exclament: Pereat dies in qua natus sum, Iob 3. Idem, Tædet animam meã vitæ meæ, Iob 10. Obsecro Domine, tolle animam meam, 3. Reg. 19. Vt quid Domine recessisti longè, despicias in oportunitatibus, in tribulatione? P sal. 9. Atqui iuxta Paulum, 2. Cor. 4. non angustiantur, licet aporiantur, id est, anxij reddantur; non destituuntur, licet persecutione patiantur; non derelinquuntur, licet deiciantur; non pereunt, semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferentes, &c.

Ideo sanctissimum hunc legis suæ zelatorem licet extrema pati sinat, tamen in exemplum omnium eorum qui fortiter gladio spiritus Baalitas, Idololatras, Mënonistas, Syvinglianos, Calvinistas, Lutheranos, aliasque omnes fidei pestes opprimunt; & si quandoque succumbere videantur, ne facile animos deiciant, sed vt in ipso spem omnem in afflictione collocarent, exiccato iam torrente ablegauit in Sareptam Sydoniorum, ad mulierculam marito destitutam & pauperem: nam extra portam ligna colligebat, laboriosa & ærumnosa, quod delicatula non solent facere reginæ.

*Ministrorum
verbi Dei az
sylum Eccle-
sia.*

Quo significauit, veros verbi Dei ministros tempore persecutionis, non aliò quàm ad Ecclesiam, quæ destituta Christo videtur, & pauperula, cõfugere debere, quæ merito crucis omnibus vbique aduersariis restitit. Nam domus viduæ significat Ecclesiam. Opera eius qua sustentabatur Propheta, significat cooperationem eam, qua sacerdotalis functio est instrumentum operantis Dei. Lignum quod colligebat, crucis symbolum habet.

*Obedientia E-
lie, et Sydonia
mulieris.*

2. Secundo, Complectitur plusquam stupendam obedientiam Prophetae in summa omnium necessitate constituti; & mulieris Sydoniæ laborantis inopia rei familiaris, qua ex fide, omni tergiuersatione quã humana ratio suppeditare potuisset, sepolita, ille obediuit verbo Dei; statim enim surrexit & abiit in Sareptam Sydoniorum: hæc vocanti & iubenti Prophetae mox obtemperauit, vt in vtroque sexu agnoscas latentem spiritus energiam, quæ tempore noui testamenti reuelata est, fuisse significatam. Atque intelligas, vt indicare videtur Christus, Luc. 4. in hac muliere ex gentibus collectã Ecclesiã, quæ verbum Dei, repellentibus illud Iudæis, Act. 14. non externo tantum suscepit auditu, sed interiori. Est enim certissima veræ Ecclesiæ, quam Paulus sponsam Christi, domum Dei, & columnam, & firmamentum veritatis appellat, nota, non solus scripturæ cõtextus, sed vera obedientia, qua captiuatur intellectus in obsequium fidei. In qua nec ex iudicio rationis humanæ interpretatio fit scripturarũ, vt fieri proh dolor videmus in Synagogis Sathanæ, & cõuenticulis hæretico-

*Ecclesia vera
certissima no-
ta.*

hereticorum: vbi tot sunt scripturarum interpretationes, & sententiæ, quot capita sunt professorū, ac plusquam ex diametro pugnantes. Atqui vera Christi Ecclesia, quam vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam cōfitemur, audito veri Heliæ verbo, excepit illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei; cuius si sublimitatem in omnibus non intelligit, non superbè ad rationis humanæ limam exigit, sed humiliter se excusat, vt hæc Sareptana, quæ paupertatem suam prætexit, quòd panem non habeat, sed paululum tantum olei, & pusillum farinæ, id est, quod solis naturæ donis panem verbi Dei, quod procedit de ore Dei, quo vinimus, Matth. 4. comparare nequeat, nec verum assequi illius intellectum

3. Tertiò, cōplectitur fructū fidei, qua mulier destituta marito, facultatibus orba, egestate astricta, & paruulorū turba oppressa, his nihil impedita mox credidit diuinæ promissioni: & fructū obedientiæ, qua, neglecta propria salute, facit ea quæ præcepit Elias; suscipit Prophetas, non de se, nō de paruulis sollicita occidit in se hospitalitatis intuitu naturæ officia, vt non immeritò hanc cū Abrahā, Isaac, Iacob, aliisque sanctissimis cōferre aliqua ex parte possis. Ex qua documentum habemus, etiā pauperes pauperibus eleemosynam dare posse. Tritum enim prouerbiū est: Deus ridet, cū pauper pauperi largitur. Nec refert quantū des, sed quo animo des & affectu. Pauperculæ etiam viduæ memores sunt, Marc. 12. cap. & Lucas, 21. euangelistæ: quæ æra duo minuta, quæ substantia eius erant vniuersa, misit in gazophylacium.

Neque irrita fuit hæc tanta virtus haud dubiè ex spiritu Dei profecta: mox enim quasi diuina mercede remuneratur. Nam vbi nec ros, nec pluuia, nec veris aura, nec colonus, fit viduæ manus perennè torcular, & omnia in omnibus sermo prophetæ affatim viduæ ministrabat: Siquidem, *hydria farina non defecit nec lecythus olei est imminutus.* Quo datur intelligi, digno benefacere, iuxta prouerbiū, esse beneficium recipere. Ita enim potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, vltra quam petimus, aut intelligimus, 2. Cor. 9. Atque hæc est peculiaris Ecclesiæ, à spōso suo Christo, qui eā mundauit lauacro aquæ in verbo vitæ, gratia, vt iis quæ salutis fidelium sunt necessaria non destituatur. Parata enim habet farinæ sata euangelica, quibus famelici & esurientes replentur bonis, qui nempe esuriunt & sitiunt iustitiam, nec saturi sunt persuasione propriæ iustitiæ. Habet etiam paratam vñtionem spiritus, qua potest consolari eos qui in omni presura sunt, nempe verbo veritatis, sacramentorum legitima administratione, & charitate, quæ diffunditur per Spiritum

Pauperū eleemosyna Deo præcipuè est grata.

Fructus fidei & obedientiæ.

sanctum in cordibus fidelium. Hęc enim, iuxta Christi promissionem, Math. 16. in vera Christi Ecclesia vt nunquam defuerunt, ita nec deficient. Perstitit enim firma hactenus istis quasi spiritualibus vitę necessariis instructa toto orbe diffusa Ecclesia, in qua indies, qui ingenui sunt eius filij, seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis, in hac vita pascuntur, & sustentantur, vt possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, educati scilicet super aquam refectionis in loco pascuę, donec videant Deum decorum in Sion.

EPILOGVS.

Est lectio hęc pręsens historica, indicans vt Dominus Deus, per quem natus est Iesus, prophetam suum Heliam, vnā cum vidua Sarepth. in xmiris in tempore magna annonę caritatis sustentauit. vt inde discamus in tempore necessitatis & tribulationis, vt pote in fame, peste, gladio, &c. bene sperare & facere. Cura enim est patri celestis de nobis, 1. Pet. 5. Matth. 6. Si terra nihil profert, nubes pluent panem. Si caro deest, venti cornices adportabunt. Si terra fontes & flumina negat, saxum vtrumque fundet: Corpi erunt dapiferi: imo etiam angelus & propheta vnā dapes ministrabunt in isto inter leones degenti, Daniel. 14.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
SECYNDAE, EVANGELIUM.

Math. 23.

Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, d. Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei, &c. Finis Euangelij: Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

CONTRA fanaticos illos agit Christus, qui omnem ecclesiasticam functionem sublatam volunt: quicquid improbitate ac licentia vitę hanc fcedę contaminant, æstimantes virtutem sacramentorum ex virtute ministrorum dependere. At Christus Ecclesiam quam mox cōgregaturus erat mutua membrorum inferiorum ad superiora obediētia cōponere, omnemque inobediētię & ambitionis rationē rescindere intendit: nec non magistrorum ac doctorū legis superbiam omni populo declarauit, vt non solum coram populo, sed & coram sua ipsorum cōscientia pudefacti, erubescerent, idque ad nostrā doctrinam & admonitiōē: vita quippe eorū erat scandalo plebi, adeo vt plus vita demolirētur, quā doctrina ædificarent. Vnde videbantur populo mendacia docere, cum ea quę docerent, præstare superfederent. de hac superciliosorum impietate ait etiam D. Paulus, Rom. 2. citās cōtia eos, Isa. 52. & Ezech. 36. cap. in hūc modum dicens: Ecce ait, tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti volūtatem eius, ac probas eximia, institutus

*Christus sub
figura Phari-
saeorū corripit
negligentiā et
fastigiū Eccle-
siae praelatorū.*

ex lege, confiditque teipsum ducem esse caecorum, lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipsum non doces: qui praedicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, aduiterium committis; qui execraris simulachra sacrilegium admittis: qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum inhonestas, nam nomē Dei propter vos malè audit inter gentes; hæc Apostolus. Proinde Christus hoc Euāgelio facit tria.

1. Primò, Dum ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei*, ostendit auctoritatem non tantum civilem, de qua Paulus Rom. 13. sed etiam ecclesiasticam, ex Dei esse ordinatione; non enim est potestas nisi à Deo. Dum verò ait: *Omnia quaecumque dixerint vobis: seruate, & facite*, ostendit fideles in libertatem vocatos, debere tamen ministris Ecclesiae parere, scilicet in iis quæ ex verbo Dei aut scripto, aut tradito docent, maxime si quando nihil aliud spectant, quàm quod Dei gloriam & proximorum salutem promoueat, Hebr. 13. Sicut capiti corpus coherere necessarium est, ita Ecclesiam sacerdoti, & principi populum: utque virgula radicibus, & fontibus fluminis, ita & filij patri, & magistro discipuli. Id Christus expresso suo verbo confirmat; imò non tantum bonis, sed & discipulis penitusque deficientibus praelatis obediendum admonet. Et post Christum Petrus, 1. Can. cap. 2. Sed id iuxta cathedre rationem. Nec enim pueri illi Nabuchodonosor: Mathathias & Machabæi Antiocho, 2. Mach. 7. nec ut ad Ecclesiae praefectos veniam, Apostoli Scribis & Phariseis: nec Paulus pontifici, morem gesserunt, etsi illi cathedram legitimam obtinere viderentur. Vbi verò nullum est veritatis in eorum dictis dispendium, nemo se ab his obseruandis excusatum facere potest: nisi aut temporalis, aut spiritualis mortis periculū incurrere velit, Deut. 17. & 18. Num. 16. Tit. 3. Rom. 13. Matth. 10. Neque enim si caput ægrotat, membra illud abiciunt, sed quantum possunt, illi obsequuntur, & ut sanetur, optulantur. Melior est nimirum obedientia, quàm victimæ, ait Dominus de Saule, 1. Reg. 15. Hæc laudata in Iacob sacrificio, Gen. 22. Imò & Christo ipso, Philip. 2.

Secundum verò opera eorum nolite facere. Nec enim error principis excusat errantes, ut Valentinianus docuit, teste Nicephoro libr. 11. histor. Ecclesiast. cap. 30. Quis enim dicere potest: mundum est cor meum? Prou. 20. Quis quoque praelatus esse possit, si tatum iusti & mundi ab omni peccato deligerentur, nec obediendum illis, nisi bonæ vitæ essent, quod asseruisse Donatistas testatur Augustinus? cum nemo mundus sit à sorde, nec infans vnius diei super terram? Sed neque fidem

*Auctoritas
civilis & Ec-
clesiastica est
ex Dei ordi-
natione.*

ex personis probamus, at ex fide personas, inquit Tertullian. lib. de præscript. in hæretic. Reposuit enim Deus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & hoc non ex nobis, 2. Cor. 4. Nec sanctitas Ecclesiæ de personis, sed de sacramentis colligitur.

Dicunt enim & non faciunt. Alieni sunt eorum mores à doctrinam nam id quod docent, moribus impugnant. Nec tamen doctrinæ derogandum est, cum ipsa probet mores, non probetur à moribus: cumque à Deo sit doctrina, non ab homine, mores autem peruersi ab homine pendeant: cumque non ex meritis nostris doctrina & dignitas nobis conferatur, sed aliquando ex gratuita Dei bonitate; vt Balaam, Sauli, & Cayphæ, Prophetiæ donum concessum est. Iubet ergo Christus, inquit Hilarius can. 24. in Matth. vt mores hominum atque infidelitas, & non vt legis doctrina vitetur. Nam apes flores colligunt, herbas relinquunt. Quoties igitur neochristiani à deprauatis moribus in doctrinam arguent, non recipiendi erunt, nisi probent ipsam quoque doctrinam illos mores commendare. Talis sanè est Ecclesiastica doctrina, vt furta, homicidia, fornicationes, apostasias, rebelliones, seditiones reprobet: quæ tamen diabolica opera non hæreticorum doctrina adeo laudat, sed is interim inter eos melior habetur, & purior sathanicæ doctrinæ sectator cæsetur, qui ferocius catholicos persecutus fuerit, audacius sacrilegia & furta commiserit, radicitus quoque templa solo æquarit, & in suos reges & prælatos inobedientior extiterit.

I Est ergo cathedra triplex: Mofi, quæ est legitima docendi, imperandi, & corrigendi potestas, à Deo, qui Mosen primū, additis certis vocationis suæ signis, vocauit, collata: quam post in politia Iudaica semper defendit, vt videre licet in Iosue, Gedeon, Samuel, summis sacerdotibus, & omnibus Prophetis, penes quos & politica & ecclesiastica erat authoritas, donec sublata iudiciaria potestate, regia est instituta. Tunc enim penes sacerdotes tantum & prophetas remansit authoritas cathedræ: quibus sublati, quod ante tempora Machabæorum accidisse Iosephus lib. 13. cap. 9. quādo Scribæ & Pharisæi sunt rerum potiti, testatur, quorum vita etsi improba, & hypocriti omnino constaret, ipsorum tamen doctrinam, quia à Mofi, & decalogi diuinitus traditi doctrina non dissideret, voluit Christus à turbis, quæ non possunt altius in diuinarum rerum considerationem adfurgere, recipi: neque vult hoc suo præcepto propter improbos mores piam & sinceram doctrinam contemni, eorumque authoritatem veluti Deo contrariam reici. *Omnia quecumque dixerint vobis, seruate, inquit, & facite.* August. *Botrum carpe & spinam caue.* Vide etiam Chrysost.

Cathedra triplex.

Cathedra Mofi quæ.

Non enim visa, inquit, sed sermonibus attende. Nulla enim (vt idē docet ho. 2. in 2. ad Thel.) excusatio est seruo, si non faciat quod dominus præcipit, nec ægroto, si non quod medicus. Nam vt D. Hieronymi (2. tract. partis 2. epist. 15. dialog. in Pelag.) verbis vtat, irreprehensibilis aut nullus, aut rarus. Quis est enim qui non quasi in pulchro corpore aut nœuum aut verrucam habuit? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recto pede inceserit in Euangelij veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eandem simulationē, quis indignabitur sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit? Nec proinde tamen destitit, & Petrus, & Barnabas suam autoritatem habere. Nec enim licet Aaron nefandissimè peccasset in constatione vituli (Exod. 32.) vetuit eum Deus ad summum sacerdotium peruenire, ait Cyril. Catech. 2. Rursus, idem hæc ait: Petrus peruenit ad summum sacerdotium excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum, & tamen dignitatem Apostolicam sibi à Domino promissam obtinuit. Sed neque hoc probat, non obediendum etiam reprobis prælatis, quod Apost. 1. Tim. 3. irreprehensibilem eligendum Episcopum recenscat. Nam & si reprobus non est eligendus, reprobo tamen electo parendum est.

2 Christi, quæ est publica potestas à Christo Apostolis, & *Cathedra* omnibus Episcopis collata in Ecclesia, iuxta illud Ioan. 20. *Christi.* Sicut misit me pater, & ego mitto vos: scilicet cū potestate prædicandi Euangelium omni creaturæ, baptizandi omnes gentes, ligandi & soluendi, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & sacrificandi corpus Christi, iuxta illud: Hoc facite in meam commemorationē, Luc. 22. Complectitur denique hæc potestas omnia quęcunque ad Ecclesię, quam vocat Apostolus corpus Christi, integrum ac perfectum pertinent ministerium, in ædificationem, non autem in destructionem: quæ cū non dependeat ex ministrorū, sed Dei instituentis virtute, prohibet hoc loco Christus hæc contemni ob ministrorum improbitatem aut lasciuiam. Si enim efficacia erant ministeria sacerdotum veterum, quę tamen typica & vmbatica, multò magis certè Euāgelica ministeria à Christo instituta. Quare etiam religio successorū Petri suppastorum Christi, & Ecclesię rectorum synagogica liberior esse debet atque perfectior, & ad hoc maximè niti, vt sint inculpatæ vitę, 1. Timoth. 3. debet illis perpetuò esse in ore: Cœpit Iesus facere & docere, Act. 1. Sic luceat lux vestra: Vos estis sal terræ, Matth. 5. Exemplum Christi imitantes, debent cum Apostolo dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Apostolus corpus suum castigauit, atque in

feruitatem redegit, ne fieret, vt cum aliis prædicarit, ipse reprobis appareat. Prælati illi sunt probandi, qui cum Gedeone dicunt: *Quæcumque me facere videritis, eadem & vos facite*, Iudic. 7. Item: Exemplum do vobis, vt quemadmodum ego facio, ita & vos faciatis.

*Ioan. 13.
Cathedra pestilentia, quæ etiam hereticorum est.
Psalm. 1.*

3 Pestilentia, quæ Sathanæ est potestas, quæ sese in peruersa doctrina exerit in Ecclesiæ Christi perniciem, huic insidēt non ij tantum qui impiæ sunt vitæ, sed quotquot falsa doctrina Christo repugnant: quales sunt omnes aduersarij fidei, quorum heresis vt cancer serpit. 2. ad Corinth. 2. At beatus vir qui non abiit in consilium eorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentie non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte, Psal. 1. Hierem. 17.

*Sanctimonia
Pharisaica
superstitiosa.
Luc. 11.*

2 Secundò, Arguit impiam & superstitiosam Phariseorum religionem preposteram, qui ex rebus externis sanctimoniam metiebantur, dum onera grauiam humanarum, scilicet, constitutionum, pugnantium cum verbo Dei, quas damnat Christus, Matth. 15. & 23. & importabilia (*Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Act. 15) imponunt super humeros hominum, vt seueritate præceptorum tamquam seueri Aristarchi apud plebem haberentur: cum ipsi tamen digito non mouerent, cum veri sit Episcopi, quem posuit Christus regere Ecclesiam, Act. 20. Pastoris, quem vult pascere gregem sibi commissum, 1. Pet. 5: & prædicatoris, cuius est prædicare oportune, importune, 1. Timoth. 4. officium, verbo & opere præstare quod docent. Turpe est enim doctori cum culpa redarguat ipsum. Turpe item est, distento ventre, ructante crapulam stomacho, crepare ieiunia; ac denique bacchanalia

Episcopi, Pastoris & Prædicatoris officia.

Hypocrisis, duplex apud Deum iniquitas.

viuere, cum Curios simules. Ea enim verè est, quæ hic Christus detestatur hypocrisis, duplex apud Deum iniquitas, quibus nihil esse mundum potest, cum inquinata sit ipsorum mens & conscientia, vide Chrysof. Non eam legem (inquit Ireneus) quæ per Mosen data erat incusabat, quam adhuc Paulus ierosolymis suadebat fieri: sed illos redarguebat, quod verba quidem legis annuntiarent, essent autem sine dilectione, & propter hoc iniusti in Deum & proximos extiterunt. Nimirum ipsi Deum in Christi passionibus persequebantur, ait Hilarius. D. Chrysof. op. imperf. in Math. hom. 45. hic obseruat prælatos, & eos omnes qui in populum ius habent, prius appendere, quam iubere aliquid debere, ne plebs difficilioribus alligetur. Hic quoque agi potest in exactiones, tributa, vectigalia, dispensationes, & cætera quæ prælati Ecclesiastici & Politici sibi licere volunt, cum tamen

tamen hinc populus langueat, quem ne digito quidem releuare vellent.

Proinde cum in iudicio Dei consistere nequeant, utpote vera iustitia destituti, omnia sua faciunt, ut videantur ab hominibus. *Omnia*, inquit, quasi toti in hoc nitantur, ut ab hominibus glorificentur. Atqui & si prouidere debeamus, ut coram hominibus bona faciamus, Rom. 12. Matth. 5. non tamen ea fieri intentione debent. Non enim nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.

Nam *dilatant phylacteria*. Abusus is Pharisaici factus natus est ex lege, testibus Hieronymo, Chrysoft. & Theophylacto, Deut. 6. vbi sic populo suo præcipit Dominus Deus: Erunt verba mea hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: mediteris ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur in oculis tuis, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ. Sed longè in alium sensum intelligenda erant, nempe in contrarium, humilitatis nimirum & timoris Dei. Verùm cæci schedas binas sibi fecerunt è membranarum, quibus lex Dei, aut decem præcepta inscripta erant, per quas tanquam ij qui ea custodirent, videri voluerunt: harum alteram pileolis suis assutam fecerunt capitibus suis circumuolitare, alteram manibus suis dextris alligatam circumferebant: & quò schedas eas membranaceas ampliores effecerant, hoc se religiosiores putabant.

Phylacteria quid significent.

Magnificant simbrias; ut secreti ab alijs nationibus essent, nec cum illis conuersarentur. Hypocrite hæc species itidem ex lege est nata, Deut. 22. vbi sic habetur: Funiculos in simbriis facies per quatuor angulos pallij tui quo operiris. Item Num. 15. Loquere filiis Israël, & dices ad eos, ut faciãt sibi simbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vietas hyacinthinas. Funiculi hi, siue viætæ, itidem cælestium commonefacere debebant Iudæos, mnemosynon enim retulerunt æternorum, vnde aërij coloris esse debebant, sed & eas in ostentationem vanæ gloriæ verterunt, Marc. 12. Non relicit hoc loco Christus discretionem vestium, sed abusum. Nec enim Iudæis simbrias interdicit, quas ipse mādarat: sed eas sic dilatare, & in his gloriari vetat. Nec enim est quod, ut Adamitæ hæretici, vestimentorū vsum reiciamus, non quidem ad ornatum, sed ad necessitatē cōcessum. Scopum autē vsus proposuit Apost. 1. Ti. 6. & manifestus est, ait Basilus, quē primū ipse Dñs indigentibus dedit: Fecit enim primis parentibus Deus tunicas pelliceas, Gen. 3. Olim Christiani oēs habitu inter se cōmunicabāt, nō quòd oēm sanctitatē in habitu statuere velim, sed eo nostrā vocationē intueamur.

Simbria quid Iudæos doceant.

Luc. 10.
Ambitio quan-
tum dñi in-
uenerit Eccle-
sia, regnans
tam in choro
quam in foro.

Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis. Non quod primo loco sedere vel discumbere, nec salutari item in foro prohibeat eos, quibus hoc officij ordine competit, sed ambitionem Christus damnat, Luc. 14. Non tollit auctoritatem, quia Petrus ait: *Obedite prepositis vestris, etiam discolis.* Ambitionis hic fumus atque pestilētissimus vapor; adeo in choro & foro increbuit, vt non sit opus ipsum multis verbis declarare. Sanctus Chrysostomus scribit in hoc loco se à lachrymis sibi temperare non posse, quoties secum consideret, omne malū in Ecclesia ex hoc maledicto vitio esse subortum, imò ciuitates sæpenumero & ecclesias euersas fuisse. Gregorius verò Nazianzenus in Apolog. conqueritur religioni ac doctrinæ postea opprobrium nasci, quod sacerdotia vel ministeria ambitione potius & gratia, quam meritum iudicio deferuntur. Has egomet mecum cogitationes diebus ac noctibus voluens, in ipsis vt ita dicā medullis conficior & consumo, continuatūque suspiriis tabesco, carnibus ac toto corpore liqueco. Non me permittit hic lāguor eiecto ac resupino pectore, aut elatis & sublimibus oculis incedere, sed humiliat animam meā, inquit ille. *Spater.* Cur non etiam præsentem Ecclesiasticorum beneficiorū dispositionem & nundinationem desleamus, cum sine dubio (vt testis est D. ille Basilius) qui in huius vitij ambitionis potestate est, is eodem plane cum diabolo malo laboret?

Laus virtutis
est comes.

Amant salutationes in foro. Salutationes sunt assentationes, adulationes, & adorationes, quibus clientes suis blandiuntur patronis. At dignus non est honore, qui ipsum querit. Querenda virtus, cui certa comes est laus. Cæterum soli Deo honor, quia ex ipso habes vnde honorem mereris, Psalm. 113. Matth. 5. 1. Corinth. 15.

Et vocari ab hominibus Rabbi. Amāt quoq; primas salutationes, non tempore solum, sed & vocis elatione, vt clamando illis dicatur: *Aue Rabbi.* Et vt maiorem prelatorum ambitionem noter, addit loci circumstantiam (in foro) vt qui litibus interesset, & forum potius adire, quam suas Ecclesias visitare: & qui forsan pro cathedra apud iudices etiā seculares litigare videantur, cum id ab electione emanare debeat. Titulus præcipuè legisperitorū & Scribarum & Phariseorum, erat Rabbi, quod apud nos est, Doctor promotus, Magister noster, &c. Cristas ergo erigunt, quoties à populo audiunt magnificentum illum titulum, Rabbi, quasi soli sint honore digni, aut soli sapiant, cum hoc ipso minimi sint apud Deum quod sibi videntur maximi; & hoc maximè desipiant, quod sibi videntur plurimum sapere. Chrysost. Vocari volunt, non esse: nomen appetunt, & officium fugiūt. Sic etiā inter nostrates
adco

adeò hæc hypocrisis species regnat, vt, nisi in suis titulis ter
& quater domini appellentur, maiestatem suam læsam con-
queratur. Octavius Augustus abhorruit à nomine Domini.
Ethnici quoque prisca, non sophi, sed philosophi voluerunt
vocari. Nūc nisi nostros magistros, philosophastros & theo-
logastros appelles, peccas. Horrendum dictu, ethnicos in hu-
militatis virtute Christianos anteire.

Ea est enim carnis natura non illustratæ verbo Dei (quod
voluit Deus esse lucernam pedibus nostris) vt splendore ex-
ternarum cæremoniarum, quarum corporalis exercitatio ad
modicum utilis est, cum pietas sit, quæ ad omnia valeat, lau-
dem venetur humanam. Damnant aduersarij ex hoc Christi
verbo quicquid penè est piarum cæremoniarum in religione
Christiana, aut monasticis exercitiis, quæ ceu compendia
quædam consequendæ salutis, pia patrum ex verbo Dei in-
stituit religio, quasi tam essemus (vt illi loquuntur) stupidi
ac bardi, vt salutem metiremur ex natura rerum externarū,
scilicet vestitus, rasuræ, vitæ genere, aliisque tyrociniis vitæ
monasticæ: cum nihil minus vnquam docuerit vera Christi
Ecclesia, quæ ex viua fide per solum Christum agnoscat ser-
uari se posse. Proinde nec locum, nec habitum per sese quen-
quã sanctificare, quin potius tragicis huiusmodi monachis,
qui præter externum vestitum nihil prorsus habent veræ reli-
gionis aut pietatis, vt meritò cum iis, quos hinc perstringit
Christus, Pharisæis conferri possint. hæc maioris fore dam-
nationis causam adserit. haudquaquã ergo Monastice abo-
lenda est, sed sicubi ab instituto primitiuo religioso de-
flexit, corrigenda.

*Impietas ha-
reticorū circa
cæremonias.*

*Monachi tra-
gici.*

3 Tertio, Vult Christus populum abducere ab admiratio-
ne Pharisæorum, falsaque opinione quam de seipsis habe-
bant. Quanquam hoc (vt monet Augustinus lib. de vnitae
Ecclesie, cap. 5.) nobis non sit imirandum, quia hæc Christus
Pharisæis exprobrat, non vt homo tantum, sed vt occultorū
cognitor. Itaque Christus cum sanctimonie laruam huius-
modi abstulisset, suos veram humilitatem & animi modestiã
docet, dum prohibet Rabbi vel patrem vocari, quòd scilicet
vnus sit magister, & pater in cælis. Vult enim vt cognoscant
seipsos, nempe inutiles seruos. Dauid se mortuum canem
vocat, 1. Reg. 26. Abraham puluerem, Genes. 18. Iob 17. Iob
stipulæ se & pulueri confert, Putredini dicit: mater mea es,
& vermibus, sorores. Quòd si mundus nobis tribuit, quòd
in nobis nõ agnoscimus, erubescamus. Si verò verè nos lau-
dari videmus, dicamus: Non nobis Domine non nobis, sed
nomini tuo danda est omnis gloria, Psal. 113. vt qui repo-
sueris thesaurum dignitatis in vase fictili. Vnde totum &

Taco. 3.

Act. 13.

gratis habemus, si quid habemus boni, 1. Corinth. 4.

Vsu cognominū simpliciter non prohibetur, sed vehemens affectus.

Quo loco non putabimus Christum simpliciter horū cognominum usum prohibuisse. Siquidem Paulus sese vocat doctorem gentium in fide & veritate, 1. Tim. 2. Idem ait etiā, Ephes. 4. à Deo constitui doctores Ecclesie: vult in super seruos dominis suis morē gerere, filios patres reuereri; & discipulis licet, eos à quibus instituuntur, preceptores & magistrōs vocare. Verūm damnat Christus horum agnominum vehemētes affectus in eis qui solius inanis gloriæ causa ista petunt, vt sic plaris apud plebem fiant, & ab ipsorum placitis populus dependeat, Galat. 6. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Est enim vnus & verus & summus in hoc gradu pater Deus, ad quem clamamus Abba pater: & oramus, Pater noster qui es in celis. vnus & verus magister est Christus, à cuius debemus pendere preceptis, vt non liceat nobis alterius cuiuspiam iurare in verba magistri. Si qui enim magistri sunt: ab eō & magisterium & doctrinam hauserunt. Christus autem magister est, quia patri equalis, qui solus est magister: & quia etiā ad hoc missus est, vt audiatur & doceat. Peccant igitur, qui studio inanis gloriæ, istum honorem expetunt, vt scilicet tanquam semidei ab hominibus salutentur, nec aliter quā oracula, ipsorū responsa recipiantur. Quod absit vt cogitet Christianus, qui scripturarum cognitionem habet. Si enim Paulus, qui verus erat gentium doctor, in fide veritatis noluit dominari fidei suorū, 2. Corinth. 1. nequaquam decet cum hac opinione titulos venari, vt scilicet velint ob promotionis dignitatem ita suspici, ne decedere ab ipsorum doctrina liceat, dum audent scripturas non ex intentione Spiritus sancti, non ex communi sacrosanctę Ecclesie consensu, sed proprio arbitrio interpretari, quod solius est Christi, Luc. 24. Talium, proh dolor, hoc infelici seculo nostro quāta sit turba, satis suo malo varię experiuntur regiones, in quibus miserę plebeculę magna & incredibili tyrannidē dominantur sectarij, qui sua variarum hæreseōū paradoxa, nō secus ac si diuina essent oracula, proponunt: de quibus, 2. Pet. 2. dicitur, In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, &c. Vult enim Christus omnes sibi esse subiectos, qui magisterij titulos accipiunt, non vt honoris tantum sint otiosi magistri, sed qui populum docent, ne quid contra ipsius verbum doceāt. Doctores huiusmodi habuit olim Romana Ecclesia, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Hugones, Bernardum, &c. Ecclesia item Gręcanica Origenem, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Epiphanium, Cyrillum, Damascenum, & hoc genus alios sanctissimos patres, qui

Sectarij suas hæses pro diuinis oraculis populo proponunt.

qui fidem catholicam voce & calamo tradiderunt, Ecclesiam catechizando, exhortando, consolando, &c. Iudæos & Ethnicos aut ad fidem vocando, aut confutando, hæreticis obistendo, &c. Non titulos doctoratus & magisterij ambitiosè quaesuerunt, sed opus ipsum in fidei catholicæ illucidationem, in Ecclesiæ ædificationem religiosè promouere studuerunt, idque magis contemplatione in cœnobiis & in desertis, quàm concertatione & cōtentione in philosophicis academiis & gymnasiis, &c. Non titulos tenus doctores erant, sed opere ipso, non pingua captabant & venabantur sacerdotia, sed Christi gloriam. Sic & hodie, laus omnipotenti Deo, doctores & Episcopos Spiritus sanctus creat eos, qui Ecclesiæ decus & fidei catholicæ synceritatem sedulo querunt aut docendo, aut scribendo, aut hæreticis iam vndique passim grassantibus resistendo, quales sunt: In Hispaniis R. D. Bartholomæus de Miranda Archiepiscopus Toletanus, carceris iniurias multo tempore passus. In Polonia R. D. Stanislaus Hosius: In Flãdria nostra R. D. Martinus Rihouius acerrimus fidei catholicæ defensor & propugnator. In Geldria R. D. Vvillhelmus Lindanus, Episcopus Ruræmundanus destinatus, gemino certè honore digni, quorum pium conatum in bonum Ecclesiæ suæ Deus opt. max. promouere dignetur, nec non diu seruare incolumes: Quos puto merito posse dici & coli doctores, magistros, & pastores, quam nisi vnus præcipuus doctor, archipater, archidiaconus, & princeps pastorum sit in cælo Deus Iesus Christus Dominus noster, Ezech. 37. & Act. 14. 20. & Tit. 1. &c. Tandem docet quomodo ambitionè ablegare à nobis possimus, ministrando scilicet & deprimendo nos ipsos, cum dicit: *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* Seuerus Sulpitius talem olim depinxit D. Martinum, vt qui etiã seruo suo aliquando ministraret, ipsumque aliquando exalcearet.

Dehinc concludit: *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Ita mandans non tantum prima non amare sedilia, sed postrema prosequi. Illud enim deprimit amantem, hoc exaltat prosequentem.

Obserua hęc ex præcedentibus eandē esse resoluendi omnia Neochristianorum argumenta rationem. Aiunt enim vnum esse aduocatum, ergo nullum præter eum: vñ Deum agnoscendum, vnum mediatorem: quæ omnia eodem modo dissoluimus, quòd si quis dicat: Vnus Pater, vnus Dominus, ergo nullus hęc pater, nullus hęc dominus. Nullus vtiq; in summo gradu pater, Dominus, Rabbi, magister vt Deus; & in summo gradu aduocatus & mediator Christus. In subtrato autem multi è nobis.

In hac lectione corripit Dominus & præceptor noster Christus superciliosos atque elatos scribas & legisperitos Iudaorum. Docet item ut sese Ecclesia doctorum inter fratres humiliet, exemplum malignorum synagoga moderatorum cauitores effecti, Eccles. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo innocens gratiam. Et præfens textus habet: Qui se exaltat humiliabitur & qui se humiliat, exaltabitur: humiliamini igitur sub potenti manu Dei, &c. 1. Pet. 5.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Hesther 13.

Mardocheus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius, & dixit: Domine, Domine rex omnipotens, &c. Finis Epistolæ: & ne claudas ora te cauentium.

PRÆSENS lectio oratio est contra tyrannidem Aman Paulici regis Assueri, qui in scriptura vocatur inimicus Iudaorum, eo quod videns se contemni à Iudæo, omnibus Hebræis præsentem intentaret & machinaretur mortem. hoc ubi compertum habuisset Mardocheus, omnium acerbissime fleuit, scissis vestibus, sacco indutus, sparso in caput cinere, in media ciuitate voce magna clamans gentem quæ nihil peccauit, Iosephus 11. 6. Amaritudinem animi sui omnibus ostendit. Regina quoque Hesther, ubi exitium genti Israël structum comperit, fleuit & ipsa, ieiunio animam suam humilians, seque pro populo Dei deuouens, in hac oratione, digna quæ in tribulationibus ad Dominum Deum effundatur, quam ex animi angustia Domino offert, agit tria.

2. Paral. 20.

Epistola soli Deo propria.

I Primò, Ut gratiam Dei, atque eius in se misericordiam obtineat, humili confessione, Deo tribuit omnipotentiam, imperij dominatum & gloriam. Quibus epithetis, tanquam soli Deo propriis, solent veteres si quando in rerum desperatione essent constituti, ipsum ex fide inuocare, qua crediderunt esse eum solum qui & posset & veller suos de tentatione eripere: qua fiducia erecti, fortiter quicquid esset aduersitatum, misericordiarum, persecutionum & afflictionum ferebant, sciètes non nisi iusto Dei iudicio, & suorum peccatorum merito accidisse, con casu aut fortuito, ut solent impij Dei prouidentiam ignorantes, dicere in corde suo; Non est Deus, Psal. 13. Quales nunc multi sunt Epicurei, Sardanapali, Alcinoi, & canes impudentissimi: quos non magis præsentium temporum angit calamitas, quam si prorsus omni sensu essent destituti: sic suis immersi deliciis & voluptatibus, ut quasi Stoicam quandam indolentiam induisse videantur.

At lögè profectò aliter, nostra Hesther, quæ licet in sum-

mis

mis agere delictis videretur, nempe potētissimi regis Assueri coniunx charissima, in palatio omnium rerum copiā habēs, tota delictis pigmentorum affluens, & regio diademate ornata, orbis regina, angitur tamen populi sui afflictione. quē intellēxit impium Aman in capitis periculum adduxisse, & ex charitate (quæ propriis communia anteponit) commune populi periculum in se suscipit, & quasi sola dānationis sententiæ subiaceret, dolet, ieiunat, orat, cinere & sacco vestitur, nec non pro se orare iubet: intelligebat enim hac methodo Deum peccati merito offensum, & supplicia minitantem, ad misericordiam flecti, tensum arcum remitti, gladiū iræ Dei vibratum occultari. Itaque istis pœnitentiæ armis sese irato Deo opponit, dicens: *Domine, Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tue possit resistere voluntati. Tu fecisti celum & terram, & quicquid cali ambitu continetur, Dominus uniuersorum tu es. Quæ plena fiducię oratio soli Deo omnem tribuit gloriam & honorem, & in illius sinum se totā conicit, vt ostendat ex ipso eā omnia quæ humanæ saluti expediunt, dependere. Et tendit præfertim huc orationis huius exordium, vt superbus Aman pereat, incidatque in foueam quam populo Dei facere tentarat. Cui Mardocheus instinctu Spiritus S. assurgere noluit, nimirum ipso sic dicente: Cuncta nosti & scis, quia non pro superbia & contumelia & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum, &c. sed timui ne honorem Dei mei transferem ad hominem, & ne quenquam adorarem, excepto Deo meo. Qui*

Pœnitentiæ arma ieiunium, oratio et cinis.

Tyrannos superandi modus.

Animus magnanimus & fortis Diogenis.

Adulatio aulica superstitiosa & idolatria.

bus verbis datur nobis exemplum expugnandi superbos Lycaones, nempe animo magnanimo, quo tyrānis omnis præsentissimè superatur. Facit huc Diogenis dictum, cui Syraculis olera lauāt Aristippus dixit: Si Dionysium adorare velles, olera non ederes. Imo, inquit, si tu ista edere velles, Dionysium non adorares. Animus certè fortis Diogenis, omni tyrannide superior, hoc animo etiam iussit Alexandrum cedere sibi. Mardocheus idolatriā dicit esse, principibus adulari. Nam Deus solus adorādus, Deut. 6. Principes verò adorant, non Deum, qui illorum subscribit furori. Vnde Augustinus, & habetur. i. i. quæstion. 3. Quisquis: Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem, quàm Deum. Nam Petrus & Apostoli responderūt magistratui: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

2. Secundò. Captata beneuolentiā, artificio planè rhetorico statum causæ, humili oratione proponit, insinuans non populum tantum suum, sed se quoq; periculo inuolutam esse. Itaque non prætexit aut sua, aut populi iam cōdemnati merita, virtutes, iustitiam, & sanctimoniam: hæc enim, quia exigua

gua erant in populo, idè periculi magnitudine cōsternata, exposita necessitate clamat, dicens: *Domine Deus rex regum, Deus Abraham, miserere populo tuo, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti de Aegypto.* Sensus est: Respice in testamentum tuum, respice in sanctos parentes nostros, qui tibi religiosè seruiuerunt: meritis eorum interuenientibus, parce nobis. Nos qui pro nostra culpa iam exercemur ab infidelibus in Babylone, sumus tamen eorum sanguis qui te semper sincerè amauerunt. Parentum eorum nostrorum hoc nobis adhuc est reliqui, quòd te verū Deum fatemur: miserere ergo populi tui, quia volunt inimici tui delere hereditatem tuam. Sic solent fideles ad Dominum, cū tribularentur, clamare, Psal. 119. Item Psal. 70. In te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me: & Danielis 9. cap. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus, &c.

*Oratio He-
sther patheti-
ca & emphati-
ca.*

Est autem tota pathetica oratio & emphatica, quasi dicat: O Deus, tu qui solus potes, non intres in iudicium cum populo tuo, sed miserere, non mihi tantum, quæ, si externa spectes, non ita egeo: sum enim potentissima orbis regina, extra periculum constituta, regio amplexu secunda, & formæ venustate omnibus gratissima; sed populo tuo, qui licet peccarit, tuus tamen est populus: iure creationis, quem ad imaginem & similitudinem tuâ creasti: iure redemptionis, quem in manu forti eduxisti de terra Aegypti. Nec satis id tibi clemētissimo patri, sed addidisti tui cognitionem: legem voluntatis tuæ indicem: caeremonias, quibus excoli voluisti ab ipso: & regionum fertilissimarum possessionem opulentam, ut non possis non tuum agnoscere populum, tot beneficiis olim à te affectum, quem nunc conurati nominis tui hostes volunt data pecunia perdere, delere, trucidare, & extinguere: ne scilicet vlla supersit sanctissimi nominis tui memoria. Patere igitur ut viuentes laudemus nomen tuum, ne quando dicat gentes: Vbi est Deus eorum? Nam populo tuo saluo, & incolūm, me quoque ancillam tuam seruasti. Constabit promissionum tuarum veritas: confundentur inimici tui. Hic audis causam, quare à tyrannide cupiat liberari. Quomodo, ait Dauid, cantabimus canticum Domini in terra aliena? Item: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino, &c.

3 Tertiò, Necessitate detecta, addit petitionem, qua petit exaudiri, dicens: *Exaudi deprecationem nostram, propitiū esto fori & funiculo hereditatis tuæ, & conuertere lucrum nostrum in gaudium, ut, scilicet, uiuenti*

quientes laudemus nomen tuum, &c. Petit pacem ad prorogandum cultum Dei, non ad luxuriandum contra Deum. Sic & Dauid noluit emori, sed vivere, & opera Dei denuitiare, Pſal. 117. Siquidem in tanta animorum consternatione, vbi tam acerba imminent capiti pericula, fieri nequit, vt mens officii faciat, vt ex fide Deum inuocet, colat, adoret, & reueretur. Ideo Dauid expertus in se hanc animi conseruationē, ex consternatione iræ Dei, quam peccatis suis fuerat promeritus, exclamat: Anima mea turbata est valde, Pſal. 6. Defecit virtus mea, Pſal. 70. Ossa mea sicut cremium aruerunt, Pſal. 101. Aruit cor meum, &c. Pſal. 101. Ideo Pſal. 34. petit: Dic animæ meę, salus tua ego sum. Hoc enim est, quod Hesther hoc loco petit: *Conuertere lætium nostrum in gaudium*, vt scilicet ex spiritu tuo diffuso in cordibus nostris agnoscamus presentium temporū pericula, calamitates, & miseras, quibus hostes fidei Ecclesiam opprimūt, & cum sanctissima hac deprecatrice ex vera contritione, & peccatorum cognitione, in ieiunio, fletu, planctu, & cinere, sic Dominum oremus, vt exoremus, & Regum ac Principum animos ad Ecclesię suę defensionem, vt Esther Assuerum, excitet, hæresiarcharum, qui in Ecclesię perniciem coniurârunt, conatus impediatur, vt id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, sed in charitate, quæ est vinculum perfectionis, laudemus Deū in corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

Vtinam animaduertant historiam hanc tyranni Amanistę nostrates in aulis regum & principum delitescentes. Esto, Aula etiam hodie habeat Abdias aliquot, prophetarum patronos & mecœnates, sed vt sub Achab, numerus eorū rarus est. Quid tum? Nunquid impunē ferociunt & superbiunt Amanistę, quod peccatis nostris flagellum hoc iræ Dei meruimus? Ablit. Erit enim cū Dominus flagellum hoc suę iracundię in ignem proiciet, filios suos, quos istoc flagello castigauit, in gratiam recepturus. Potest Deus suo tempore Mardocheum aliquem aut piissimam Hesther in salutem suorum excitare.

Amanista impunē non ferociunt.

EPILOGVS.

Lectio præsens orationem continet Mardochei optimi viri, & Hesther optimę reginę, quam fuderunt ad Dominum Deum celi, in sua & populi Israëlis maxima anxietate, qua ab infidelibus tyrannis, à quibus bello erant superati, miserè exercebantur. Nec tantum orant, sed etiam exorant. Nam Aman incidit in laqueum, quem Iudaorum pedibus parauerat. Malum consilium consulti pessimum. Consuluit Aman regi, vt perdetet Iudeos, dicens igni eos assandis, sed rex Assuerus renocata priori sententia contra Iudeos, tulit sententiam aduersum Aman, dicens: Suspendite eum. Sic nonit Deus exaltare humiles, & humiliare superbos.

Consiliū malum cōsultori pessimum.

FERIA.

Luc. 18.

Marc. 10.

Et ascendens Iesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolimam, &c. Finis Evangelij: & date animam suam in redemptionem pro multis.

Pœnitentia sine merito passionis Christi & virtute humilitatis inefficax.

QVIA sacra pœnitentia, ad quam nos Quadragesimæ tempus hortatur, efficax sine merito passionis Christi & cæterarum virtutum custode nempe humilitate, esse nequit, ideo in præsentî Evangelio Ecclesia Catholica vtriusq; mentionem nobis facit. In quo Christus Ecclesiæ prælatos admonet omnium maximè Christum tribulationibus emulari debere, eosq; ut fideles ministros, Christi nomine sanguinè suum effundere paratos esse: nec se superferre, & tyrannicè in subditos gerere, sed Dei ministros se agnoscere debere: & præsertim nobis proponit quatuor.

I Primò, ascendens Hierosolimam assumpsit secum duodecim discipulos suos, ut secum in tribulationibus permanerent; & si non corpore, saltem mente compaterentur, Luc. 22: & cum venisset hora, eorum recordarentur, Ioan. 16. Item quia illis datum fuerat nosse mysterium regni Dei, Matth. 13. Discipulis secretò enumerat passionis suæ futuræ omnia mysteria, scilicet, quòd tradetur principibus sacerdotum & Scribis, Matth. 16. Tunc cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolimam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertîa die resurgere. Poterant enim adesse mulieres, Luc. 7. nec non discipuli 72. sed non omni homini arcanum aperiendû, Eccles. 8. & Iudic. 16. Nec suæ resurrectionis mysteriû omnibus committendum censebat, ne, si Dominum gloriæ cognovissent, nunquam eum crucifixissent. *Condemnabitur morte.* Id per Iudam impletum est, qui accepta pecunia (Matth. 27.) Scribarum & Phariseorum satellites in hortum adduxit, (Ioan. 18.) factus eorum princeps; qui comprehenderunt Iesum, Act. 1. Tandem verò in domo Cayphæ etiam cum acclamatione, & vestium scissione, reus mortis Christus declaratus est, consiliumq; habitum quomodo eius mortem à Pilato extorquerent. Iudæi ergo (Augustino teste) nequaquâ propriis manibus Christum occiderunt, sed lingua, Marc. 14. *Tradetur gentibus*, non enim alia causa Pontifices Iesum ad Pilatum adduxerunt, quàm ut post varia tormenta, morti, etiâ indicta causa, destinaretur. Gentilis erat Pilatus, & eius milites: gentilis & Herodes, sed in Iudaismum adoptatus. *Illudetur.* Illusus autem est Christus primùm ab Herode, veste alba: deinde à Pilati militibus, dicentibus: Prophetiza, &c. Postremò

Postremò à Iudæis, dicentibus: Vah qui destruis templum. *Flagellabitur. conspuetur:* Flagellatus est & consputus iuxta Esaiæ vaticinium, Esa. 53. Vt impletet serpentis in deserto appensi typum, Num. 21. & Iob 3. *Crucifigetur. & tertia die resurget.* Vt Ionæ figuram impleat, Matth. 12: vt & eius gloria post infirmitatē innotescat, Rom. 6: & licet ex infirmitate mortuus est, ita resurgat ex gloria: Itē vt nobis resurrectionis spem & exemplar in seipso proponeret. Tandem vt de morte & potestatibus infernalibus, imò Iudæis triumpharet, corpus eius gloriose resurrexit. De morte eius & mortis genere habes Psal. 21. Isai. 53. Hierem. 11. Daniel. 9. Zach. 13. Item figuras Isaac oblatus, Ioseph venditi, phasæ victimarum, & hoc genus cætera vsque ad hyssopum, quo sanguis victimarum super populū adspargebatur. Sepulturæ oracula & figuræ, Isa. 53. 37. Genes. 37. Resurrectionis verò & ascensionis, Psal. 115. Isai. 63. Gen. 37. Iudic. 16. Ionæ 2. sunt depicta. De illusione vides, Psal. 21. & 68. Luc. 22. & 23. Matth. 27. Marc. 15. De flagellatione, Psal. 72. Item 128. Ioan. 19. De excreatione, Isa. 50. Psal. 87. Matth. 26. & 27. & c. Quibus verbis Christus, præterquàm, quod diuinitatis suæ potentiã, qua futura omnia præscire sese demonstrabat, ostendit arcanum Dei patris consilium, quo voluit filij sui humilitate antiqui hostis superbiam elidere, ac de peccato damnare peccatum, vt iustitia legis impleretur in nobis, si tamen compatimur. Nequit enim vera Christiani hominis iustitia, quæ non nisi merito passionis Christi contingit, in delictis consistere: quare si Christum pati oportebat, & ita intrare in gloriam suam, Luc. 24. multo magis nos ob varias causas, Prædicat autem Christus omnia, scilicet:

1. Vt ostenderet sese, iuxta prophetarum oracula, non in-

Christus voluntariè passus est.

uitum, sed prorsus volūtarium passionem suscepisse, Isa. 53. Ioan. 10. Oblatus est, quia ipse voluit. Potestatem habeo ponendi animam meam, & c. Neque Iudæorum cōuictum potentia, morti succubuisse, sed propria voluntate & amore nostri: propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos, lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

2. Vt discipulorum animos contra futuram tempestatem præmuniret: Pèriculum enim erat, ne fidei susceptæ semen prorsus suffocaretur, si præter opinionem eripi sibi viderent eum, cui hæctenus fidem habuissent: ex cuius doctrina vitã instituissent suam. Si enim sæpius moniti, nondum tamen consistere poterāt irruente malo, sed scandalizabantur; quid futurum, si omninò tale quid nihil expectãtes, vidiissent ob torto collo sibi Christū abripi, ac post varia ludibria in cruce adigi?

Act. 1.

3 Vrfalsam quam de temporali regno iam imbiberāt, opinionem ipsorum animis eucleret. Siquidem credebant illa prophetarum vaticinia, qualia sunt apud Isaiam 32. & 54. Psal. 71. Isa. 9. Daniel. 7. aliisque locis innumeris, corporea prorsus fore. Vnde rogabant, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël: Indicat enim aliud, scilicet spirituale regnum te meditari, & iam parare per passionem.

4 Vt ostenderet se esse eum promissum in lege Messiam, in quem omnia collimarent dicta prophetarum: neque alium postea expectandum, sed in hunc esse spem omnem collocandam, atque ex præteritorum certitudine futura esse expectanda; atque ideo resurrectionis, in qua salutis fidelium summa consistit, meminit. Traditus siquidem est ob nostra delicta, sed propter nostram iustitiam resurrexit, Rom. 4. Peculiare quippe est Apostolo, mortem Christi & resurrectionem vnâ ferè maritare. In hoc enim mortuus est & resurrexit, vt viuorum dominetur & mortuorum, Rom. 14. Item 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est & resurrexit, vt qui viuunt, posthac sibi non viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Paulus in synagoga huiusmodi mysteria exposuit Act. 17. Mors Christi siue resurrectione mudo salutaris non fuisset, sed mors & resurrectio vnâ sunt nostra victoria, iucunditas, salus & beatitudo. Porrò Christus hic se & sordidam passionibus, & ornatum resurrectione depingit. Sic enim & apud Zachariam (ait Tertullianus libr. 3. in Marcionē) in persona Iesu summi sacerdotis; imò & ipsius nominis sacramēto verus & summus pontifex Christus Iesus duplici habitu in duos aduentus delineatur. Primò sordidis indutus, id est, carnis passibilis, & mortalis indignitate dehinc dispoliatus pristinas sordes, & exornatus potere & mitra & cidari munda, id est, secundi aduentus gloria & honore. Idem dicit Tertul. significari in duobus hircis cōsimilibus; quoniam & idem Christus. Sed alter eorum circumdatus cocino, maledictus & consputus, & conuulsus & compunctus, à populo extra ciuitatem abiiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus dominicæ passionis: Alter verò pro delictis oblatu, cum canticis & floribus exciperetur, in signum triumphantis Christi, digni vtique pro peccatis nostris sacrificio.

Ratio humana sub Euangelij prætextu honores, diuitias, & gloriâ venatur.

2. Secundo, docet quid plerunque sub prætextu Euangelij venari soleat humana ratio, scilicet honores, diuitias, & gloriâ. Siquidem sola resurrectionis mentione audita, mater filiorum Zebedæi, Ioânis scilicet Euangelistæ & Iacobi maioris. Maria Salome dicta, animalis adhuc, nec intelligens quæ Dei sunt (somniauit enim externum regnum, in quo sceptrum,

secep
sto
dum
bolo
tit a
aff
non
cens
Fier
stea
iura
C
min
sunt
cipes
ant:
Aicil
est, v
publ
iure,
quaf
cum
a. hor
patu
uitia
per f
Orac
Aegy
chæu
dis;
Dein
beatu
scilic
lis su
hono
alij h
tione
illoru
trista
osten
respo
quod
vidua
oraru
Qu

scēptum, gladius, & arma essent corporea) proinde à Christo quem adorabat vt par erat, quoniam æqualis patri secundam diuinitatem, Philip. 2. Hebr. 1. & Athanasius in Symbolo: de quo Psal. 98. Et adorent eum omnes angeli Dei: petit auiditate fœminea, errore muliebri, & maternæ pietatis affectu, sed indeterminatè: quare indeterminatas has voces non suscipit Christus, nec præcipitem largitionem facit, docens Principes & magnates idem, cum supplicantur, imitari. Fieri enim potest vt impia ab illis postulentur, quorum iustitia eos pœniteat. Sic pœnituit Herodè polliciti propter iurandum & discumbentes, Marc. 6.

Cui respondit: *Quid vis?* Quid vis, ait, quasi insinuet examinandas omnium petitiones: maximè verò quæ petenda sunt à Deo, prosint ue an obsint. Obseruent hic etiam principes, vt non indeterminatis supplicationibus citò annuant: alioquin eis id contingit, cuius serò eos pœnitebit: Ait illi: *dic vt sedeant duo filij, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram*, id est, vt hic in rerum administratione primas teneat, ac rempublicam gubernet; & hic, secundo loco consanguinitatis iure, regni negotia curer, particeps non tam curarum quam quæstus & lucri. Tria filiis postulat: 1. quietem, vt sedeant, cum tamen otium Sodomæ ruinæ causa fuerit, Ezech. 16: 1. honores, qui tamen excæcarè solent, Psal. 48. & vt in Saule patuit, 1. Reg. 16. Ait porò illa, vt sedeant ad dexteram. 3. diuitias, vt sedeant in regno. At facilius est camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regno cælorū, Matt. 19. Orat summam aulæ primatum, qualem Ioseph habuit in Aegypto, Genes. 41. Daniel in Chaldæa, Daniel. 5. & Mardochæus apud Assuerū, Hesther 8. Errat igitur hæc tribus modis; Primò, ordine, quo præmium ante meritum postulat; Deinde intentione, quasi ratione consanguinitatis id ei debeatur. Tertiò, quòd tantum media bona quærat, honores scilicet & pompas. Commune enim hoc est parentibus, vt filiis suis conditiones amplas, & magnificos in seculo parent honores. Alij filiis suis (inquit Chrysost.) mintiâ prouident, alij honores, alij diuitias, sed nemo prouidet Deum. Perditionem illorum magno pretio comparant, salutem autem illorum nec dono accipere volunt; si viderint eos pauperes, tristantur; sed si viderint peccantes, non contristantur, vt ostendant se corporum parentes, non animarum. Ex Christi responso constat matrem hanc ad hoc à filiis extimulatam, quòd ignorarent quale futurum esset regnum Christi. Sic vidua pro Absalon, 1. Reg. 14: sic Bersabee pro Adonia filio oratura accessit, 3. Reg. 1.

Parentū commune vitium.

Quia mulier infirmior est, ideo facilius tētatur à demone.

Hinc est quod matri facilè suggerunt filij, vt pro illis supplicet. Atqui & hanc sibi instrumentū faciunt honorum acquirendorum, quod & muliere etiam multis nunc fiat ad Ecclesiam aditus. Illis ostium est hæc in gr. gem Christi, non Christus: adeò infirma muliere abutimur in malitiam. Inde Hieron. 1. parte epist. 13. tract. 2. in Pelagianos, Simon magus hæresim condidit (inquit) Helenæ meretricis adiutus auxilio, Marcion Romam præmisit mulierem qua decipendos sibi animos præpararet.

*Regnū Christi
quibus con-
stet.
Felicitas &
securitas in
regno Christi
non quarēda.*

Christus autem docet, vt ex responso patet, suum regnum constare fide, Euangelio, oratione, Spiritu sancto, & Sacramentis, quibus resistit satanæ, morti, inferno, mundo & carni. Non est igitur quod in hoc regno quis felicitatem aut securitatem quærat; nam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, Act. 14. imò & Christum ipsum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, Luc. 24. Propter eam respondet non matri sed filiis, à quibus erat subordinata: Nescitis quid petatis. Nec mirum si eos arguat imperitiæ, cum etiam de Petro in trāsfiguratione dicatur, nescisse eum quid diceret, Luc. 9. Marc. 9. Nesciebant autem quid petebant his de causis; Primò quia regnū eius non est de hoc mundo, vt sanguine, non autem gratia & merito cōferatur. Qua de re plerique indiscretè dignitates Ecclesiasticas ambiunt, eas quasi hæreditario iure sibi deberi petentes, quod magno sint sanguine creti. Siquidem vt ait Orig. hom. 23. in lib. Numer. Moses filios habuit, quibus poterat dignitatem propriam relinquere, sed noluit: vt sciremus, principatū in populo sanguini non esse conferendum, sed his qui sunt bonæ vitæ & doctrinæ. Nam & de diaconis dicitur: Pro-bentur, & sic ministrent. Rudes vtique, non nobiles secundū mundum Apostoli electi sunt, & quidem olim è monasteriis euocabantur, nihil tale cogitantes, qui Episcopatu & sacerdotio fungerentur. Non illi sese ingerebant, aut sanguine ea sibi deberi censebāt. Imò olim Christiani liberius ad martyria quàm ad Episcopatus confluxebant. Augustinum (epist. 148.) pœnitet quòd Episcopatum acceperit: Chrysostomus quoque sacerdotiū fugiebat, & Episcopatum renuebat, etiā à Babilio & pluribus cum lachrymis rogatus, vt testatur ipsemet lib. 1. de sacerdotio, cap. 3. & 4. Item lib. 2. cap. 4. S. Eusebium quoque olim Edessæ Ecclesiæ archidiaconus, vacante Episcopatu, stultum se & insensatum simulauit, ne Episcopus (vt sperabant omnes) crearetur. Secundò, quia idem regnum otiosis & dormientibus non confertur, sed operarij vocantur, vt illis merces reddatur, Matth. 20. Nesciunt quoque quid petūt, qui magistratus ambiūt, primò quia de sub-

ditis

ditis reddenda est ratio, Heb. 13. Secundò, quia iudiciũ durissimum fiet his qui præsumunt, Sap. 6. Hinc Hieron. regula monial. cap. 15. dicit se timere, ne si Episcopus fuisset, etiam de numero damnatorum futurus esset, quia curam Episcopi maiorem esse nouit quàm Regis. Et tamen vt docet Chrysostr. homil. 3. in Act. Apost. pro oneris ratione plures reges & coronas & diademata in terram deiecerunt, adeò regnorum insignia curis oppleta pendebant. At rarus suo oneri impar Episcopus, Episcopatum abnuat: sed & Archiepiscopatum & Patriarchatum ambit, adeò vt quo plus sunt potæ, plus sitiantur aquæ: & nesciunt quid petant. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? & baptizari baptismo quo ego baptizabor?* Calicem in diuinis scripturis passionem in eligimus, vt Psal. 115. Calicem salutaris accipiam: statimque infert quis iste sit calix, cum subdit: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Poculum & baptismum vocat eadem & martyriũ. Poculum quidem, quòd mors læto animo pro hominibus suscipiatur: Baptismum verò, quòd hæc futura sit in ipsorum purificationem. Ipse enim pro his seipsum sanctificauit, Ioan. 17 & mortem subiit, vt hunc calicem illis propinaret. Quasi dicat: Vos mihi de honore & coronis loquimini, ego autem de agonibus & sudoribus loquor: non enim hoc est præmiorum, sed militiæ tempus. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit, 2. Timoth. 2. Luc. 18. Quicumque ergo regni Christi vult esse parriceps, omnium primò huius passionem & mortem spectet oportet, vt nempe credat hanc mundi esse pretium vnicum, remissionem suorum peccatorum, iustitiam & vitam suam: deinde verò & ipse Christi calicem bibere, baptismoque eius baptizari debet, vt scilicet carnem & peccata mortificet, Coloss. 3. studeat innocentia, & afflictiones quascunque propter Christum, ac iustitiam libenter subeat, Matth. 5. Contendite inquit Christus, Luc. 13. intrare per angustam portã. Stat item regalis sententia: humilitas præcedit gloriã. Inferiorem locum occupa, te ipsum humilia, & exaltaberis, Prou. 15. Luc. 14. Summatim his verbis aperte docet Christus, probandas illorum vires qui Ecclesiasticis officiis destinandi sunt, ne sub onere decendant. Nunc verò hæc floccifunt, proinde desunt Ecclesiæ speculatores vigilantes. Hinc captius ducitur populus, eo quod scientiam non habuerint, Isa. 5. Et quia sal doctrinæ & conuersationis multorum prælatorum euauit, vix est in quo saluatur, Matth. 5. Item insinuat eos multa passuros, multaque subituros pericula, vt vocationem suam contestentur. Omnes utique Christiani, calicem quem Christus bibit, sibi assumere, sed & maximè Episcopi eum bibere debent. Hinc est

quod Christus de Paulo quem sibi Apostolum selegerat: Ostendam (inquit) ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Tertullianus vero lib. ad Martyres, multa pro Christo subire nos debere supplicia, paganorum & venatorum probat exemplis. Porro si id militibus, an non & ducibus inesse debet & Episcopis? Nunquid etiam oblato suæ vitæ discrimine, obuiam in lupos procedere deberent? Sic quippe magnus ille martyr Babylas Antiochenus Episcopus, venientē in Ecclesiam suam Numerianum præfectum gentilem repulit, se pro virili affirmās non commissurum, vt ad gregem lupum ingredientem intueatur, Nicephor. libr. 10. cap. 28.

*Christus enim
passionem suā
et mortis pocu-
lum et baptis-
mum vocet.*

Nec vacat mysterio, quod Christus crucem suā & eius contumeliam, calici & balneo, voluptatis symbolon habētibus, confert. Quod nimirum idē fecit (Theophylacto teste) vt illa vocabula crucis & contumeliarum alioqui carni intucunda & horrenda tali temperamento mitigaret, sicque ea iucunda & optabilia redderet; & quo plures imitatores sibi ascisceret, ipsum prius poculum hoc totum ebibit, & lauerum tale totus subit. Quo potenti exemplo permota est primitiua Ecclesia, vt haud secus ad martyrium properarent Catholici, quā si ad conuiuium aut balneum essent ituri. Vnde ait Bernardus: Stat martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacerato corpore, & rimāte latera ferro, non modō fortiter, sed & alacriter, sacrum ē carne circūspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum parentibus ad introeundum. Hæc ille.

3 Tertiō, Præsumptionem proponit horum fratrum, quæ plerunque ex ignorantia nascitur, qua, non agnita rei quam ambiunt difficultate, tantum vt libidini suæ faciant satis, etiam quæ ultra vires sunt, aggredi non verentur; & ex superbia, qua, obliti propriæ infirmitatis, tamen vt aliis præstantiores videantur, suis viribus maiora expectunt. hos quisquis in consilium adhibuerit duces, præsumere quiduis non audebit tantum, sed etiam aggredi, licet cælum terræ miscendum fore: tātum valet saua in homine ambitio, vt peccatum peccato addere non vereatur. Huius ambitionis tyrannide fit, vt Ecclesiæ, imperia, regna, Respublicæ, ciuitates, & familiæ non tantum dilabantur, sed intereant, evertantur, ac funditus percant, dum regnis inhiant Principes Ecclesiastici; & Ecclesiis inhiant Principes prophani, quando illorum sit, verbo & exemplo Ecclesiam regere, non opes quærere, non arma vibrare: & horum sit imperia armis protegere, ab hostibus defendere. Quò fit, vt dum sutor ultra crepidā iudicare pergit, magna subsequatur perturbatio.

Ambitio omnia diruit & funditus evertit.

turbatio, iustoque Dei iudicio fit, ut dum extra vires nostras efferimur, turpiter subinde, ut cantherius in porta, labamur. Sic Ozias dum præter suam dignitatē sacerdotium vsurpat, lepra percuitur: Chore, Dathan, Abiron, viui absorbentur à terra: Iannes & Mambre, Exod. 7. 2. Timoth. 3.

Nemo vltra vires suas sese efferre debet.

Monet igitur hic Christus, ne quis vltra vires suas sese efferat, ut Petrus, qui propria sui ipsius fiducia promisit se cum Christo non in carcerem tantum, sed & in mortem ire, Matth. 26. & Thomas, qui dixit ad reliquos discipulos: Eamus & moriamur cum illo, Ioan. 11. Sed quid accidit? Petrus ter negavit, & Thomas multis Christi reuelationibus post resurrectionem non credidit, Ioan. 20. Hinc Christus, Ioan. 15. rectè ait: Sine me nihil potestis facere. Et Apost. 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquã ex nobis, sed omnis sufficiëntia nostra ex Deo est. Sed Philip. 4. inquit Paulus: Omnia possum in eo qui me confortat.

4. Quarto, Patientiã Christi proponit, quam ostendit primò erga hos duos fratres, quibus amicissimè respondet, dicens: *Calicem quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor baptizabimini.* Quibus verbis officium suorum declarat, ut sicut ille facturus erat, ita & ipsi facerent. Quasi dicat: Patiemiini quidè propter nomè meum, & hæredes regni mei vos futuros spòdeo, tamen in me prius offendemini: sed quia tandè nõ ex naturæ vestre viribus, sed ex mea virtute pro me patiemiini, etiam regnũ patris mei accipietis. Veritatè rei huius vides Act. 12. nempe Iacobum capite plexum; Ioannè verò vitam sine cruce non transegisse, vides Act. 4. & 5. *Sedere autè ad dexteram matris, aut ad sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo.* Christi liquidè est cõferre sedes cælestes, quod in hoc verbo, quibus paratum est, &c. insinuat. Sed est ac si dicat: Meum quidem est beatitudinis participes efficere; sed non vobis: at his tantum, quibus illa præparata est. Itè: non est meum dare vobis, quales nunc estis superbi & ambitiosi, sed tamè vobis, quales futuri estis, humiles, abiecti, fideles, quibus eo sensu paratum est regnũ à patre meo. Itè: non meum est ut homo, nisi per meritum: at meum est cum patre per supremam maiestatem. Aequalis enim Christus patri. Vnde & se iudicij dominum insinuat Ioan. 5. & Matth. 28. datam sibi omnem in cælo & terra potestatem asserit. Et Matt. 16. Claves cælorum Petro promittit: & Luc. 22. & Matth. 19. sedes duodecim Apostolis pollicetur.

Præclarè itè hic dicitur ab Hieron. Regnũ cælorum nõ esse dātis, sed accipiētis: nõ personę, sed vitę paratum esse. Opera ait Ioānes, eorum sequitur illos. Qui benè fecerūt, ibūt in vitã eter Ioan. 5. Sensus itè est: Nõ carnis prerogatiua, aut personę respectus hęc habet locum, sed gratię superne vsus & virtutũ meritũ.

Pater non patitur sibi aliquem sedere dexterum, nisi solum filium, Psal. 109. Hebr. 1. Qui verò mihi ministraverint, & eos honorificabit pater, & eosdē mecum esse parietur, Ioan. 12. 15. 16. Superest ergo vt legitimè militetis: quia nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, 2. Timoth. 2. Luctantibus tantum (ait Theophylact.) coronę sunt præparata. Quemadmodum cursus certamine proposito, ac rege certaminis præside, si quispiam qui non certasset, prodeat & dicat: da mihi, stadium non ingresso, coronam, o certaminis præses. Huic vtiq; respondere poterit ille: non est meū dare ad gratiā coronā, sed quibus præparatū est, hoc est, qui cucurrerunt & vicerūt. Sic & hoc loco Christus tantū his qui ministraverūt, quibus vtiq; sedes parata est, eā dicit se collaturum.

Deinde patientiam Christi proponit, quam ostendit erga reliquos Apostolos, qui egrē ferebāt duorum fratrum ambitionem, quòd aliis præferri voluissent. Carnaliter tamen indignantur, vt obseruat Theophylactus, quòd aliquid sibi deperire putant, si isti exaltarentur. Sed Christus eos conuocans ad se, vt qui apud semetipsos erant, hoc est, vt qui proprio & carnali Marte ratiocinabātur, & inuidebant ad Christum accedentes spirituali doctrina & cælesti imbuerentur; tribus efficacissimis argumentis eos conciliat, dicens: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos* Non quòd dominari malum sit, quia Christus gentiles, vt hac in arte corruptos adducit. Dominari quippè itē & potestatem exercere, sumi potest dupliciter: Primò quidē pro præesse, quo modo malū non est, nam Rom. 13. Omnis potestas à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Hinc idem Apost. Omnis anima (ait) potestatibus sublimioribus subdita sit. Idē hoc præcipit D. Petrus. 1. ca. 2. Secundò pro ambitiosè & superbè, ceu tyrannicè in subditos se gerere. Et sic dominari malum est, quo modo hic intelligitur. Nam Eccl. 3. Quanto maior es, tanto te humilia in omnibus. Ambitionem ergo detrectandam ab Apostolis docet, quòd ex aduerso stare debeant gentilibus idololatriis, & promissionis spem non habentibus. Qui vt ambitiosi sunt, vt dominari appetunt, & tyrannicam in suos exercere potestatem: ita qui Christianis deputantur officiis, alterutrum prodesse, & inferuire cum humilitate debent. Ideoq; ait: *Non ita erit inter vos*, seu ratione Christianismi, quo omnes ad alterutrum obligat: seu ratione Ecclesiasticæ authoritatis, quam ego vobis collaturus sum. Hæc quippe potius seruitus dicenda est, qua vos omnibus omnia fieri, omnes lucrifacere, & vestris subditis. tum verbum, tum sacramenta ministrare debetis. *Sed quicumque voluerit maior fieri, sit vester minister*: id est, qui

consen-

consentiet, seu etiam desiderabit Episcopatum, seu primatum alium in Ecclesia, & ad eum prouectus fuerit, ministerio deputabitur, non dominio: *& qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus.* Vt enim serui est totum se domini sui obsequio impendere, sic praelati est totū se subditis deuouere, 1. Coriath. 9. Cū essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci, ait Paulus. Et 2. Cor. 4. Nos serui uestri sumus, inquit, per Iesum Christum. Quod Christus suo exēplo probat, d. *Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et tamen ille caput totius Ecclesiae est: quem Pater audiendum de nube testatus est. Nilominus tamen in medio Apostolorum fuit, sicut qui ministrat. Seruus utique factus & ratione officij, quia ministrat, & ratione pretij, quia redemit. Ministrat quidem angeli Christo, Matth. 4: & Martha ei etiam ministrasse dicitur, Luc. 10. Sed aliud est Christo ministratum fuisse, & Christum uenisse ut ei ministraretur. Ministratum quidem ei fuit, non tamen ad hoc uenit, sed ut ministraret. Sic & intentio cuiusque praelati esse debet semper, omnium se seruum reddere, etsi à suis dominus agnoscat. Hinc D. Gregorius primus se seruum seruorū Dei uocauit. Summatim is tribus argumentis, quorum primum à similitudine regni prophani sumit: secundum ab humilitate, quae decet eos qui humilitatem Euāgelicam profitentur: tertium ab ipso Christo, qui cū diues esset, ita pro nobis egenus factus est, ut non haberet ubi caput reclinaret, ut scilicet ipsius inopia diuites efficeremur, 2. Corinth. 8. Apostolos corripit; nam ex ignorantia & carnali prudentia eorum prodibant cogitationes. Permisit autem Dominus Apostolos huiusmodi uitiis subinde labi, ut post prae dicatores Euāgelij effecti, discederent patienter ferre lapsos, iuxta illud: Si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, &c. Galat. 6. Christus igitur breui hac conuentione duorum fratrum ambitionem humilitatis commendatione deprimat, & decem discipulorum indignationē cōpescit. Si quidem omnibus se in exemplum proponit, ac docet ipsos non debere putare suū regnum iis artibus esse administrandum, quibus mundanum administratur: quasi dicat: Pater meus duos in mundo ordines, ueluti duo luminaria magna, constituit: Mundanum, quem commisit administrandum Imperatori, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Senioribus, Iudicibus, &c. ut scilicet gladio externo bonos defendant, & malos puniant, Rom. 13. 1. Pet. 2. Et spiritualem, quem commisit administrandum Episcopis, Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, Concionatoribus, &c. ut

*Apostolos cui
labi permise-
rit Christus.*

*Ordines duo
in mundo.*

vigilent pro animabus subditorum, Euāgelium prædicent, Sacramenta administrent, & excommunicatione legitime vtātur. Quasi dicat: Non decet vos gladio pugnare, sed verbo diuino, ad Titum 1. vt potēs sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Quare ex mea vita exemplum sumite, Ego dominus cæli & terræ, omnium vestrū factus sum seruus. præbete ergo etiam vos erga omnes faciles, &c. Chrysof. Principes mundi ideo fiunt, vt dominētur in minoribus suis principes Ecclesiæ, vt seruiant minoribus suis, vt proprias vtilitates negligant, & illorū procurant, nec mori timeant pro salute ipsorū. Non ergo extollat præfidentem dignitas, ne ab humilitatis beati tudine corruat: illud autem nouerit, quod humilitas vera ministerium pluriū est. Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis, abstergens cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ex ministerio illo causam elationis; sic multo minus cui commissæ sunt curæ fraternorum languorum, vt omnium minister reddaturus pro omnibus rationem, humilis esse debet atque sollicitus, Eccles. 32. Rectorem te posuerūt? noli exolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habet, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris coronationis.

Solet hoc loco disputari ea quæstio, num scilicet iniquè agant parentes, qui suis liberis dignitates procurant, aut Ecclesiasticas, aut ciuiles: de qua vide August. epist. 121. tom. 2. Item Prosperum lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 28.

EPILOGVS.

Euangelij huius prior pars vaticinium habet de passione ac morte Christi, necnon de eiusdem resurrectione, quam sortem suā illis prædixit: primo, vt contra scandalum crucis eos præmuneret, ne videntes ignominiosissimam acerbissimamque ipsius mortem, in fide hæsitarent, aut desponderent animum: secundo, vt vltro se & scienter ostenderet passionem mortemque subiturum: in quo nimirum totus fructus passionis & mortis eius consistit tertio, vt omnes intelligerent passionem, mortem & resurrectionem ipsius esse pretium redemptionis, per quod iustificari saluandos oporteat, Roman. 4. Altera pars pharmacum & medicum præbet contra tyrannicam ambitionis plagam, qua sese prodidit in duorum Apostolorum stulta petitione, & aliorū indignatione. Duo ergo circa eos facit Christus: Reuocat dominationis nimium appetitum, & modum prælationis Christianæ, & formam quam sequantur humilitatis, modesta ratione præscribit describitque. Necessè est ergo, vt rectorem subditis disciplina patrem & pietas matrem, & humilitas seruum exhibeat, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa, sed vtrouque seruetur discretio.

FERIA

Principes
mundi & Ec-
clesiæ quare
faus.

tas vltimæ
quæstio res
vltimæ res

tas vltimæ
quæstio res
vltimæ res

FERIA QUINTA HEBDOMADAE SE-
CVNDAE QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, &c. Einis Epistolæ: Qui do unicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum. Hier. 17.

VIDENS Propheta Hieremias pertinaciam vanamque fiduciam regis Sedechiæ & populi Iuda, contra verbum Dei ad Aegypti præsidia confugientium, fulmen iræ Dei illis ore impauido denuntiavit. Maledictos namque omnes pronuntiavit in hominis auxilio fidentes, hoc est, omnes execrationes legis à Mose, Deut. 28. enumeratas, redundare in huiusmodi vanæ fiduciæ impios homines, & ex antithesi ostendit benedictum esse eum qui spem suam in Domino ponit, omnesque benedictiones præfato cap. contentas super eum venturas. Et hac epistola tria præsertim proponit Propheta.

1 Primò, Ostendit in quo potissimum hominis sit constituta damnatio & maledictio: in eo scilicet, quod confidit in homine ponit carnem brachium suum, hoc est carnem fortitudinem suam ponit, & à Domino recedit cor eius. Isaias propter eam vanam & execrabilem fiduciam, qua Israël antea se Aegyptiorum præsidio satis tutam sperabat, vaticinando etiam intonuit, dicens: Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxiliū, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non exquisierunt. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & confurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem: Aegyptus homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur, Isa. 31.

Hebraismus est ponere carnem brachium suum.

Hæc faciunt qui confidunt in virtute sua, Psal. 48. & 117. Prouerb. 11. qui suam volunt statuere iustitiam, Roman. 10. & iustitiæ Dei nolunt subiici. Huiusmodi quam graua & horrenda sequatur supplicia, scripturæ testantur: nam à gratia exciderunt, qui in lege iustificari volunt, id est, qui sine Christo propriis viribus salutem assequi nituntur, Gal. 5. vt in iis glorientur. Inimici Dei constituuntur qui voluerint amici esse huius seculi, Iacobi 4. Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent, Psal. 52. Tales olim fuere Philosophi, Iudæi, Pelagiani, Pseudoapostoli, hypocritæ, & Anabaptistæ, qui exæcati propria malitia, laborantes ignorau-

Supplicia quæ horrenda manent in seipsis confidentes.

ignorantia veritatis, & concupiscentia rerum noxiarū, eu-
nuerunt in cogitationibus suis, & dicentes, se esse sapientes,
posuerunt carnem brachiū suum, dum scilicet in carne glo-
riantur, id est, in rebus carnalibus, quos rectè inimicos cru-

Christi in cru-
ce maximè
gloriandum.
Per bonū, in-
tellige pluvia
benedictionē,
per siccitatē,
terram sabu-
losam:

Terra falsugi-
nis est, qua
humore salis
acerbo aquē
sterilis est, at-
que sabulosa.
Myrica qua-
lis herba.

cis Christi vocat Apostolus; cum non oporteat eum qui glo-
riatur in alio, quam in cruce Domini nostri Iesu Christi
gloriarī. Gala. 6. Alioqui, vt minatur Propheta: *Erunt quasi my-
rica in deserto, non videbunt cum venerit bonum, & habitabunt in siccitate in*
deserto, in terra falsuginis. Sensus est: Spes impiorum peribit, vana
salus hominis, &c. Neque Deus, neque gratia est apud apo-
statas, 2. Paral. 15. Abiecti sunt tanquam reprobum argentū,
suprà Hier. 6. Quibus metaphoris significat Propheta om-
nem eorum iustitiam, qui sine Christo iustificari voluerunt,
fore rem futilem & abiectissimam, vt est Isa. 59. Oua aspidū
ruperunt, telas aranæ texuerunt. Tela eorum non erunt in
vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum
vestimenta, neque operientur operibus suis: opera eorum
opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Est
enim myrica herba humilis & abiecta, quæ solo arenoso &
sterili delectatur, maleficis ad odia concitanda in vsu. Sic im-
pij, qui licet hīc exaltentur vt cedri Libani, deiciuntur, nec
videbunt gloriam Domini, Isa. 26. sed proiciuntur in tene-
bras exteriores, post mortem scilicet, ipsis & auxilio gratiæ
caelestis, & occasione bonarum operationum sublati, ac flu-
mine illo, cuius humore fecunda sunt fidelium pectora ad
produccendos virtutū fructus, obturato, in falsugine desper-
ationis perpetuò permansuri, Psal. 103.

Felicitas ho-
minis in Do-
mino confi-
dentis.

Quis in Do-
mino cōfide-
re dicatur.

2. Secundò, Per locum à contrario describit felicitatē eius
qui confidit in Domino. Huic enim erit Dominus fiducia,
illuminatio, fortitudo, firmamentum & liberator. Is autem
dicitur in Domino confidere, qui deposita omni opinione
propriæ sanctimonix, totus à Deo pendet, non contentus
aut propriæ conscientix, 1. Ioan. 3. aut adulantis vulgi testi-
monio; sed etiam si omnia quæ præcepta sunt fecerit, se to-
tum tamen in Dei proicit misericordiam, dicens cum Pro-
pheta: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis
sustinebit, Psal. 139. Iste intelliget veritatem, & fidelis in di-
lectione acquiescet illi, Sap. 3. deposita vt loquitur Aposto-
lus ad Philip. 1. omni, quam ex carne, id est, rebus carnalibus,
quæ spiritu Christi destituuntur, fiducia, vt inueniatur non
habere suam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex
fide Iesu Christi. *Erūt enim hic, vt habet Propheta, quasi lignū quod
transplantatur super aquas, Psal. 1. & 22. scilicet gratiæ spiritualis,
qua fit vt de ventre eius fluant aquæ viuæ, Ioan. 7. Quod ad hu-
morem mittit radices suas, id est, omnium actionū suarum inten-
tionem ad Christum dirigit, qui est fons patens in ablutio-*
nem

nem peccatorum, Zach. 13. Non timebit cum venerit aestus persecutionum, & aduersitatu; quia non contristabit iustum quicquid illi acciderit, sed gaudebit, sciens quid tribulatio, patientiaque operatur, Roman. 8. Erit folium eius viride, id est, tota vitæ ipsius actio gratia virtutum ad ædificationem proximi ornata, ita constans, vt nec eleuetur prosperis, nec frangatur aduersis. Et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec desinet facere fructum, sciens inuilem seruum, qui domini pecuniam non dederit ad vsuram, proiciendum in tenebras exteriores, Luc. 12. Matth. 25.

I. Pet. 4.

Elegans antithesis, qua opponitur hominis verè iustificati, & in solo Deo fiduciam habentis felicitas, miseræ hominis infidelis. Bonum ergo est sperare in Domino, quam sperare in principibus, Psalm. 117. Ex qua etiam contra nostri temporis aduersarios confirmare licet, opera iustorum, & eorum qui ex fide in Christum opera exercent virtutum, iustitiæ mercedem accepturos. Siquidem, Apostolo teste, non est iniustus Deus, vt obliuiscatur laboris nostri, Hebr. 6. Sunt itaque opera fidelium (nemo enim secundum Augustinum computare bona opera potest ante fidem, in præfat. Psalm. 31.) & eorum qui confidunt in Domino, bona, iusta, & sancta, æternæ vitæ meritoria; imò dum à spiritu Christi fidelem inhabitante proficiuntur talia, vt possint ex iustitia in iusto Dei iudicio, quod secundum æquitatem reddet vnique secundum opera, mercedem expectare, quod metaphoricè exprimit Propheta, dum ait: Non timebit cum venerit aestus. Erit enim folium eius viride, in tempore siccitatis non erit sollicitum. Quanquam enim cesset cum morte bene operandi facultas, permanet tamen actarum virtutum & fidei viror ex merito Christi permanentis. Fiduciam, quæ ex puro corde in Deum ponitur, vsus & commoditas quanta sit, vides, Psalm. 3. 16. 21. 31. 39. 117. 124. 146. 1. Reg. 22. Prouerb. 16. 28. 30. Isaia 25. 40. &c. Vt confidamus Deo, præcipitur nobis, Psalm. 36. 61. 77. 130. Matth. 6. 9. Marc. 6. Ioan. 16. &c. Vt Dominum Deum constantes expectemus, præcipitur Psalm. 26. 36. Osee 12. Abac. 2. Sophon. 3. Ne in temporalia & creaturas speremus, passim multa etiam loca occurrunt, vt Psalm. 41. 48. 15. 16. 117. 134. 145. Prouerb. 11. 12. Esaia 36. 59. Hierem. 7. 17. 49. Amos 6. 2. Machab. 8. 12. Marc. 10. Dominus Deus vt sibi soli fidere discamus, omnem creaturam sub pedibus nobis iecit, angelos ministros fecit, denique dominos sabbathi constituit. Sanctè ergo eis creaturis ad Dei gloriam vtamur, in Deo semper sperantes, iuxta hunc rithmum:

Opera iustorum
fidelium iustitia
mercede
donabuntur.

Locutio propheta
metaphorica quid
exprimat.

In se-

In solum Deum creatorem spera,
Creatura eius vivere mente syncera:
Hoc si præstas, iustificaberis,
Et ab omni malo tutus eris.

3 Tertiò, Ne quis falsa persuasione putaret se statim esse securum posse, si animo suo fiduciam aliquam de Deo concepisset, docet Propheta non esse humani iudicij, ea de re pronuntiare. Est enim cor hominis prauum, & inscrutabile, non natura sua: creauit enim Deus hominem rectum, vt voluntas Deo in omnibus obediret, nec à seipsa dissentiret: sed vitio primi peccati, quo tota est læsa natura: cordis illa prauitas accessit, adeoque excreuit, vt ipsi etiam homini sibi subinde parum notus sit animus: vnde exclamant sancti; Ab occultis meis munda me Domine, Psalm. 18. Item: Maior est Deus corde nostro: & nouit omnia, 1. Ioan. 3. Quò fit, vt nemo sciat amore ne an odio dignus, Eccles. 9. non tam propter occultum Dei iudicium, quàm propter latentem cordis humani prauitatem: quare ineptissima est illa de speciali fide, aut certa fiducia in Deum, doctrina: debent enim fideles, iuxta Pauli doctrinam ad Philip. 3. cum timore & tremore suam ipsorum salutem operari, ex fide credere, & sperare in misericordia Dei, vt docet August. libr. 1. de prædest. sanct. cap. 11.

Neque verò propterea docemus, aut desperationem, aut dissidentiam ex verbo Dei & diuinis promissionibus certissime concipiendam: etsi enim illæ in se certissimæ sunt, proponuntur tamen sub conditione; certissima quidem est promissio de vita æterna, de remissione peccatorum; sed quæ nulli contingent, nisi seruantibus mandata, sicut innumeris locis docent scripturæ, Matth. 9. 11. Ioan. 4. Zachar. 11. Ioan. 10. Quare rectè docemus, fide ac spe animum esse ad Deum erigendum, credendum verbo Dei, sperandū in multitudine misericordiæ nominis eius, virtutibus animum excolendum: atqui nunquam præsumendum. Si enim Apostolus qui nullius sibi conscius erat, in hoc tamen non audebat se iustificatum præsumere, nec seipsum iudicare (qui enim iudicat me, Dominus est, inquit, 1. Corinth. 4.) multò minus certò nobis est præsumendum, cum cordis nostri latebras inuestigare nequeamus: quod Propheta fraudulentum, ac sua quærens, meticulosum, & desperandum vocat. Siquidem solus Dominus est qui probat corda & renes, cui omnia patent, qui lux est, habitans ignem inaccessum, & reddit vnique secundum viam adinventionum suarum; hoc est, iuxta opera sua, 1. Corinth. 4. 2. Cor. 5. Quia enim fons humanarum operationum, authore Christo, Matth. 15.

Cor hominis
prauum non
natura, sed
vicio primi
parentis.

Fideles cum
timore et tre-
more salutem
suam operari
debent.

Fide & spe
animus ad
Deum erigen-
dus.

Dominus so-
lus probat cor-
da & renes.
Apoc. 2.
Psal. 7.
1. Reg. 16.

est

est cor pronum ad malum ab adolescentia sua, Genes. 6. & renes impudicitiae fomitem subministrant: ostendit Propheta mala esse ea omnia quae ex his duobus proficiscuntur: ac proinde iudicio Dei obnoxia, nisi gratia remissionis deleantur.

EPILOGVS.

Tritum est prouerbum: Qui bene confidit Domino, bene mentia struxit. Exemplum huius rei est David, de cuius fiducia habes, Psal. 7. 10. 12. 24. 30. 37. 51. 54. 55. 56. 50. 61. 70. 72. 90. 118. 140. 141. Contrarium est qui fiduciam suam in homine ponit, perit. Nam vana fiducia est edificare in arena, in viti baculo arundineo. vtrumque in presenti lectione declaratur. Melius est itaque sperare in Domino, quam in principibus, quia Dominus est protector noster, Domini est salus Dominus est fortitudo pauperi. spes à turbine, umbra culum ab aestu, Isa. 25. Nolite confidere in principibus. & in filiis hominum in quibus non est salus. Praterdè etiam hic admonemur, Deum nos nihil in cordibus nostris calare posse, Eccl. 1. 5. Psal. 33. Hebr. 4.

Wie op Godt
berouet / die
heeft wel ge-
uoort.

Psal. 117.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE
SECUNDAE, EVANGELIYM.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso. &c. Finis Evangelij. Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Luc. 16.

QVINTA sic comparatum esse videmus, vt ex praesentium rerum felicitate, aut inopia aestimare soleant homines futuram conditionem, vt scilicet omnes diuites beatos, contra, omnes pauperes miseros & irae filios reputent, iuxta Psal. 146. sententiam: Beatum dixerunt populum cui haec sunt: ostendit hoc Evangelio Christus, ex praesentibus rebus futuram conditionem non esse metiendam. Nam beatus populus, cuius Dominus Deus eius, Psal. supra citato: sed qui in felicitatem aeternam contendunt, hic non delitiis indulgere, sed afflictionibus corpus suum domare debent. Proponit itaque quatuor.

Rebus ex praesentibus futura conditio non metienda.

1. Primò, Duorum hominum & vitam & mores dispares, nempe, diuitis affectu, vt qui diuitias concupisceret & diues vocari affectaret, magni nominis apud homines, apud Deum verò obscuri & ignoti quantum ad approbationem. Psal. 15. Math. 7. & 25. Indignus enim fuit qui cum iustis scriberetur, Psal. 68. quorum nomina sunt in libro vitae, Philip. 4. Apocal. 3. 20 & 21. cuius vita in maxima rerum omnium felicitate & luxu constituta erat. Summa: Totus dissolutus erat, & superfluis in victu & vestitu, nam induebatur quotidie purpura & bysso, quum tamen vestium affluen-

tiam

tiam Dominus primū condemnauerit, quando Adamū pellibus induit, Genes. 3. & præterea omnibus deliciis vacabat, ambitioni deseruiens & voluptati. Is enim erat diuitis huius superbi affectus, vt ex fruitione opum, quasi supremā felicitatem mereiretur, non habens aliquam in vestitu personæ, conditionis, dignitatisque rationem: siquidem vestium vsus à natura concessus, necessitari & conditioni pro vtilitate reipublicæ, non luxui seruire debet. Alia enim Regi, Principi, Duci, Senatori, priuato, plebeioque vestis cōuenit. Publicos enim reſtores decet dignitatem, quam ex Dei vocatione sustinent, tueri; quæ ratio in priuatis hominibus locū non habet. Quantū ad Principes attinet, ait Christus, Luc. 7. Ecce qui in veste præiosa sunt & deliciis, in domibus regū sunt. Quantum verò ad priuatos, dicitur Eccles. 11. In vestitu ne gloriaris vnquam. Et Paulus, 1. Tim. 2. Similiter mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste præiosa: sed quod decet mulieres, promittētes pietatem per opera bona. idem ad Tit. 2. Anus similiter in habitu sancto: Diuus quoque Petrus 1. canonic. 3. cap. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. August. Non affectetis vestibus placere, sed moribus. Nam Bernardus ait: Ex cordis thesauro procedit, quicquid vitiorum foris apparet. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori; exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est: mollia indumenta, mollietiam animi indicant. Hinc Isa. 3. comminatur Dominus d. Pro eo quod eleuatae sunt filiae Sion, & ambulauerunt extenso collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decalua-bit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus carnem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mittas, & discriminalia, & periscelides, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus & specula, & sindones, & vittas, & teristra. Et erit pro suauis odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. Iterum Sophon. 1. Visitabo super principes, & super filios Regum, & super omnes qui induti sunt veste peregrina.

*Vestium vsus
luxui seruire
non debet.*

*Indumenta
mollia, molli-
tatem animi
inducant.*

*Vsu vestium
damnatur, sed
abusus.*

Damnatur ergo in hoc diuite, non rerum vsus, sed turpis abusus. Siquidem non contentus vestium deliciis, addidit gulae cupedias, quibus & effrenem & lasciuā concupiscentiā, satis

fatis per se in omnem libidinem irruentem, prouocaret. Nam epulabatur quotidie splendide, magnifice, & delicate, & ambitioni seruiens, & luxui, & voluptati. Quasi dicat: cum diuitiarum comes sit luxus, huic Deus venter erat, hunc coluit iuxta Isa. 5. cithara, lyra, tympano, tibia, & vino, contra admonitionem Sapientis, Eccl. 37. Noli auidus esse in omni epulatione, &c. Christi, Luc. 21. Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, &c. & Pauli, Rom. 13. Carnis curam ne feceritis. Non ergo satis illi erat cibari. Si tantum diebus quibusdā (vt Assuero, Hesther 1: & filiis Iob, Iob 1: & Abraham in die ablactationis Isaac, licuit) excusabilis fuisset. Porro superabundantibus epulis, pauperibus fame morientibus, quotidie genio suo indulgebat. At verò B. Hieronymus parte, 2. tract. epist. 24. de statu viduali, docet abstinentiam à cibis delicatioribus carnem domare. Et Tertul. quoque in Psychicos, ciborum redundantiam Israëhtis nocuisse ex lib. Numer. cap. 11. Exod. 32. & Deut. 32. testatur.

Comes diuitiarū luxus.

Notandum tamen hic, quòd diuitiæ, vestes, epulæ, per se neque bonæ neque malæ sunt; sed vt sint bonæ, pius vsus facit: vt malæ sint, abusus in causa est. Multi ex piis & Deo dilectis diuites fuerunt, vt Iob, Abraham, Loth, Isaac, Iacob, quibus adeò non obfuerunt diuitiæ, vt & honori facerint. Multi quoque ex piis splendide fuere vestiti, vt Ioseph, Dauid, Salomon, Hesther, Iudith, qui tamen perinde Deo placuerunt. Sic etiam splendide vixerunt sanctorum nonnulli, vt idem Dauid, item Salomon, atque adeò ipse Christus, quem propterea hominem voratorem & vini potatorem Pharisei vocarunt. Ita nimirum nihil obfuisse huic diuiti diuitiæ eius, vestimenta item & splendida epulæ, si (vt illi) pius vsus adhibuisset. Verum quia omnia rapuit in abusum & immisericordiam, idcirco iure damnatur. Sibi vni iis inseruiuit, voluptatem in iis quæsiuit, felicitatem in iis collocauit; quod damnatione & reiectione dignum erat. Nam diuitiis suis debebat succurrisse pauperi Lazaro, vestium splendore illius nuditatem texisse; immoderata crapula illius efuriem leniisse. In hunc finem contigerant ipsi diuitiæ, vestium abundantia, exquisita edulia. At quando huic fini satisfacere neglexit, contrarium tandem experiri coactus est.

Pauperis vitam & mores dicit fuisse in summa rerum omnium indigentia: nam huic nec domus erat, nec cibus, nec vestis, ac ne corporis quidem prospera valetudo. Ex opposito diuitis iste statuitur. Contraria enim iuxta se posita magis elucescunt. Tum quod & in illum misericordiam conferre potuisset. Iacebat ad ianuam diuitis vlceribus plenus, vt & Iob qui testa saniem radebat, Iob 1. bis miser, non admissus est hulce-

rosus intra sumptuosas ædes, ne funesto spectaculo contristaret oculos vadequaque lauti conuiuij. *Iacebat* (inquit) *ad ianuam diuitis*, ne diues diceret: non vidi, in angulo fuit, aspicere non potui, nemo mihi nuntiabat. Videbat illū & exiēs, & reuertens. Chrysoſt. Deinde vt crudelitatem diuitis in ſuo corpore demonſtraret, ad ianuam erat. Item iacebat, vt qui ſtare non poſſet, adeo morbo infirmum illius corpus obruebatur. Acceſſit ad miſeriæ cumulum famies intolerabile malum. Siquidem minima petiit, *cupiens ſaturari de micis que caderent de menſa diuitis*: Non ferculis opiparis, non panibus integris, ſed catellorum in morem (Matth. 15.) micis è menſa cadentibus, & pedibus accumbentium ſubiacentibus. Imò tantum cupiebat, non clamore ſaſtidiſo requirebat. Et ſaturari optabat, qui tamen vlceribus vndique ſca-tebat, quod illum famies grauius quàm infirmitas torque-ret. ſed non erat qui daret, cum canes illic eſſent panibus ſaturi. Neque enim ſerui diuitis domino ſuo mitiores erant. Sed & qui ſatur eſt, pleno laudat ieiunia ventre. Secundum enim iudicē populi, ſic & miniſtri eius, Eccleſ. 10. Et rex impius, omnes miniſtros habet impios, Prouer. 29. Immifericordiam hominum damnabant canes: Nam huius hulcera linge-bant. Contra quos intonat Ambroſius d. Diuites adeo ſunt propriæ conditionis immemores, vt pauperem irrideant, inſultent egenti, & quorum miſereri de-cet, ab his ſi quid habent, auferant. Item: Auis ſociatur auibus, pecus pecoribus, piſcis piſcibus; ſolus tu homo confortem excludis, & feras includis; parietem veſtis auro, & pauperes nudas veſtimento: pauper panem petit, & non accipit, & equus tuus aurū ſub dentibus mandit, Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic omnis homo proximum ſibi. Alioqui qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?

Expendit Chriſtus omnes in hoc mēdico miſeriæ circumſtantias, vt doceat eum elemoſyna non abs re donandum fuiſſe. Aliqua enim huic faciundæ ratio adhibēda eſt; Primò, ne mari ipſi aquam inferre videamur, vt ad diaconiſſam Olympiadem Chryſoſt. ſcripſit. Deinde eis maximè qui mendicare erubeſcunt: non qui ventrem ad nundinationem proponūt, benefaciendum monuit Atticus Epiſcopus Conſtantinopol. Nec hi tantum à diuitibus paſcendi ſunt, qui gratiam referre poſſunt, vt docet Lactantius libr. 6. de vero cultu cap. 11. ſed & pauperes, vt tibi Deus mercedem pendat. Inſuper addit: Quid vt prandium facias, perſonas eligis, quæ tibi gratiam referre poſſunt? Quid mem-
bra

bra inspicias? Pro homine tibi habendus est, quisquis te deo precatur, quia te hominem putet. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus nisi largiari, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos retinet in vita. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit. Demum docet eum qui suis parcat in pauperes, eam tandem aut bello, igne, ingluvie, prodigalitate, aut alia fortuna perditurum.

Sed & canes veniebant & lugebant ulcera eius. Adeo si intus hominem inspicias, varia animantium genera, malitia vincit, ait Plutarchus libr. de morbis animi & corporis. Imò naturales perfectiones bruta cæteraque omnia magis quam homines obseruant. Hinc Ambrosius 3. Offic. cap. 7. feræ non expellunt feras (inquit) & homo excludit hominem: canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus?

Quod autem Christus hunc pauperem medicum, obscurum & ignotum apud homines, nomine notat, ostendere voluit eum clarum, notum & approbatum fuisse apud Deum: & quod hominibus abominandum est, hoc altum esse apud Deum. Fert autem Hebræorum traditio (ait Cyril. & Theophylact.) Lazarum quendam per illud tempus extrema inopia & infirmitate laborasse. Dicitur enim Lazarus adiutus, quia destitutus ab hominibus, sed adiutorem habuit Deum, Iaco. 2.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligētibus se? Vos autem ex honorastis pauperem, Psal. 17. Animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomē eorum coram illo. Nouit enim Dominus qui sunt eius, 2. Tim. 2. Sic nouit Moſen, Exo. 33. Sic Apostolorum nomina setipra sunt in cælis, Luc. 10. Humiles quippe Dominus nouit, atque approbat, & superbos ignorat, Prouer. 10 Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrefcet.

Hæc si quis humana solum ratione perpendat, quis non iudicabit hunc (maximè si aliquam existimet esse rerum inferiorum apud Deum prouidentiam) omnium fuisse infelicitissimum, quâdo huic mala acciderint, quasi iuxta Ecclesiast. cap. 28. opera egerit impiorum. Neque enim sola paupertatis cruce acerbissima, sed ægritudinis miseria quoque premebatur, adeo ut sicut illo diuite nemo felicior, ita hoc nemo miserior iudicari poterat. Cæterum, cum non fortuito, aut casu, sed singulari Dei Opt. Max. prouidentia & diuitibus & pauperibus suæ quæque fortes in hoc seculo

*Diuitia &
paupertas res
adiaphora.*

æquè accidant, nunquam cogitabit diues sese ob diuitias felicem, aut Deo gratum, neque pauper sese ob paupertatem à Deo desertum: sunt enim & diuitiæ & paupertas res adiaphoræ. Sola verò iustitia aut iniustitia est quæ hominè Deo conciliat, aut inimicum constituit. Vnde nec in Lazaro Dominus ipsam mendicitatem & hulcerositatè laudat, sed pium usum, nempe patientiam & fiduciam; multi vtrò mendici & hulcerosi sunt, vtpote illi qui aut ex prodigalitate, aut otio in egestatè labuntur, & ex impuris concubitibus morbos hauriunt, horum laus hic nulla est. Lazarus non suo ipsius vitio inopia & hulceribus premebatur, sed Dei voluntate in hanc fortunam peruenit; nihilo tamen minus & patiens extitit, nec in tantis malis blasphemauit, nec conuitiatus fuit, nec incessauit luxum diuitis, nec inhumanitatem diuitis cõdemnavit, sed fortis perstitit & magnæ philosophiæ, & fiduciam erga Deum immobiliter retinuit: hoc demum laude in illo dignum fuit.

Deinde hoc primo loco proponit mortem, quæ vtrunque dispar est subsecuta, nam pauperi, terminus erat omnium miseriarum, laborum, famis & cruciatuum. Hinc emphasim denotat quod non dicit, mortuus est Lazarus: nam iusti vixi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Et iustus etiam si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sed dicit: *Factum est ut moreretur mendicus*, nam mors à tantis malis cum omnino eripuit & absoluit: & qui dum viueret, nullo stipatus hominum erat satellitio, tum angelos habuit portitores, vt Abacuc, Daniel. 14. Sunt enim illi spiritus administratorij, &c. Hebr. 1. At diuiti finem attulit voluptatum, deliciarum, & conuiuiorum. Sic omnes vna manet nox, & calcanda semel via lethi. Nec auro & diuitiis mors remoratur & retardatur. Statutum est enim hominibus semel mori, & post hoc iudicium, Hebr. 9. quo scilicet decerneret præmia vitæ æternæ iustis, & pœnas gehennæ impiis: Iustus enim est Deus, nec potest obliuisci operis nostri: & fidelis, vt non patiar nos tentari supra id quod possumus, 1. Cor. 10. Ideo Lazarum qui magna fortitudine & patientia durum paupertatis telum sine inuidia superaauerat (laudabilis enim paupertas cum timore Dei, Prouerb. 15.) vt quia socius passionis fuerat, esset & consolationis: Si enim cõpatimur, & conregnabimus: & diuitem imitem, superbum, omnibus voluptatum illecebris disfluentem, sperantem in incerto diuitiarum, impium, securum, quasi iustorum opera habentem, cum duceret in bonis dies suos, tenentè tympanū & citharā, ex hac vita euocat (mors enim omnium cõmunis, solum docet diuites hoc, quod homines sunt quemadmodum cæteri (sel

Paupertas laudabilis cū timore Dei.

ita vt illum ab angelis deferri iuberet in sinum Abrahamæ, qui ante passionem Domini limbus erat, vbi electi ante aduentum Christi erant, ab Abraham sic dictus, quia ipse à fide sua commendatus est, vnde & multarum gentium, id est, fidelium pater nuncupatus est; & quia ipsi benedictio repromissa est: sunt enim iustorum animæ in manu Dei, vt non tangat illos tormentum mortis, Sap. 3. Nam oculi Domini super hunc metuentem Deum, vt erueret à morte animam eius, & aleret eum in fame, Psal. 32. Custodit enim ossa eorum, vt vnum ex iis non conteratur, Psalm. 33. Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, Psal. 115. Hoc honore dignatus est eum Deus, quæ diues non dignabatur tecto suo. Beati ergo mortui qui in Domino moriuntur, Apoc. 14: Et vt hunc mortuum & sepultum, nimirum cum pompa, qualis in funeralibus diuitum adhiberi solet, atque in inferno constitutum, horrenda illa statim subsequerentur tormenta: Iudicium enim sine misericordia illum decebat, qui non fecerat misericordiam cum proximo suo, Iac. 2. Competit enim huic illud Eccles. 8. Vidi impios sepultos, qui cum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum sectatores fuissent. Item illud Pauli, 1. Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueos diaboli, & desideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Hinc grauitur intonat D. Cyprianus serm. 1. de elemosyna. Quid (inquit) diuitiis tuis solus incubas? Quid in poenam tuam matrimonij pondus exaggeras, vt quo locupletior fueris seculo, pauperior Deo fias? Erras & falleris, quisquis te in seculo diuitem credis. Audi in Apocalypsi Domini tui vocem, Apoc. 3. Dicis (inquit) diues sum & ditatus sum, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus es. Audiamus etiã quid Chrysost. libr. 2. de reparatione lapsi, te instruat. Quid profuit illis qui in luxuria corporis & presentis vitæ voluptatibus vsque ad diem vltimum permanferunt? Intuere nunc sepulchra eorum, & intuere si est aliquid in eis iactantiæ sue vestigium: si aliqua diuitiarum vel luxuriæ signa cognoueris. Requiere nunc vbi vestes & ornamenta peregrina, vbi spectaculorum voluptas, vbi asseclarum turbæ: conuiuiorum cessit opulencia, risus, iocus, & immoderata atque effrenata lætitia. Quò abiit? Quò recessit? Vbi nunc illa, & vbi ipsi? Quis finis vtrorumque? Intuere diligentius, & accede propius ad singulorum sepulchra; vide cineres solos, & scædas carnes, vermiumque reliquias, & recordare hunc esse corporum finem etiam si in delitiis & lætitia transegerint vitam. Nunc autem conuerte oculos tuos ab his cineribus & sepul-

Sinus Abrahamæ quis, vide Tertullianum, libr. 4. contra Marcionem. D. Hilarium in Psal. 110. Ambros. de obitu Valentiniani. Mors sanctorum pretiosa in conspectu Dei.

chris, & reuoca cogitationem tuam ad illud diuini iudicij tribunal horrendum, quod ardens fluius flammis ambit fluentis, vbi fletus & stridor dentium. Recordare parabolam Lazari & diuitis illius qui opum tantarum dominus, qui purpura indutus & bysso, mortuus est & sepultus in inferno, & ne vnam quidem guttam aquæ inuenire potuit. Hæc D. Chrysof. Quid igitur diuites mortem non aduertunt, vt ab auaritia & crudelitate temperent?

2. Secundò, hisce duobus exēplis cum docuisset rebus presentibus sic esse vtendum, vt in vsum pauperū nobis eas esse collatas agnosceremus: ac proinde bonorum operum mercedem esse repositam vitam æternam, sicut ex ipsorū neglectu diuiti huic est reddita æterna damnatio, tanquam auaritiæ, luxuriæ, gulæ & libidinis stipe dium: sicut & Lazaro est (licet ex gratia) merito bonorum operum, scilicet patientiæ, longanimitatis, fidei, obedientiæ, tolerantæ atque passionum, reddita vita æterna, contra eorum sententiam, qui alicuius meriti esse negant opera bona: Cæterum ex iis quæ amborū mortem sunt subsecuta, apertissimè animæ immortalitatem conuincit, contra insanos eorum errores, qui putant omnia morte deleri; de quibus Salomon, Sap. 2. agit.

Anima immortalitas conuincitur.

Mors mala sequi non potest, vbi bona vita præcessit.

Sepultura conditio & pompa exequiarum, magis sunt solatia viuorū quàm subsidia mortuorū.

Proinde cum (vt inquit August.) nihil faciat malam mortem, nisi quod sequitur mortem: nec mala mors sequi potest, vbi bona vita præcessit, sermone 24. de verbis Domini; ergo splendida sepultura diuitis, nihil superbo diuiti contulit ad salutem; siquidem curatio funeris (inquit Augustinus) conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt solatia viuorum, quàm subsidia mortuorum. Si enim aliquid prodest impio sepultura pretiosa; oberit pio vilis aut nulla, August. lib. 1. de Ciuitat. Dei, cap. 12. Et abiecta sepultura pauperis, nihil inopi Lazaro obfuit. Licet enim humana deessent exequiarum seu parentalium subsidia, aderant tamen angelica ministeria, quo vel solo argumento, eorum respondere possumus errori, qui negligenda fidelium corpora putant. Sunt enim fidelium in Christo dormientium corpora sancta, propterea quòd Spiritus sancti ea inhabitantis fuerint organa, ac proinde non negligenda; maximè verò propter spem resurrectionis, de qua diffusè agit Paulus, Act. 17. & 1. Cor. 15. Siquidem, vt idem inquit August. omnes illæ scripturarum auctoritates, quibus sepulturæ cura commendatur, non hoc admonent, quòd vllus insit sensus cadaueribus, sed ad Dei prouidentiam, cui talia placent etiam pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam, lib. 1. de Ciuitat. Dei, cap. 12. Item cap. 3. lib. de Cura pro mortuis,

3 Tertiò, Dialogismo, quo seram huius diuitis pœnitentiã describit, petentis ab Abrahamo sibi misereri, cū nec sui nec aliorū misertus fuerit: Lazarū ad se mitti, quem cū in delictis suis viueret, despexit; aquę gutta refrigerari, eò quòd ob gulosam edacitatem & vanam loquacitatem, in lingua grauius arderet; & flãmæ cruciatu liberari, quia vltices flammæ miserè totum torfere optimis quibuscunque voluptatibus assuetum: ostendit Christus illud esse verissimū quod habetur Eccli. 14. ante obitum operandam esse iustitiam, quoniã non est apud inferos inuenire cibum. Irrita enim ea omnis est pœnitentia, quæ mortem sequitur secūdam, Sap. 5. Derogat enim iustitiæ & æquitati diuinæ, quisquis damnatis suam prodesse posse pœnitentiam credit, aut pro ipsis Deo supplicat. hinc D. Hieronymus ait: Si constaret patrem aut matrè detineri in inferno, non plus orarem pro eis quàm pro diabolo. Neque tamen propterea irritas esse quis opinetur Ecclesiæ preces, quas illa quotidie Deò pro defunctis certa fide effundit; sed iis quos in Domino mori credit: Nam pro iis qui peccant peccato ad mortem, non orat, sed quia quoddam esse vitæ genus agnoscit non ita malū, vt iis omnino iuuari possit; pro omnibus autem orat, & sacrificiū crucis Deo patri, vt habet August. lib. 9. Confess. cap. 12. offert, occulto Dei iudicio relinquens, quibus prodesse ea possint. Errat enim quisquis ex hac scriptura eneruare volet pro defunctis fidelium preces: Si quidem de eo loquitur Christus, qui peccauerat peccato ad mortem, quare & sera fuit illius pœnitentia, qualis erit eorum quæ describitur Sap. 5.

Sic enim habet textus: *Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.* Vt enim Dominus Adam è regione paradisi statuerat, vt vnde cecidisset videret, sic & illum condemnauit in cōspectu Lazari, vt eum videns torqueretur, ait Theophylactus. Liberos in tormētis oculos habet, vt talpæ in morte, qui dū delitaretur, eos clauserat. *Et ipse clamans dixit: Pater Abraham.* Clamore contestans angustiam tormentorum. Nec rogat Lazarum, eum suo scilicet meritorum pedè, vindicem cum putans, si malorum prius sibi ab eo illatorum reminiscatur. At ad Abraham erigitur, vt cuius se antea filium in Iudæorum morem, Ioan. 8. ostentaret. Abraham patrem vocabat à quo maximè desciuerat: fuerat enim ille charitatiuus, hic crudelis: ille sedens ante fores venabatur trāscentes, & in domum propriam ingerebat, hic verò intus manētes auertebar. *Miserere mei,* inquit, misericordiam quærit, qui misereri noluit. Sed iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam, Iac. 2: & qui obturat aurem suam ne audiat clamorem pauperū, clamabit

Iustitia ante obitum operandam.

Ecclesia preces defunctis piis profunt.

ipse, & non exaudietur. Et mitte Lazarum ut intingat extremū digitū sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Id est, mitte Lazarum, ut me paulillo sui auxiliij releuet, & hæc mihi tormēta mitiget. Priuatio quippe bonorum, flamma perurens est, quæ guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus sancti affluunt & abundant, ad consolationem desiderat, & non adipiscitur, ait Gregor. Nyssen. li. de anima & resurrect. Hoc est ergo, quasi Abraham oret, ut propter Lazari merita subleuetur, quem habet charissimum. Per digitum ergo, minimum auxilium & meritum Lazari: per guttam aquæ, paulillum consolationis: per linguam arentem & sitientem, torturam qua languebat diues, exprimit. Inter omnes corporis partes, magis os & lingua diuitis epulonis pœnas dedit, ait Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium; quia plus scilicet lingua sua, & ore peccauerat. Ceterum se cruciari dicit in flamma: ignis enim, sulphur, & spiritus proceliarum, pars calicis damnatorum. Atque ut affectiones corporis contingunt spiritum, quamdiu corpori ille vnitus est, adeo ut tristeretur de malis corporis, & illi compatiatur: sic & anima pœnis infernalibus afficitur. Atque ut Salamādra igne non corrumpitur, nec interit, etsi in eo viuat: ita nec deperit anima aut corrumpitur igne infernali, etsi eo perpetuo crucietur.

Cruciabitur ergo post mortem, qui carnem suam cum vitis & concupiscentiis nō crucifixerit, ut scilicet agat dignos pœnitentiæ fructus; huius enim vermis non morietur, & ignis non extinguetur, Isai. 66. Vindicta carnis impij, ignis & vermis, Eccles. 7. Contrā verò Lazarus, id est, fidelis quilibet iustificatus ex fide pacem habet, nactus oleum gaudij pro luctu, & palliū laudis pro spiritu mœroris, ut est Isa. 61. Et illud Isai. 65. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibēt, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Quod autem eleuans oculos diues videt Abraham à longè, Christus cognitionem exprimit, quam animæ corporibus exuta etiam damnatorum habituræ sunt. Hinc enim discimus (ait Buthymius cap. 59. in Lucam) quod in futuro seculo, non solum peccatores vident iustos, & iusti peccatores, sed & agnoscunt: & peccatores quidem iustorum vidēt fructiones, quo magis his priuati doleant: iusti autem vidēt supplicia, quo amplius gaudeant, intuentes quanta effugerint tormenta. Cyrillus quoque l. 9. in Leuit. Hic locus, inquit, quo & diues Lazarum vidisse, etiam tanto chao interposito, & Abraham eius orationem audiisse refertur, manifestam

eorum

eorum cognitionem, quæ ad nos pertinent, in separatis animabus clarè ostendit: & tantam quidem, quanta sufficit ad beatitudinem aut miseriam pro qualitate suorum operum statuendam. Quòd si id datur damnatis, cur non & sanctis? Si tam perspicax & visus diuiti, & auditus Abraham nondum celo donato: num sancti (Deo dante) & nostras necessitates & nos orantes audire possunt? Si enim Heliseus absens vidit Giezi & talenta & mutatoria vestimentorū à Naaman accepisse, 4. Reg. 5. quāto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam vnde sunt corpore absentes. Siquidem (vt Iustinus Martyr 4. ad Orthod. 76. ait) vident animæ tum seipsas, vbi corporibus exutæ fuerint, tum ea quæ sub ipsis sunt, & præterea & angelos & dæmones. D. August. tom. 8. enarrat. in Psal. 108. colligit mortuos rescire quid fiat circa viuos, pro ratione aut illorum pœnæ aut gloriæ. Sed vnde hoc resciant determinat libr. de cura pro mort. agenda, cap. 15: & tom. 3. lib. de spiritu & anima, cap. 29. Possunt enim (ait) & ab angelis, qui rebus quæ hic aguntur, præsto sunt, aliquid audire mortui. Nisi enim essent angeli qui possint interesse & viuorum & mortuorum locis, non dixisset Dominus Iesus: Contigit autem mori inopem, & ferri ab angelis. Possunt & rescire spiritu Dei reuelante, quemadmodum & Prophetæ absentia cognouerunt.

4. Quartò, Responzione Abraham solatium & refrigerium negantis diuiti, etiam pro fratribus deprecanti, ostendit viuos non egere pro vitæ suæ ratione instituenda, aut reuelationibus, aut apparitionibus spirituum, cum præsertim hoc ipsum Dominus quoque peculiariter vetuerit, Deu. 18. Non inueniatur, inquiens, qui consulat pythones & diuinos, & quærat à mortuis veritatem: habemus enim, vt inquit Petrus, firmiorem propheticum sermonem, cui benefacimus attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, 1. Pet. 1. Nunquid enim populus visionem requireret pro viuis à mortuis? Ad legem & testimonium respiciendum monet Isaias cap. 8. Nam qui admonitionibus scripturæ non crediderit, nec mortuorum reuelationi credet, cum ea plerunque incerta sit & fallax: siquidem angelus sathanæ subinde sese transfiguratur in angelum lucis. 2. Cor. 11. Non enim cuiuslibet, sed ex singulari Spiritus sancti dono datur discretio spirituum: si enim hæc ansa præberetur dæmoni, nescio quem non fidelium ille facilè in suam nassam pertraheret. Proinde quisquis Mosen & Prophetas non audierit, sed pertinaci animositate resistere verbo Dei peccando etiam contra conscientiam, perrexerit; huic certè nullæ spirituum re-

Veritas à mortuis non querenda.

Discretio spirituum singulare Dei donum.

uelationes proderunt, nisi ad maiorem obdurationem; vt videns non videat, & audiens non intelligat. hinc Iudæi scripturas de Christo audientes, etiam mortuis resurgentibus non crediderunt: nam Lazarum fratrem Marthæ occidere voluerunt, Ioan. 12. Sic enim textus habet: *Dixit illi Abraham: Fili, Duabus rationibus Abraham eum filium vocat; Primo, vt in se doceat, nec electorum, nec Dei esse perditionem & ruinam impiorum. Nam Esa. 33. Angeli pacis amarè flebunt super condemnatione reprobatorum: & virtutes calorū mouebuntur, Matth. 24: illis que electi, imò & Christus ipse compatietur, sicut & Matth. 23. indicauit: Quoties volui congregare filios tuos o Hierusalē &c. exclamans: & Luc. 19. super Hierusalē fleuit. Perditio igitur nostra nec ex Abraham est, quum nos semper paterno psequatur affectu: nec ab electis, nec à Deo, cum diligit omnia quæ sunt, & nihil oderit eorū quæ fecit, Sap. 11. Ideo quoq; filium vocat, ne videatur abdicare patris nomē quasi durior & feuerior, quo eū epulo euocarat. Nulla enim feueritas, sed neq; vindicta est electis. Secundò, Filiū vocat, vt saltem nunc ad reatus sui agnitionem deducat, eum in sortem electorum, id est, fidelium Abrahamæ filiorū vocatus fuerit, à qua tamen sponte & propria malitia exciderit. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Duplici ratione respondet fieri non posse, vt è Lazaro auxilium habeat. Primò quidem quod hæc sit rerum vicissitudo, vt qui hoc in seculo bona receperit, mala tandem assequatur. q. d. Christus: Memēto te toto cordis affectu terrena profecutum esse, in his oblectatum, eaque tibi nihil ad cælestia attendenti, porrecta: hunc verò quod terrena cōtemneret, mala fortunæ & corporis habuisse, adeò vt verè pauper spiritu fuerit, Matth. 5. Proinde consolatur hic, tu verò cruciaris. Gregor. Nyssen. lib. de beatitud. Conclufisti, inquit, simul in munimentis diuitiarum misericordiam, & reliquisti super terram miserendū affectum. Non portasti ad hoc seculum humanitatem. Non habes quod non habuisti, non inuenis quod non deposuisti, non colligis quod non disperdisti, non metes quod non seminasti. Acerbitatē seminasti, collige manipulos: coluisti immisericordiam, habe quod dilexisti. Non aspexisti quenquam condolenter, non aspicias cum miseratione. Sic tristitia conuertitur in gaudium Lazaro, & gaudium in tristitiam diuiti.*

Secundò, quod chaos inter vtrumque positum hanc opem impediatur. *Et in his omnibus magnum chaos inter nos & vos firmatū est, vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire.* Quia similitudine à chaos sumpta, quo loca distinguuntur sic ab inuicem, vt ab vno ad alium pertingi nequeat, docet impossibile

sibile esse damnatis statum & meritum mutare, vt interpretatur Gregor. Nyssen. lib. de anima & resurrect. Nam qui semel, ait idem Gregor. quicquid in hac vita suaue ac iucundum est elegit, nec pœnitentia ductus, stolidum ac temerariũ suum consiliũ corrigat & emēdat, inaccessum atq; inuium sibi locum bonorũ posthac efficit, quum hanc inuitabilem, quæ transiri non possit, necessitatem, tanquã barathrũ quoddam vastum & inuium, qua transiri non possit, aduersus sese perfoderit. In inferno enim nulla est redemptio. Sancti verò cum se diuinæ iustitię conforment, & si quidē cõpati queãt, non tamen sollicitare iam æternis adiudicatos suppliciiis. Militat hic locus (teste Theophyl. in Lucã) contra Origenistas, dicentes: quod tēpus erit quo finientur impiorũ supplicia, & peccatores iustis coniungentur: quodque sic omnia in omnib⁹ erit Deus. Ecce enim audimus Abrahã dicēte, quod hi qui volunt hinc ad vos, vel illinc ad nos trãfire, nõ possunt. Sicut igitur impossibile est, ex cõsortio iustorum quempiam trãfire in locum peccatorum: ita impossibile est, vt nos docet Abraham, transire à loco pœnæ, in locum iustorum.

Rogo te pater, ait, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis: ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Non alium mitti postulat quã Lazarum, vt eum gloria & incolumitate videant coronatum, quem viderant ante despectũ: & proinde rerum vicissitudines ediscant, & qui testes fuerũt paupertatis ipsius, fiant etiam gloriæ spectatores. De rebus ergo suis miser ille desperans, pro aliis supplicat. Caterum non ex charitate huius oratio profecta est, sed maioris pœnæ timore, ne si veniret in idẽ supplicium, ex focierate mœror, suspiria, & tristitia augeãtur. Discimus etiã ex hoc loco à minori ad maius, sanctos viuus patrocinari. Nam si iste in inferno pro suis orat, quantò magis & orare poterunt electi, & orabunt, qui perfectissima fulgent charitate.

Ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Quibus verbis docet, Deum nunquã hominem destituisse præceptoribus, & his qui ad veritatis viam eum reducere possent. Proinde nec ex inferis expectandos mortuos, vt præmissum est, cum per homines etiam nunc Deus loquatur.

At ille dixit: Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent. Fratres suo metitur pede. Scit quã despexit Moysen & Prophetas: idem vitium fratribus familiare nouit, hinc ad insolitam mortuorum delegationem recurrit. Sed quid ei Abraham? Si Moysen, inquit, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Nam qui illudere assueuerit patrem, ait Terent. in Adelph. tantò magis audebit cæteros. Si Moysi Dei amico, si Prophetis, per quos Deus loqui-

loquitur, non credunt, quomodo non abiicient mortuorum apparitiones, & aut phantasticas, & illusorias, aut à malignis spiritibus excitatas dicent? Hinc D. Athanasius quæst. 13. ad Antiochum rationem reddit, cur Deus non permiserit aliquoties animam alicuius defuncti ad nos redire, & enarrare qualisnam rerum apud inferos status sit & necessitas. Multi enim apud nos (inquit) inde errores orientur. Multi enim dæmones formas humanas induere, & in hominum de mortuorum figuras transformari potuissent, ac dicere à mortuis sese resurrexisse; atque inde multa falsa dogmata ementiri de his quæ ibi fiunt; idque ad seducendum nos & perducendum. Eadem fermè verba sunt Tertulliani lib. de anima.

Vtuntur aduersarij hoc loco velut robustissimo ariete, quo putant sese inconcussam catholicæ Ecclesiæ doctrinam deiicere posse, quæ docet, sanctum esse & salubre pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: sublatis enim, inquit, apparitionibus vanis spirituum, intercidant necesse est papisticæ vigiliæ, preces, oblationes, sacrificia, ac denique quæstus omnis sacrificulorum. Quasi verò hæc sanctissima fidei doctrina, imaginariis, & falsis, ac dæmoniis niteretur apparitionibus, ac non potius solido Dei verbo, Apostolorum prædicationi, veteris Ecclesiæ authoritati & consuetudini. Apparitiones tamen spirituum humanorum è corporibus defunctorum Dei permisso quandoque fieri credit Ecclesia Christi, vt videre est apud Augustinum li. de cura pro mortuis, cap. 11. lib. de spiritu & anima, cap. 29. vbi docet has per diuinam potentiam quandoque certis de causis fieri. vide etiam lib. 12. de Genesi ad litteram, cap. 13. 1. Reg. 28. Eccles. 46. Discant ergo hîc diuites nec superbire, nec diuitiis abuti, sed pauperibus succurrere, & æquo animo aduersa ferre. Proinde etiã & nos omnes scripturæ, & patribus adhæreamus, nec miracula expectemus. Alioquin si nec Mosi nec Prophetis credimus; si nec attendimus vt fratrum indigorum misereamur, idem vtiq; nobis quod misero isti epuloni, contingeret: idem quod fratribus suis metuit. Ne igitur quenquam nostrum huius seculi delitiæ & diuitiæ, ne honores & dignitates sic exæcent, vt non scripturas & verbi Dei præcones audiat, & inopum misereatur.

EPILOGVS.

Historiam potius quàm parabolam doctores præsens tradunt Euangeliũ, præsertim B. Ambrosiu, in quo docetur, quid de futuro seculo nobis polliceamur, nempe hoc, quod Athanasius dicit: Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum, Ioan. 5. Insuper adumbrat finem inclementium, grandèque voluptuosos manere supplicium: iuxtaque eorum finem qui in hoc

Apparitiones
spirituum ali-
quando fieri
credis Escla-
sia.

hoc seculo in patientia dura quaque sustinent. Scopus est atque descriptio salutis & condemnationis: salutis pauperum & afflictorum, qua semiseri quicunq; fideles consolari possunt, item iudicij, quo Epicurei ad penitentiam (si qui electi sint) deterri queant. Praemonetur ergo diues, & securus redditur pauper, utrumque fecit Dominus, ait Salomon, Prouerb. 22. Vterque homo mortalis, eiusdem limi, eiusdem natura, sed non eiusdem vita, neque item eiusdem meriti, teste Augustino. Sed hic vides iustum iudicem utrumque pro merito iudicare. Hoc exemplo Dominus consolatus est suos, qui propter amorem regni caelestis multas afflictiones perpeffuri erant in mundo: & Iudaeorum primores & discipulos, ac sibi viuentes, territat. ut vel metu supplicij vitam impiam corrigant: alioqui futurum, ut illic vicissim rideantur, qui hic Iesum ad meliora vocantem miserunt, Prouerb. 1.

Consolantur
pñ, & terrentur
impj.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE SECVNDARAE QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Dixitque Ioseph ad eos, Audite somnium meum quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, &c. Finit Epistolæ: Hoc autem dicebat, volens cupere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

Genes. 37.

HISTORIA præsens Epistolaris ostendit quomodo Dominus Deus puerum Ioseph decreuit supra parètes eius, & fratres euehere; quod nemo poterat remorari, quia prouerbiū est: Cui Deus bene vult, huic ne quidem diabolus præualebit. Imò vt Sapiens ait, Prouerb. 21. Non est consilium contra Dominum. Item Apostolus: Si Dominus pro nobis, quis contra nos? Roman. 8. Et propriè repræsentat Christum. Vnde plura continet hæc Epistola, quàm quæ breui sermone complecti queant. primaria autem videntur esse quatuor.

I Primùm, Somnij enarratio innocenij Ioseph diuinitus reuelati, Christi, cuius typum & figurā gessit, mysteria sublimia continet: Verùm quia litera occidit, spiritus autem viuificat, altius est hæc historia quàm ad Ioseph referēda. Præfigurabat quidem hoc somnium ipsi Ioseph regnum, administrationem regiam, ac imperium totius Aegypti fore illi committendum, sed ita vt typum tantum gereret veri illius liberatoris Christi, qui non solam Aegyptum, verùm etiam Syriam, id est, gentes & Iudæos fame verbi Dei periclitantes pasceret, Rom. 15. Erexit enim Deus subinde hac fide patriarcharum animos, dum venturi Messia, id est, Christi promissionem, Abraham, Isaac, Iacob, atq; Dauidi toties proponit. Nemo autem verius totam œconomiam vitæ Christi, & mysteriorum eius expressit, quàm noster hic Ioseph, quem pater præ cæteris magis dilexit, ob probitatem & optimam indolem quæ in eo egregiè illuxerat: nam illi dedit tunicam polyimi-

Ioseph typum
& figuram
Christi gessit.

polymitam, id est, varij coloris, aliaque multa præ cæteris benevolentia signa ostendit, eò quòd eum iam senex, ex Ra- chele dilectissima suscepisset. Quibus adumbratus est vnicus ille Dei patris amor; quo filium suum Christum ab æterno dilexit, & dum venit plenitudo temporis, in mundum misit, Gala. 4. vt iuxta somnij huius interpretatione, vt est Heb. 1. esset hæres vniuersorum; adorarent eum etiam secundum humanitatem omnes angeli Dei: thronus eius esset in seculum seculi: & adorarent eum omnes reges; omnes gentes seruirent ei, per fidem nimirum & fructum bonorum operum, Psal. 71. Hæc enim adumbrarunt & manipuli & stellæ patris, matris, ac fratrum adorantes Ioseph; atque vt hæc somnij simplex enarratio causa odij erga innocentem fuit: ita prædicatio Christi Iudæis scandalum, gentibus autè stultitia, odium Christo conflauit.

I. Cor. I.

Dei ergo gratia in puero Iosepho relucens fratribus ma- lum zelum, pessimam æmulationem, capitale nimirum odiu, commouit. Accessit huc quòd & sanctus patriarcha Iacob hunc minorem natu amabilem, adeò etiam tunica ornabat pretiosiori, polymitica nimirum, per quam gratia septiformis Spiritus sancti adumbratur. Vestis illa polymitica etiã- num multorum oculos liuidos, & limos facit in Ecclesia: gratiam Dei quam debent promouere, persequuntur: quam honore afficere iubentur, dehonestant: quos immunitate donare & exornare tenentur, eos odio & nullis non molestiis & iniuriis onerant. Sic gratiam Dei in hoc mundo semper malè audire, & pessimè accipi, exemplum habemus in Christo Iesu, qui perfectionis gratia pyxis est & fons, sed nul- lam gratiam in hoc mundo habuit: imò quo gratia eius huic mundo magis illuxit, hoc huius mundi mancipia ma- iori odio inflammauit. Vsq; adeò liuor ille mundi suc- creuit, vt tandem Christum gratiosissimum cruci affigeret. S. Chrysof. super Genes. homil. 60. simultatis vitium vehe- mentissimè execratur & condemnat; nec id mirum, quo- niam & Ethnici fatentur omnium pessimum esse vitium, odium virtutum: ita tamen comparatū esse, vt virtus odium pariat: Cæterum nullam virtutem maius maleuolorum sibi odium excitare, quàm iustitiam. Nobilista ille Nydegardus, siue Dominus liuor, si quem cochleari submergere poterit, haudquaquã patinam atque paropsin acciperet. Vsq; adeò exarserunt in iram Iosephi fratres, vt iuxta textum, illi pacificè loqui non quierunt. Maledicta hæc æmulatio fraternæ gratiæ, primò sese in Cain exeruit, atque eum cõtra fratrem suum Abel inflammauit, Genes. 4. Postea in Esau contra Iacob; postea in fratribus Iephte; in fratribus Dauidis, præci-
puè

*Virtutes præ-
cipuè veritas
et iustitia in-
nise sunt huic
mundo.*

*Odiu vir-
tutū pessimū
vitium apud
Ethnicos.
Toucheur d'ap-
teguert.*

*Inuidia fra-
terna gratiæ
exempla.*

quæ in Heliab, Aminadab, & Samma, qui conuiciis insectabantur puerum, quod vidissent eum facilem esse ad expendendam & deuouendam animam suam pro gloria Dei, hocque quod erat pietatis, illi, omnia ex sese æstimantes, tribuerunt arrogantiam & temeritati, 1. Reg. 17.

2. Secundum est, Patris Iacob, erga filios in pascuis gregum occupatos cura, quos licet inuidia & maleuolentia erga innocentem cerneret laborare; noluit tamen quanquam meritos negligere, vt nec pater æternus totum mundum in maligno politum, & æternæ damnationis reum reliquit. Sed filium suum unigenitum misit in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: iustitia legis impleteretur in nobis: peccatores vocaret ad penitentiam; & ereptos de potestate tenebrarum transferret in regnum filij dilectionis sue. Sicut autem innocens hic ad fratres est missus; ita secundum humanitatem ex Iuda ortus Dominus noster, Hebr. 7. missus est ad oues quæ perierunt domus Israël, Matth. 15. Atque vt horum fratrum inexcusabilis est inuidia, qua erga innocentem exarserunt; ita & de Iudæis merito conqueritur Christus, Ioan. 15. dicens: Viderunt & oderunt me gratis: nunc excusationem non habent de peccato suo: Item, Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, Psal. 108.

Quod verò ablegatus à patre Ioseph, in agro oberrauit, mysticè significat Christum in similitudinē carnis peccati, qui dū cum publicanis & peccatoribus manducat, hominum iudicio talis censebatur, Matth. 11. potator vini, &c. Atque sic placuit Deo per stultitiā prædicationis saluos facere credentes, 1. Cor. 1. Verum ne sic quidē excusantur Iudæi: Nam vt fratres Ioseph agnouerunt, ita ipsi edocti per Moysen, Psalmos & Prophetas, agnoscere Christum potuerunt, nisi excecati propria malitia fuissent. Imò vt hi videntes Ioseph, dixerint: *Ecce somniator venit*, per hoc ludibrio eum habentes, cum hoc apud Deum & omnes sanctos eius esset summæ gloriæ verbum. Quale est quod factiosi hodie abominantur huiusmodi vocabula: Sacerdos, Presbyter, Cardinalis, Papa, Monachus, Fratricellus, &c. Addūt: *Venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, &c.* Putātes si fratrem occisum in profundam cisternam coniecissent, crimē eorū sopitum & tectum. Ita Iudæi dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum*, Matth. 21. Item clamitauerunt: *Tolle hunc, &c.* Sed quia iam iuxta Isaiam ca. 29. miscuerat eis Dominus spiritū soporis, clauserat oculos eorum, principes & prophetas eorum excæcauerat; idcirco vt hi fratres (quanquam longè horribilius) offenderunt in lapidem offensionis & petram scandali.

Cura patris Iacob erga filios.

Oberratio Ioseph quid significet.

Inuidia fratrum Ioseph.

3 Tertium est, Impiorum fratrum in innocentem inuidia, quam declararunt, vestium expoliatione, projectione in cisternam veterem, & venditione. Ex quibus præter mysteriū, inuidiæ naturam etiam prophanis hominibus execrabilem agnoscere licet, quæ nulli equè ac suo nocet auctori. Pugnat enim aduersus domestica decora, vt malit inuidus perpeti mala, quàm (vt habet Chrysostr.) proximum videre in gloria.

Inuidia ferocis.

Denique vel hinc inuidiæ ferociam videas, quod nec naturam, nec beneficium reuereatur; nam in fratrem, in eum denique qui visendi eos causa, laborem periculosum susceperat, ferociunt. *Venite, inquit, occidamus eum, & videamus quid profuerunt illi somnia sua.* Quod audiens Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiamus puerum, &c. Per quæ diuina loquitur prædestinatio. Cæterum quantum in ipso Ruben fuit, non pepercisset innocenti: solet diuina prouidentia sic salutem ex inimicis (vt canticum sacrum habet Luc. 1.) conficere. Consilia nouit frustrare impiorum Deus. Manifestam ergo hinc vides Dei prædestinationem, in hoc quod fratres Iosephi omnes vnus Ruben sententiæ acquieuerunt. Quod non suasis illis cor humanum, sed qui corde humano (vt ait Apostolus) est maior, Deus. Exemplū huiusmodi vides Act. 24. vbi Lysias Apostolum è manibus libetavit rabidorum Phariseorum: Rubenitè hodie & Lysianitè in prophanis & Ecclesiasticis tribunalibus aut aulis rari existunt. Dicat autem aulicus quispiam: Occide, & statim cæteri omnes sanguinem sitiunt. Imperet prælatus aliquis imperiosus, non crescat ille: & mox cæteri adulatorum tanquam æquissimo iudici applaudunt. Si aliquis Gamaliel adest inter tot clamosas beluas, non auditur: Bonum utique semper consilium est, humani sanguinis effusioni resistens; sæpe namq; furor & impetus deprimat & occidit eum, quem postea magno emeret. Exemplum eius est Alexander Magnus, qui vehementer luxit se Clytū occidisse suum.

Consilium Ruben, disponente rem Deo omnipotente, recipitur: Ioseph non occiditur, sed in cisternam exiccatam conicitur. Sed neq; hoc iustum, minus verò malum. Quædrat huc quod pro Murena ait Cicero: In duobus malis, cum fugiendum maius sit, leuius est eligendum. Impij primò innocentem polymiticam vestem exuunt, vt sic figura consentiat rei figuratæ: nam Christum Iudæi nudum erant cruci affixuri; texuit ergo diuina prouidentia rem eam, vt nudaretur Ioseph Christum referens. Vestem paternæ dilectionis æmuli ægrè videre poterant: eaque ipsa paternum affectum discruciare decreuerunt, adeò catenata sunt peccata: deinde nudum coniciunt in cisternam, quæ (vt textus bis repetit)

Ruben & Gamaliel ubi hodie rari.

Peccata sunt catenata.

repetit) aquam non habuit, nec aquam scilicet cōsolationis, nec aquam elementalem: statuerunt enim in cisterna ea fratrem fame enecare. D. Chrysothomus dicit, impios tale nefas animo cōcepisse, vt sic immunes essent à sanguinis effusione: tam ineffabilis est hypocrisis & cæcitas cordis humani. Sic Iudæi quoq; purabāt se à sanguinis Christi effusione puros; quòd Pilato Christum crucifigēdum tradidissent: Pilatus vicissim arbitrabatur se innocentem à sanguine iusti Christi, si eum secundum petitionem Iudæorum morti adiudicasset: adeò profundum est cor humanum. Sed ad fratrum facinus reuertamur. Viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portātes aromata & resinam & stacten in Aegyptum. Dixit ergo Iudas fratribus suis: *Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est vt venundetur Ismaëlitis, &c.* Vbi iterū vides inter duo mala minus eligibilis esse. Sed ne sic quidem iusti fuere, imò iniustissimi. Refert enim vt homo viuat: præstat enim miserè viuere quàm non viuere. At Iudæ cōsiliū etiam approbatur, puer è puteo educitur, nudus Ismaëlitis venditur: pretium quo vendebatur Ioseph, erant viginti nummi argentei, & secundum Septuaginta, aurei: pulchrum certè pretium pro tanta merce. Sic se habet ingenium prædonum; optimam prædam vilissimè vendunt. S. ergo Ioseph rex designatus à Deo, seruus abducitur, Madianitæ verò vendunt ipsum Aegyptiis. Quanti verò ipsum emerint Aegyptij, nusquā legitur. venditus contumelia afficitur in domo sui domini Putiphar: interitum maximus fit luctus in domo Iacob. Tādē verò luctus ille vertitur in gaudium: saluum enim inuenit Iacob filium suum Ioseph in Aegypto sibi & suis saluatorem.

Sic vtique, iuxta typum, Christo Dei filio lucem Euangelicam afferenti, & impia ipsorum opera arguenti Principes & Pharisei resisterunt, dicentes hoc Hier. 11. Venite mittamus lignum in panem eius, id est, morte turpissima cōdemnemus eum: eradamus eum de terra viuentium, nomen eius non memoretur amplius: Quia, Sap. 2. contrarius est operibus nostris, improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinae nostræ, &c. Hæc cogitauerunt, & errauerūt: excæcauit enim eos malitia eorum. Nam vt horum fratrum consiliū pulchrè diuina providentia elusit, ita & Iudæorum conatum de Christo perdendo: nam Ioseph dum fratres perdere nituntur, ad Aegypti gubernationem, imperij dignitatem, ac Reipublicæ conseruationem promouent; ita Christum dum perdere conantur Iudæi, efficiunt vt sit caput Ecclesiæ, iudex viuorum & mortuorum, atque princeps regum terræ.

*Ismaëlita &
Madianita
vna sunt gēs.*

*Fera pessima
inuidia.*

4 Quartum est, Fucus excogitatus humano cōsilio ad evitandam patris indignationem, dum à feris deuoratum falsè asserunt, & vestes sanguine tinctas ostentant. Atqui pater Spiritu sancto verba eius dirigente, exclamat: *Fera pessima* (inuidiam rectè intelligimus) deuorauit filium meum. Sic Iudæi, dum impio crimini prætextum quærent, Reipublicæ tranquillitatem, dicentes: Ne forte veniant Romani, & tollât locum nostrum & gentem, Ioan. 11. iuris patrocinium, nos legem habemus, & secundum legem debet mori: & legis zelû, si non esset hic homo malefactor, non tibi tradidissimus eû, Ioan. 18. intellexit totus vbique diffusus orbis per inuidiam ipsos Christum tradidisse, ac falsis eum testimoniis obruisse, atque ita in humanam Christi naturam plenitudine gratiæ & veritatis ornata æuuisse, diuinitate (quæ impassibilis est) illæsa persistente; sicut Ioseph saluo, eius tunica hædi sanguine aspersa est, vt in omnibus corpus vmbra, ac figuræ responderet veritas. Quia enim sine sanguinis effusione, Apostolo teste, fieri nõ potuit remissio (omnia nãq; mūdantur in sanguine) ideo voluit & Christus, non per sanguinẽ taurorũ aut vitulorũ, sed per propriũ introire in sancta sanctorum, Heb. 9. vt mundaret conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuẽti. Neque enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, Act. 4. Porro Ioseph veste spoliatus, & in cisterna veteri proiectus, pulchrè mysterium mortis Christi refert, qui carne spoliatus ad inferos descendit, vt liberaret eos qui in tenebris & in vmbra mortis sedebat, vt in sanguine testamẽti sui eluceret vinctos de lacu, in quo non erat aqua: quemadmodum quod Ismaëlitis venditur, adumbrat gratiam noui Testamenti à Iudæis repudiata, gentibus esse manifestatam.

*Mysterium
mortis Christi.*

EPILOGVS,

Historia hæc præfens sacrosancta profundissimum est mysterium. typum, scilicet totius vitæ Christi continens: Sed littera commemorat, vt Ioseph fratris sui fuerit inuisus præter meritũ, & vt illi mortem intenterint. Deum vero omnia melius prouidisse atque veriusse. Præcipuum mysterium est obedientia & passiois Domini nostri Iesu Christi, nobis in salutis sacramentum & exemplũ factum. Sacramentum ad fidem, exemplum ad imitationem.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE SECVNDÆ QVADRAGESIMÆ, EVANGELIVM.

*Matth. 21.
Marc. 12.
Luc. 20.
Esai. 5.
Hier. 2.*

homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & c. Finitis Euangelij: quoniam sicut prophetam eum habebant.

PHARISÆI S PROPRIA malitia ita exæcatis, vt manifestam veritatem à Christo oblatam, ipsũquẽ Messiam suum coram exhibitum, in tot & tantis miraculis euiden-

tem

tem factum (Isai. 35.) recipere nollent, Christus horrenda comminatione praedicit eorum excacationem & reprobationem, qua auferretur ab eis regnum Dei, & daretur gentibus facientibus fructum eius. De hac obstinatione, vide Roman. 11. Matth. 15. Act. 28. Agit itaque hoc Euangelio Christus quinque.

1. Primò. Conuincit Iudæos, sub metaphora hominis patrisfamilias, per quem Deum designat, qui homo dicitur per anthropopathiã, quòd & hominũ misereatur, & eos amet. Chrysoft. Hieronymus: aut quòd se humanorum membrorum similitudine (seclusa tamẽ Anthropomorphitica fictione) intelligendum præbeat. Dionysius Arcopag. libr. de diuinis nominibus, cap. 9: aut quòd filius patris verus Deus humanam formam acceperit. Hinc verbum caro factum est, Ioan. 1. & Deus homo dictus. Dicitur & idem Paterfamilias, quòd nos vt pater filios diligit. Item quòd hoc vniuersum opificium illi sit, vt familia œconomò: cum omnibus prouideat, & omnia illi gloriã referant. Maximè verò quod fideles sibi in filios desponderit. Qui plantatam vineam muniuit sepe, torculari, & tutri, id est, legis cognitione, sacrificiorum oblationibus, & angelorum custodia; innumeris erga ipsos collatis beneficiis. Vineam enim Domini Sabaoth, domus Israëli est. Isai. 4. Hier. 2. Psal. 79. Vineam hanc cum sepe & torculari perfringere & supplantare piculum erat: pseudopropheta habebatur, morti adiudicabatur, Deut. 13. Cum enim omnes gentes demississet ingredi vias suas, vt est Act. 17. solos Iudæos misericorditer de fornace ferrea, & domo seruitutis, scilicet Aegypto, duce Mose, variis portentis, magna Aegyptiorum clade, per mare rubrum, per desertum, caelesti alimonia pastos in opimam promissionis terrã, fluentem lac & mel, deduxit. Et quanquam illos aliquando tradidit in hostium manus, tamen rursus liberauit eos: Quibus ne quid ad felicẽ Rempubicam deesset, dedit duces, principes atque reges, qui viribus & armis externam politiam administrarent, ac hostes propellerent, ciues defenderent, religionem tuerentur, atque idololatriam prohiberent: quales fuere Moses, Iosue, Dauid, Ezechias, Iehu Iosaphat. Dedit quoque Sacerdotes, Leuitas, Ministros & Prophetas, qui sacrificiis, oblationibus, precibus ac verbi prædicatione, populum Deo reconciliarent, atque à recto aberrantem reuocarent, vt Aaron, Eleazar, Achimelech, Isaias, Hieremias, & Ezechiel; huiusmodi enim fidei colonis & ciuilibus, qui prophana tueretur, & Ecclesiasticis, qui sacrorum curam gererent, clementissimus hic paterfamilias hanc Rempubicam elocauit, quibus hoc tantum curæ erat, vt bonorum operum

Pharisæi propria malitia excacati.

Vinea Domini domus Israëli.

Reges ac Principes prophani, quare sunt constituti.

Sacerdotes, Leuita & Prophetæ, quare à Deo dati.

fructus Deo referrent. Sic Iosaphat magistratum ciuilem ad pietatem & Dei amorem prouocabat, 2. Par. 19. Videte, ait, quid agatis: Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini; & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligētia cuncta facite: Non enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Sic denique omnes prophetæ totam Rempublicam ad Dei timorem, veram cordis conuersionem, & fidem venturi Messię adhortabantur, 4. Reg. 17. d. Reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & cæremonias, &c. Quid his quæso beneficiis maius & dignius excogitari possit? Isai. 5. Quid ultra facere debui tibi, quod non feci? Item Mich. 6. Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristauit te?

*Vinea item
significat Ec-
clesiam.*

Synagoga item exprimit Ecclesiam fundatam benè super firmam petram, & fundamentum solidum prophetarum & martyrum, Matth. 16. Ephes. 2. Primò, quod in ea Christus satus sit vitis vera, & Apostoli palmites: Pater verò agricola, Ioan. 15. Chrysoft. & Basiliius in Isaiæ cap. 5. Proinde quod vt vitis curuo quidem ligno, sed tamen maximè fructifero constat: ita & Ecclesia curuis mundo, id est, despectis, sed iustis Deo hominibus coalescat. Vtque florens vinea à se bufones venenaque animalia repellit: ita florens Ecclesia hæreseôn, schismatumque venena procul abigit. Quæ plantata dicitur à Deo: Primò, ne aut casu, fortuna, aut humano artificio fatouente introducta videatur. Secundò, vt ei qui plantat, & qui incrementum dat, Deo gloria reddatur. Tertiò, vt hinc eius vis & fortitudo agnoscat, cum quod à Deo est, eradicari nequeat, Matth. 15. Postremò, ne cum de Ecclesia differimus, minas, sanguinem, & cætera terreni ingenij machinamenta, sed toti zelum, pietatem & deuotionem, id est, cælum ipsum spiremus. Hic seps, hic torcular, hic turris & omnia, hic spiritus diuinus, hic Euangelium, hic sacramēta, benedictio, salus, victoria, & quæ ad æternam beatitudinem pertinent omnia. Seps aut est traditio & scriptura, quas excedere non licet: aut angelica custodia, non Iudæis tantum, sed & gentibus, Esai. 62. Psal. 99. Sic Angelus pro Hierusalem exorans exauditur, Zach. 1: alteriusque ordinis, alij etiã Perlis deputati, eorum quoque solliciti sunt: Pij viri quoque sepes sunt, qualem Basilium facit Gregor. Nazan. monodia in Magni Basil. vitam, quæ hæreticorum turmas, ne in ouili Christi grassarentur, deterreret. Sic Athanasius Arrianos, & Macedonianos. Sed & Ambrosius Iuianæ & Valentiniano hæreticis obstitit. Optima igitur sepes viri pij, quorum deprecatio tantum vigoris habet, Iac. 1. Imò etiam demortui:

illi enim viuis patrocinantur, suisque se meritis, insultibus aduersariorum opponunt, non minus quam Aaron viuis, Num. 16: Iob cap. vlt. Moses, Exod. 32. & Abraham, Gen. 18. suis precibus sepes se in vrgentia mala demōstrarunt. Nam propter Dauidem vita functum, Deum misericordia vsu in Salomonem vides, 3. Reg. 11. Et ob memoriam demortuorum Abraham, Isaac, & Iacob placatum legimus Dominum, Exod. 32. adeo vt malum imminens Israëlī repelleretur. Hinc Chrysof. homil. 2. in Psal. 50. O rem (inquit) admirandam: O ineffabilis clementia Dei: homo mortuus viuo patrocinator. Sic ingruente à Nichanore Iudæis periculo, Hieremias propheta Dei visus est, haftenus mortuus, orare pro populo, 2. Mach. 15. adeo vt apri vineæ illi insidiantes, gladio omnes perempti sint. Hæc sanctis est sollicitudo, vt suis meritis & precibus à nobis mala depellant. Hinc Gregor. Nyssen. f. Theodorum martyrem pro vinea Ecclesia, vt sepem orat. Orat. ad f. Theod. Torcular in synagoga, aut altare fuit, quod non minus quam torcular vino, sanguine vitimarum maduit, ait Chrysof. in Esa. cap. 5: aut legis regula, quæ vt torcular vinum à botro, ita bonum à malo discernit. Malum enim non cognoui, nisi per legem (ait Paulus:) aut Prophetæ in quos musti modo quædam vbertas Spiritus f. feruentis influeret, inquit Hilarius. Sic enim semper simul cum Ecclesia Deus sacrificandi ritum indulget, vt translatō sacerdotio ad legem argumentemur, Hebr. 7. Hinc Christus nouam legem instituens thysiaferij, id est, altaris meminit, Matth. 5. Paulus quoque eum qui seruit altari, de altari viuere debere docet, 1. Corinth. 10. Iam sapientia æterna in domo Ecclesiæ mensam posuit sanctificatam, in qua offerunt sacerdotes corpus & sanguinem Christi secundum ordinem Melchisedec. Semper quoque fuit lex cum Ecclesia, & hæc aut naturalis, aut scripta, aut tradita, Tertul. lib. aduersus Iudæos. Sed nec vnquam absque prophëtico spiritu Ecclesia fuit, nec erit, 1. Pet. 2. Ephes. 4.

Turris est fides ædificata supra petram & fundamentum Apostolorum & Prophetarum, Ephes. 2. Hæc enim in Ecclesia præeminet. Item Ecclesiastica dignitas, omnium scilicet superior (Chrysof. libr. 3. de sacerdotio) & à Deo instituta sub Mose: & per Christū, Matt. 23. Ioan. 20. & 21. & Ephes. 4. olim Mosis cathedra dicta, cum & ea doctrinæ Ecclesiæ probandæ sint, Tertul. libr. in Marcion: quæ tam eminens est, adeo vt sicut columnis euulsis rectum & ædificium ruit, & ossibus à corpore detractis, massa illud carnea redditur, & homo esse desinit: sic ablata Ecclesiastica cathedra & auctoritate, Ecclesia ipsa ruat, & in brutalem vitam dissoluatur.

Item templum quod in medio Iudææ Dominus extrui voluit. Basilius. Hieron. Item eminentia legis, quæ & in cælum ex solo egressa prouheret, & ex qua Christi aduentus speculari posset, ait Hilarius. Hinc Ecclesia fidelium congregata primum in monte Sion dicitur: fide quoque à terrenis in cælestia etiam non apparentia eleuamur, Hebr. 11. Item Ecclesiæ Pastores & Episcopi, id est, superintendentes & speculatores vocantur, ut qui emineant cura & vigiliis, August. cap. 19. lib. 19. de ciuit. Dei: & Hieron. epist. ad Euagrium. Item sicut primum in montibus, demum in templo, ita nunc indicatis Ecclesiis adoratur, ut per loci electionem Deus magis honoretur. Item lex Evangelica & diuina, quæ sursum sunt sapienda docet, non quæ super terram. Instructissima atque ornatissima hæc vinea, locata est pastoribus, Pontificibus, Episcopis, Act. 20. Vos posuit rectores Ecclesiæ, ait Apostolus ad Episcopos & sacerdotes. Dominus Iesus dixit itidem Petro, & omnibus eius successoribus, & in Petro itidem omnibus eiusdem collegis: Pasce oues meas. sunt Apostoli cooperarij veritatis, Ioan. 3. epist. Ecclesia verò catholica est Dei agricultura, 1. Corinth. 3. Hæc Domini est vinea. Qui duxit sponsam, sponsus est: cæteri omnes amici vocantur, nihil Apollo, nihil Paulus, nihil Archippus; Deus omnia in omnibus. Coloni seu agricolæ dicuntur, quod eorum sit herbas nociuas, sentes, & doctrinæ morumque deprauatorum spinas euellere, Jerem. 1. Vitem fodere, id est, veritatē & scripturæ mysteria perscrutari, ut vinea Ecclesia floreat, Deu. 17: & palmites fideles charitate, certaque doctrinæ regula ligare: & vnas fructusque ab his honorum operum exposcere. His, inquam, locata est vinea, quod non eius supremi, sed substituti possessores sint: & quod proinde non sibi, sed Domino illam colere debeant. Cæsar autem, reges & principes etiam Ecclesiæ præsent, sed duntaxat in rebus temporalibus, subsunt enim Episcopis quantum ad religionem: oues sunt, & non pastores. Proprie ergo vinea Episcopis est locata, pertinet tamen functio temporalis ad Ecclesiæ pacem, quamobrem etiam prophani principes quodammodo & ipsi sunt agricolæ. Viderint ergo qui Ecclesiæ Christi tam in rebus spiritualibus quam temporalibus sunt præfecti, ut Domino vineæ se fideles præstent. horrendum est dictu, quod sequitur de culpa agriculturalum, & de iudicio patrisfamilias districto.

Hanc vineam quisquis erecto supercilio demoliri, eiusque fidei ac religionis unitatem proscindere conatus fuerit, hic non solum, ut ethnicus aut publicanus est habendus, sed tanquam aper siluestris, hoc est, ferocissimus hæreticus fugiendus atque vitandus, Roman. 16. & 2. Thessal. 3.

Sequi-

Agricola vineæ Christi proprie sunt Episcopi.

Sequitur. *Es peregrè profectus est*, substrahendo visiones & apparitiones, quas cum vineam plantaret, exhibuit: vel dissimulando peccata, adeo vt longè abuisse videretur: vel hominē in manu consilij sui relinquendo. Nimirum qui fuerat cum Israhēle in nube diei & columnę ignis per noctem, non sic tandem apparuit, ait Origen. hom. 19. in Matth. nec adeo semper vindicauit scelera, vt Sodomorum, Genes. 19. Chore Numer. 16. & Gigantum, Genes. 7.

Tempus fructuum quod appropinquasse ait, omne tēpus vitę pręsentis est, quo fructus bonorum operum & penitentię edere debemus. Item tēpus aduenientis Christi, quo se parare debuerant, vt Ioannes clamabat, Marc. 1. Eo tempore misit seruos suos ad agricolas. Serui illius sunt omnes fideles, sed maximè Prophetę, & verbi diuini pręcones, vt Moses, Helias, Esaias, &c. Apostoli & apostolici viri, veri Dei coloni, qui colentes, populum quasi vineam cum acutissimo ferro sermonis, faciunt eos bonos fructus iustitię exhibere. Hoc enim terra cordis durior emollitur: hoc spinę vitiorum de populo refecantur, ait Chrysof. hom. 40. oper. imperf. in Matth. Hos ad hoc misit Quomodo enim prędicabunt nisi mittantur? Rom. 10. Misit, inquam, illos, vt hinc à mittente eorum prodeat autoritas: & in quem redundauerit illis factum opprobrium: & non sibi; sed Domino venisse eos, coniciatur.

Admiranda utique ex his Dei in homines bonitas declaratur, qui nō desinit nos & spiritu suo, qui auditur quidem, sed non videtur, Ioan. 3. pręuenire per ministros sui verbi, sibi que demulcere. Adeo conuenientē ad cuiuscunq; mundi ætatis morbum parauit medelam: Nunc Noë, nunc Abrahamum, nunc Mosen, demum Samuelem. Postmodum deficiente à vero Dei cultu Israhēle sub Achab magnum illum Heliam mittendo. Sed & idem quod Helias, conqueri possumus (3. Reg. 19.) Altaria tua Deus hæretici & omnes infideles destruxerunt: Prophetas tuos occiderunt gladio, &c. Quod ergo semel atque iterum seruos mittit Dominus, docet utique nunquam decisuram suam Ecclesiam. Reliquit enim qui non flectant genua ante Baal, Roman 11: imò qui possunt ære cedere viros, martemque accendere cantu. Falsissimè ergo gnostici nostri à 40. tantum annis, missos esse se iactitant, qui verum Dei verbum & syncerum Euangelium annuntiant. Num mille & mille martyres? num Athanasius, Basilius, Irenæus, Chrysof. Nysenus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, ceterique patres antiqui serui Dei fuerūt in vineam missi? Num etiam aduersperascente seculo B. Dominicus velut nouum

fidus emicuit? Qui tamen omnes vnâ pariter aliud quàm Neochristiani deprædicarunt? At omnes hæretici antiquos patres abiiciunt, vt sua somnia ingerant. Sic Montanus Cherinthus, &c.

*Iudeorum in-
gratitudo.*

2. Secundò, Iudæos ingratitude, qua, neglectis tantis Dei beneficiis, ordinationi Dei resistebant, atque rebellionis arguit, dum ait: *Agricola apprehensis feruis alios ceciderunt, alios occiderunt, alios verò lapidauerunt, vt Hieremiam, Isaiam, Zachariam filium Barachiz, Prophetas sub Helia, Abimelechum cum 50. sacerdotibus, Naboth, aliosque innumeros, Hier. 25. Act. 7. De molestis quibus synagoga affecit Hieremiam, vides in eius libro cap. 28. 37. 38. De Isaiâ ait D. Ambrosius: Isaiâ facilius compagem corporis ferra diuisit, quàm fidem inclinauit. De Zacharia filio Ioiadæ, inter templum & altare interfecto, habes 2. Paral. 24. D. Hieronymus monet, vt hac de re legamus epistolam ad Hebr. cap. 11. Sancti (inquit) ludibria & verbera experti insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, tentati sunt, &c. Quibus verbis Christus horrendam mentis cæcitate, qua propria malitia semper restiterunt Spiritui sancto, in Iudæis perstringit: qua licet mererentur semel à Deo deseri, atque omnibus acceptis beneficiis priuari: quia tamen eius tanta est erga hominem *φιλανθρωπία*, & humanitas, qua etiam auersos vocat, non contentus fuit semel atque iterum ad pœnitentiam, peccati confessionem, & cordis conuersionem Iudæos vocasse ministerio variorum prophetarum, sacerdotum, ac piorum principum: & quemadmodum semper rebus desperatis, aut dum ipsi in captiuitate constituti, audita prophetarum prædicatione, respiscerent, misit eis saluatorem, in Aegypto Mosen & Aaronem, demum 70. qui populo præssent; in Assyria, Isaiam, Naum, Ionam: & in Babylone, Esdram & Zachariam: & cum pauci essent maiores Prophetæ, minores illis vberiore numero prouidit.*

*Philanthropia
et humanitas
Dei erga ho-
mines.*

Sic quoque licet plurimi ex Apostolis, imò ferè omnes, & antiquis illis Ecclesiæ luminibus cæsi sint, aut à tyrannis, aut ab hæreticis, non desit tamen Deus etiam nobis alios excitare. Potens quippe est ex lapidibus suscitare filios Abraham, Matth. 3. Luc. 3. Ita nunquam sine sui cognitione, etiam si subinde eam reiicerent, dereliquit Iudæos, nolens aliquem perire, sed omnes ad veritatis cognitionem venire: tot tantaque ipsis contulit beneficia, vt nullum meritò debuissent præterire laborè, quem non libentissimè ipsius gratiâ suscepissent. sed quem prophetarum non sunt persecuti? cum tamen ipsi apud Deum essent gens sancta, regnum sacerdotale, & populus acquisitionis, Exod. 19. Hanc mētis cæcitatē Christus in

*Iudæos nun-
quā Deum re-
liquit sine sui
cognitione.*

in eis deplorat, Matth. 23. d. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, &c. Et de vinea Dominus conqueritur per Esaiam. d. Expectaui vt faceret vvas, & reddidit labruscas, Mich. 7. Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemia. Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. Perit sanctus de terra, & rectus in omnibus non est, omnes in sanguine insidiantur. Hoc ipsum verba textus satis indicant. Et fecerunt illis (scilicet seruis) similiter. Nec enim perfidia & impietas absq; sanguine est. Vtque feræ tigrides nunquam posuere furorem, donec altus cætorum pavit cruor armentorum: sic impios manet magna sitis sanguinis, imò maior quàm Cyrum, Iustin. hist. lib. 1. Sic & hodierni seculi mores detestandi, quibus magis blandientiù oscula inimicorum, quàm diligentium vulnera placeant. Hoc modo Michæas incarceratur, Helias fugit, Ioannes decollatur. Imò dum deprauatum clerum arguunt Auidius & Porphyrius, flagris cæduntur. Epiphanius contra heres. libr. 3. tom. 1. hæref. 70.

3. Tertiò, Magnam Iudæorum exaggerat malitiam, qui tantis beneficiis à Deo affecti; siquidem ex Dei singulari benevolentia, adoptio filiorum, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, & promissa (vt est Rom. 9.) ipsorum erant; nihilò tamen meliores sunt effecti. Externa siquidem hæc omnia Dei immensa beneficia, nisi beneficio gratiæ Dei legitimus accedat horum vsus, obsunt magis quàm profunt, non ex natura sua, sed vitio hominum mente corruptorum. Verùm ne sic quidem destitit benefacere Deus: Nunquid enim incredulitas ipsorum fidem Dei eneruauit? Absit, est enim Deus verax. Quia ergo neque lex, neque prophete veros fructus bonorum operum producere in ipsis potuerunt, quibus remissio peccatorum, iustificatio, & salus æterna parareretur, misit clementissimus hic paterfamiliàs, vbi venit plenitudo temporis, filium suum, Christum scilicet, non vt iudicaretur vel condemnaretur mundus per ipsum, Ioan. 3. Hic contestatus est, P sal. 2. & in Iordane, Matt. 3. & in monte, Matt. 17. quòd filius eius esset, nouissimè missus, quia finis legis ipse fuit, Roman. 10. Et quia cum olim locutus esset patribus in Prophetis, nunc effatus est in filio, Hebr. 1. Vides igitur vt Deus mundum dilexerit, qui filium suum vnigenitum dedit, Ioan. 3. Quid illo charius? Atque ideò inquit: *Fortè verebuntur filium meum.* quasi dicat, non dubitando, sed quod ipsos facere oporteret insinuando (debeant enim filium reuereri) hunc filium, inquit, qui verus est mearum possessionum hæres, licet nō mittam in apparatu regio, & naturæ diuinæ ma-

Malitia Iudaica exaggeratio.

Proprietas scripturae saepe huiusmodi verborum figuris vitur.

iestate, sed in similitudine carnis peccati, in forma serui, &c. poterunt tamen, si legis, quam habent, cognitionem admittant, agnoscere: quod nisi faciant, sua id culpa facient. Præterea moueret eos meritò forma eius, de quo dicitur: Speciosus forma præ filiis hominum. Reuera solet pondus habere ipsius domini præsentia; sed quòd Domini vocem non audiuerint, nec speciem tam pulchram videre sustinuerint, ratio erat, quia oculos, & aures eorum clausit ipsorum superbia & auaritia. Ecce quanta pestis cupiditas honoris & pecuniæ, 1. Timoth. 6. Radix omnium malorum cupiditas. August. Delectabat eos principatus terrenus, quem videbant sibi per Christum auferri, qui paupertatem & humilitatē docuit, & populum ad se conuertit: hinc dicebant, Ioan. 11. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & veniēt Romani, & tollent nostrū locum & gentem. Meritò debemus nos hunc filium vereri, nec sanguinem eius pollutū ducere, quod hæretici faciunt tamen, & sacramentarij, dum corpus eius sacrosanctum in Eucharistia pedibus atterūt: dum eum cum Iuda confundunt; faciunt scilicet eum ducem homicidarum & sicariorum: aut cum libertatem carnis à Christo præscriptam esse contendunt. Sed proh dolor, neque fideles verentur filium Dei, si corpus eius indignè accipiunt: si acceptum in peiora labentes contaminant: & si non sanctè viuentes sub eo militant, quum tamē iuxta Zachariam, Luc. 1. in sanctitate & iustitia debemus ambulare coram ipso cunctis diebus vitæ nostræ.

*Charitas Dei
patris erga
Iudeos.
Iudeorum ca-
ecitas.*

4 Quartò, Singularem Dei patris charitatem commendat, qua misit filium suum in mundum: & Iudeorum execrationem proponit, qua agnitū hæredem non receperunt, Ioan. 1. sed malis ducibus, scilicet auaritia, ira, inuidia, & odio accessi in eum, cui pro tantis beneficiis acceptis liberalitatem, amorem, charitatem, & benevolentiam rependere debuerant, feruntur insani, nec antè scire desistunt, quàm & hæredem eiectum extra vineam (Christus enim extra catra passus est, Hebr. 13) occiderint, & hæreditatem regni terreni magna tyrannide inuaserint. Sed quid accidit? Ut possiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdiderunt. Quadrat huc exemplum impij Achab, sequentis consilium Iezabelis suæ, in occidendo Naboth iusto, ut eo occiso possideret vineam eius. Hæc enim ipsorum fuit contra Christum coniuratio, dum reuersi ad iniquitates patrum suorum, Hierem. 11. & Sap. 2. dicunt: Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, grauis est nobis ad videndum: Venite, mittamus lignū in panem eius, & eradamus eum de terra; morte turpissima condemnemus eum, &c. Ex quibus patet primò
eorum

*Cōiuratio Iu-
deorum contra
Christum hæ-
redem.*

eorum perfidia, quia viderunt, nec tamen reueriti sunt. Quid igitur si non vidissent? Hinc maius eorum iudiciū, Ioan. 15. Secundo malitia. Inierunt enim consilia in Christum Dominum, Psal. 2. Ioan. 11. Sic Genes. 39. in typo Ioseph. Hinc textus habet: *Agricola videntes filium, dixerunt inter se: Hic est haeres, cui debetur Sacerdotiū, Ecclesia, Legis perfectio, Sacrificij cōpletio, omniumque reparatio.* Et verē sic erat. Ipse enim est, quem constituit Deus heredem vniuersorum, Hebr. 1. per quem fecit & secula, cui apud Psal. 2. Pater dixit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Venite occidamus eum.* Sic dixerunt fratres Ioseph: *Videamus quid illi profint somnia sua.* Item impij, vt premissum est ex Sap. 2. Imò ipsimet etiam Iudæi, Ioan. 11. Expediit vt moriatur, Et iterum: *Crucifigatur.* Adeo semper manus impiorum & Christi aduersariorum sanguine plenæ sunt, vt se non Dei, sed diaboli homicidæ filios esse ostendant. *Et apprehensum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Nam Christus extra Hierusalem tanquam extra vineam in sententiā damnationis abiectus est, Hebr. 12. Vel eiecerunt (ait Origen.) quantum ad se, quod eum vinea indignum esse iudicauerunt. Et verē eo indigni erant: & fidelibus piisque indignus est mundus.

Perstringit itaque Christus obstinatum Phariseorū, Scribarum & sacerdotum conscientiam, vt etiam inuiti cogrentur contra se sententiam dicere, nempe vt suo se ore iudicēt atque condemnent; siquidem ea veritatis vis est, vt etiam ab improba mente erumpat. Origenes: *Sicut Cayphas, sic & isti non ex se prophetarunt contra se, quoniam tollenda erant eloquia Dei ab eis; & gentibus danda fructum in tempore daturis, corde credendo, ore confitendo, & opere perficiēdo.* Rogati enim quid huiusmodi agricolis parricidis pœnæ esset infligendam, respondent: *malos male perdet.* Quod habet nescio quid horroris, scilicet, reos sententiā in seipos pronuntiare. Marcus & Lucas legunt: *veniet Dominus vineæ, & perdet colonos istos, vtrique malos.* Et *vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* E quibus verbis sacrosanctæ exordium habemus Ecclesiæ, vineæ electæ, quæ ex ethnicorum vocata est solitudine, idque per meram Dei misericordiam, Roman. 15. Act. 6. 10. 11. 12. 13. Matth. 22. 28. Luc. 14. Item Rom. 10. 11. Inimici nostri hic sunt iudices. Salutem ergo vineam eam verbis Ambrosij, dicētis: *Salve vinea tanto digna custode, te non vnus Naborhei sanguis, sed innumerabilium prophetarum, & quod amplius, pretiosus sanguis Domini consecrauit. Te in perpetuum multorum nobis martyrium plantauit in terris, te crux Apostolorum æmula Dominicæ passionis, vsque in orbis totius terminos*

Iudei sua sententia cōdemnati.

minos propagavit: hæc Ambrosius super Lucam cap. 20. Sic nobis omnium nostra mater est salutanda, atque in eius sinu requiescendum, inque finem perseverandum omnibus nobis est, in qua sanguinem tot sanctorum martyrum clamare, & pro nobis iugiter orare audimus, voces verò alienigenarum abhorreamus. In eadem patres in catholico sensu, nobis Christum exhibentes, audientes, sequamur, alienigenos blaterones, atque exoticos eorumque; schismaticos ritus auersemur. Vbera catechismi & sacramentorum, vnde lac & mel, pappam & solidum cibum sumpsimus, & quotidie sumimus & videmus, amplectamur; alienigenæ verò mammas veneni a lapidis plenas, excremur, vt domino vineæ fructus cultus facti, liturgiæ, & operum bonorum reddamus. Nemo quippe mittens manum suam ad aratrum, & retrospiciens, dignus erit regno cælorum.

5 Quintò, Vt minor illis esse excusatio posset de peccato suo, scilicet infidelitatis, quo Christo, & manifestæ eius veritati resistebant, eos scripturis prophetarum aperte cõuincit, ostendens se se esse lapidem reprobatum ab hominibus ædificantibus, id est, à principibus sacerdotum, scribis, & senioribus, quibus reipublicæ Iudaicæ erat imperium cõmissum, vt scilicet ædificarent domos spirituales, sed per Christum, qui dum sua iustitia quæ ex lege est, ædificium hoc absoluerent, nec poterant, venit Christus aliis lapis angularis, qui fecit vtraque; vnum, ad Ephes. 2. electus, probatus, & pretiosus, vt qui crediderint in eum, non confundantur; aliis verò lapis offensionis, & scãdali, iis scilicet qui offendunt verbo, nec credunt in quo positi sunt, 1. Pet. 2. Hunc lapidem Daniel. 2. cap. excisum dicit sine viri opere. Excellẽtia huius lapidis tanta est, vt omnes electi Dei gaudeant vocari lapides. Magna gloria est diui Petri, cui dicit Petra Christus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Imò præstantia huius lapidis tanta est, vt fideles omnes viuui appellentur, & sint lapides; Christus lapis ille noster, via est, veritas est & vita. Fideles ergo oēs, in via veritatis candidè ambulantes, Christo innitentes, dicuntur lapides viuui apud S. Petrum, 1. cap. 2. Vnde etiam sanctus Ioannes, Apoc. 2. 1. lapides eos viuos vidit esse pretiosas gemmas, & margaritas in auro inclusas optimo. Beatus itaque qui in hunc lapidem ædificat non verbo, sed opere. Stultus qui ædificat in arenam doctrinæ solius fidei. Matth. 7.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Facta est connexio, scilicet, vtriusque testamenti, & populi in vno Christo, vt non dissoluantur, Acto. 4. Et est mirabile sanè eos videre qui testamentorum spem non habebant, ea
nunc

Catholicus
sensus Christi
est vox.

Psal. 117.

Act. 4.

Rom. 9.

1. Pet. 2.

Christus lapis
reprobatus.

Christus lapis
angularis.

Vide Athana-
sium li. quæst.
ad Antiochum
principem,
quæst. 74.
Lapis Chri-
stus facit nos
omnes lapides
viuus.

nunc donari, Ephes. 2. & lapidem hunc totum mundum replere. Daniel.

Ideo dico vobis: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Regnum tum temporis vsurparant Romani, sed de sacerdotio, templo, & Ecclesia simul & verbo Dei intelligit, quod est regnum spirituale, datum gentibus, Act. 13.

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Et super quem ceciderit, conteret eum. Id est iuxta Hiero. Peccator in illum credens, cadet quidem super lapidem, & cōfringetur, non omninò conteretur: quia per patientiam ad salutem expectabitur. Qui Christum autem negauerit, sic conteret eum, vt nec testa quidem remaneat in qua hauriatur aquæ pusillum.

Christus enim est fidelibus factus à Deo patre, 1. Cor. 1. sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio; ij tamen quia premuntur infirmitate carnis, vt sæpius etiam ea quæ nolint agant, quo fit vt quandoque etiam sancti cadant, vt de Petro & Dauide testantur scripturæ, quibus, vt loquitur Augustinus, vtalis subinde est lapsus, vt post maiori cautione vitam instituant; tales & post amissam gratiam digni essent qui ea semper indigerent: quia tamen ita cadunt, vt super lapidem Christum maneant, ipsum nec negantes, nec contemnentes, sed potius per fidem ipsum tenentes. sic lapsi confringuntur quidem, sed non conteruntur: iusti enim si ceciderint, non colliduntur, quia Dominus supponit manum suam; habent enim gratuitum Dei auxilium, qui per pœnitentiam reseruantur ad salutem hauriendam ex fonte gratiæ Christi.

*Sanctis ali-
quando vtalis
est lapsus.*

Infidelibus autem & hæreticis factus est ruina, offensio, & scandalum; siquidem ij non tantum super lapidem cadūt, vt ex humana peccent infirmitate, sed quia filium Dei conculcant, fidei tesseram rumpunt: charitatem, quæ est vinculū perfectionis, violant: Ecclesiam catholicam & Romanam, quæ est corpus Christi, turpiter lacerant, hos grauis illa duplicis contritionis manet sententia, qua à lapide Christo in iudicio illo supremo conterantur sine spe veniæ aut misericordiæ consequendæ. Iam dum tempus est gratiæ, dies acceptabilis, ouis est mitis, reconciliator est, propitiatio est: posthac verò vbi iudicij tempus in quenque priuatim, vel in vniuersos vniuersaliter aduenerit, leo erit, vt isa, & pardus, vt ait Osee 13.

Isai. 28.

His parabolis vbi sese sentirent perstringi, adeò non sunt compuncti ad pœnitentiam, vt nihil iam aliud cogitarent animis, quàm de occidendo Iesu: tantum malum est inuor & ambitio. Aderat illis homicidij voluntas, sed deerat oportunitas:

Differētia bonorum et malorum hominum.

unitas: non metuebant Deum talium facinorum vltorem, sed populum. Turba quidem simplex & fuci nescia, sequitur veritatem: Legis periti autem malè agunt. Hæc est enim differētia bonorum & malorum hominum, inquit Chrysoft. nam bonus homo comprehēsus in peccato gemit, quia peccauit: malus autem fremit, non quia peccauit, sed quia deprehensus: & non solum pœnitentiam non agit, sed magis contra corripientem commouetur, Prou. 9. Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat: noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te. Et relicto eo abierunt, dissimulantes iram metu hominum, sed occultè molientes insidias.

EPILOGVS.

Facinus horrendū Iudeorum.

Abiecti Iudæi. & erecti ethnici.

Parabola est, in qua Dominus Iesus Iudeorum taxat malitiam, qua neque suos prophetas, neque Christum ipsum recipere volebant. Parum vero fuit non recipere voluisse: facinus vero hoc horrendum fuit, quod se tam Christo quàm suis prophetis opposuerunt: & ut Prophetas olim suos occiderunt, sic Christum quoque cum suis Apostolis pessime acceperunt: sed pœnam dignam pro talibus facinoribus non euaserunt. Ablatum quippe est eis regnum Dei, & datum est Ethnicis. Sunt nunc filij Abrahæ, qui antea erant Iudæis canes. Facti sunt filij Abrahæ, qui prius omni caruerunt diuino charismate, ut lapides siccæ. Translatio hæc regni Dei, ineffabilis est gratiæ & inastimabilis gloriæ: quod qui rite considerat, exclamare cum Apostolo cogetur. Rom. 11. O altitudo, &c. Catholici tamen patres Spiritu sancto præditi colligunt ex Apostolo, Iudeorum reliquias sub finem seculorum ad Christi fidem in conuersum. Origenes Adamantius super Matthæum. Idem homil. 18. Item idem super Rom. hom. 4. Item cap. 11. Chrysost. super Rom. 11. Hilarius super Matthæum cano. 14. Idem cano. 26. August. in quæst. Euang. lib. 1. cap. 43. Idem lib. 2. cap. 35.

SABBATO HEBDOMADAE SECUNDAE
QUADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Genes. 27.

Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, ut iustionem patri impleret, dixit filio suo Iacob, &c. Finis Epistolæ: In pinguedine teræ, & in rore calis desuper erit benedictio tua, &c.

Consiliū Domini irritum nō potest esse.

CONSILIUM & voluntas Dei nulla humana arte & inuidētia potest eludi. Consilium meum stabit, ait Dominus apud Isaiam cap. 46. Contrā de humano idē ait: Inite consilium, & dissipabitur, cap. 8. Item, Consilium eius præcipitabo, cap. 19. huius rei Ecclesia mater præfens nobis in hac Epistola historica proponit exemplum, quæ complectitur grauissima mysteria de electione Iacob, & reprobatione Esau. in qua describenda proponit quatuor.

Primò, Rebecca diuini adhuc oraculi memorem muliebri

libri astu, sed quem diuina prouidētia gubernaret, decipere parantem Isaac senem, oculis caligantem, ac lecto affixum: quem vt inellexit velle Esau iure natiuitatis primogenito, supremam largiri pro patriæ consuetudine benedictionem, fraudis occasionem nacta (si tamen fraus appellari debeat quod diuinitus agitur) & Esau feroci, hispido, & venatore iussu patris in agrum ad venationem egresso, euocat Iacob totum mansuetum, lenem, & in tabernaculis habitantē; cui paternum proponit consilium de primogenituræ priuilegio conferendo, suo vt acquiescat consilio iubet, fore vt ipsi tanta dignitas conferatur, si modò obtemperet, & è caula duos tantum hædos adferat. Si quæras an ne peccarit Rebecca, quòd fraude Esau circumuenerit: Respondetur quòd non: Siquidem ex diuina prædestinatione, & iure emptionis, Genes. 25. Hebr. 12. Iacob dignitas hæc debebatur. Ipsis enim in matris vtero luctantibus respondit oraculum, fore vt maior seruiret minori, Genes. 25. Deinde & Esau victus impatientia gulæ iuri suo cesserat Iacob, vt merito à fraude excusari ambo debeant. Nulla ergo alia via, quam ea qua Iacob benedictionem patris sui consecutus est, eam consequi debuit. Poterat Dei omnipotentia alia ratione benedictionem eam Iacob conferre, sed nulla alia hoc ipsum facere voluit. Et nento est qui ausit dicere; cur hoc ita voluisti? Quis consiliarius eius fuit? Quantum verò ad præscientiam Dei, qua etiam futura præuidet, & operum non solum bonorum, verum etiam spirituum est ponderator, certum est Esau non sine sua culpa reiectum. Eo tempore quadraginta annos erat natus, duas vxores vnâ habuit verus bigamus. Vxores erant Iudith & Basmath, quæ Isaac iam centenario, & Rebecca satis erant molestæ. Vnde dubium quoque non est, filium Iacobum quoq; Spiritus S. nutu, matri ad piam artem extitisse obsequentem: Qui consilium sanctum matri adpirauit, idem mentem filio obsequendi dedit. Vnde nec mentitus est Iacob, dicens: Ego sum primogenitus tuus Esau. Primogenitus erat secundum oraculum, & secundum meritorium, & secundum ius emptionis. Ergo quātum ad primogenituram, Esau personam egit. Iure item suo benedictionem postulauit. In summa, quantum attinebat ad benedictionem, Iacob verè fuit Esau. Vnde neque mater, neq; filius peccauit. Non tamē hic Iacob cum matre Rebecca sic peccati facio immunus, quasi vetustatem, & inhabitans in carne peccatū illis defuisse sentiam. Industriam præsentem siue simulationē necessariam excuso. Cæterum etiā non est infrequēs apud sanctos patres, huiusmodi arte, vbi aut necessitas, aut comoditas ad gloriā Dei atq; ad proximi salutē hoc postulauit, vti

Rebecca non peccauit fraude Esau circumuenerit.

Esau non sine sua culpa reiectus.

Iacob verè dixit se patris esse primogenitum.

Sic

Sic Abraham vxorem suam Saram , sororem suam appellauit, Genes. 20. Idem fecit Isaac, Genes. 26. Tale habes etiam de Rachel, Laban patrem suum deludente, Genes. 31. Item de astutia Jacob aduersus Laban, Genes. 32. Sed non habent schismatici, quo hinc contra Deum & Ecclesiam, suam tegant cruentam machinationem & hypocriticam fictionem. Amplifica.

I. Cor. 9.

S. Paulus, Roman. 9. hoc mysterium ad Iudæorum refert reprobationem, & gentium vocationem. Ad Iudæos quidem pertinebat adoptio filiorum, gloria, testamētum, legislatio, & promissa; sed quia indignos se reddiderunt æternæ vitæ, ad gentes sunt translata, Act. 13.

*Tergiuersatio
Iacob quid si-
gnificet.*

2. Secundo, Proponit Iacob ignarum mysterij, singulari quadam erga patrem reuerentia, matris consilium detrectantem, dum ex rationibus humanis, vt penè solet vbi-que carnis prudentia, argumentatur, patrem facillè posse vel malitiam vel imposturam deprehendere ex corporis habitu dissimili. Erat enim Esau corpore hispidò, robusto, & voce stentorea; Iacob verò corpore gracili, tenero, & voce exili. Itaque timet ne pro benedictione, consequatur maledictionem; & pro fauore paterno, odium. Pulchrè autem significat hæc tergiuersatio iudicium carnis iudicantis de rebus diuinis ex solis præsentibus. Sic olim ad petram contradictionis dubitauit Moses, Num. 20. 11. de esu carniū. Sic Apostoli admirati sunt, Act. 11. gentibus datam esse penitentiam in remissionem peccatorum, easque esse coheredes, concorporales, & participes promissionis Dei in Christo Iesu, Ephes. 3.

*Sacramentum
voluntatis di-
uina de gentiū
salute.*

Atqui hoc erat sacramentum voluntatis diuinæ absconditum à seculis, vt gentes quæ non sectabantur iustitiam, consequerentur iustitiam, Rom. 9. sed eam quæ ex fide est Iesu Christi, quemadmodum Iacob non propriis viribus, industria, & consiliis, sed matris, quæ præterquam quòd periculum omne in se suscepit, etiam vestibus odoriferis & valde bonis quæ apud se habebat, id est, virtutibus & meritis Christi, à patre Iudæis primùm paratis, gentium nuditatem, facta illis peccatorum remissione, & data vera iustificatione, contexit; additis cibis, id est, sacrificio crucis patri æterno gratissimo, quibus cum fiducia ingrediuntur ad patrem, dicentes: *Pater mi, comede de venatione filij tui*, id est, ex fide per spiritum inhabitantem, clamantes. *Abba pater: Ego sum Esau*, non quidem naturâ, sed prædestinatione.

*Vestes odori-
fera, & cibi
quid denotent.*

*Clemētia Dei
patris in Isaac
exprimitur.*

3. Tertiò, Proponit Isaac admirantem inopinatam ferarum capturam, dum ait: *Quis es tu fili mi? Quomodo tam cito inuenire potuisti?* Qui pulchrè nobis singularem Dei patris exprimit

primit clementiam, qua reuerfos per pœnitentiam, qua ex singulari gratia eos ipse præuenit, excipit humaniffimè: cum enim ipfa pietate clementior fit, qui negare feipsum nequeat, 2. ad Tim. 2. mox fuorum uocem agnofcit, Ioan. 10. ut Luc. 15. indicat filij prodigi parabola. Sic prædicatione Apoftolorum relapfcentes Iudæos & gentes, mox in gratiã recepit, Act. 3. 4. 10. 11. quo accepta fiducia per Christum, fe fe filios efle præfessi funt; quia nimirum cibos à matre paratos, conceptam fcilicet ex prædicatione fidem, mansuetudinem, modestiam, aliaque pietatis opera igne charitatis excocta patri offerunt.

Quod uerò Isaac tangendo & palpando explorat Iacob priusquam cibos accipiat, quoniam quæcunque icripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15. huc spectare opinor, ut credamus eam solam quæ ore fit, fidei confessionem, non sufficere. Neque enim, ut impudenter asserunt hæretici, de sola fide & incredulitate iudicabit Deus, sed de operibus, quæ si arserint, illi detrimentum patientur: idcirco & pater ille cælestis suos explorat, ut ignis aurum solet, non ut perdat, sed ut purget. Eget enim corrupta nostra natura cõtinua excitatione, ne ad eadem prolabatur. Itaque explorat si quod ore præfitemur, opere quoque perficiamus.

4. Quartò, Benedictionem proponit, qua secundum æternum Dei propositum, quo antequam uel boni uel mali quicquam egissent, prædestinatus erat à Deo benedicendus Iacob. Ista enim benedictione qua Isaac Iacob benedixit, symbolum erat benedictionis diuinæ faciendæ per Christum, qua sine ullis præcedentibus meritis à massa perditionis erant separandi secundum prædestinationem & propositum gratiæ Dei, uasa misericordiæ à uasis iræ: qui benedicuntur omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, Ephes. 1.

Aut si ad Christum referre libet, qui postquã semetipsum humiliant usque ad mortem, accepit à Deo patre (2. Pet. 1.) gloriam, honorem, & nomen super omne nomẽ, cuius odor est tanquam odor agri pleni cui benedixit Dominus. Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, Ioan. 1. Christus itaque constitutus iudex uiuorum ac mortuorum, electos ante mundi constitutionem benedicit, ita ut sint benedicti: eos enim nemo potest rapere de manu patris sui, Ioan. 10. habent enim tanquam semen, cui benedixit Dominus, Isa. 61. & manet firmum Dei propositum, ita ut iuxta Paulum Rom. 8. neque tribulatio, neque angustia, neque mors, neque fames, neque periculum, neque persecutio possit eos separare à charitate Dei, quæ est in Christo

P

Iesu.

Tactus et palpatio Isaac quò spectent.

Deus non de sola fide et incredulitate, sed de operibus iudicabit.

Benedictio Isaac symbolũ erat benedictionis diuinæ per Christum faciendæ.

Deus non punit bis in idipsum.

Hebr. 12.

Esau necdum natū quomodo odio habuit Deum.

Esau progre-
ssus typus ha-
reticorum.

Iesu. Qui & si vt Jacob accepta benedictione patiantur persecutionem ab Esau, probatio ipsis est fidei. Est interim etiā erga impios tanta Dei pietas, vt non punit bis in idipsum. Nam Esau quanquam non inuenerit pœnitentiæ locum, & si cum lachrymis quæreret (quemadmodū Hieronymus ait ad Iouinianum) ne Malachias offendat te, dicens: Esau odio habui; nam vt habet Hieron. super Malach. cap. 1. Dilectio & odium Dei, vel ex præsentiā nascitur futurorum, vel ex operibus: alioqui nouimus quòd omnia Deus diligit, nec quicquam eorum quæ creauit, oderit. Odisse autem Deus dicitur, vt flere, dolere, irasci, pœnitere, &c. Tamen interim in terrenis & perituris rebus illi benedictionem concessit: Siquidem non nisi diuino beneficio etiā mali & reprobis rebus terrenis vtuntur. Esau igitur pater etiā factus est multarum gentium, sed earum quæ ethnici & infideles vocantur, & typus sunt hæreticorum, & schismaticorum familiam Iacob persequentium. Consule Abdiam prophetam, Isai. 21. Ezech. 25. 35.

EPILOGVS.

Historia præsens ex Genesi lecta commemorat, vt patriarcha Isaac senio confectus, caligine oculos excacatos habens, filio suo Iacob benedictionem, quæ ad Esau pertinuit, inscius dedit, Rebeccam excitatam à Deo, huius facti authorem fuisse ostendit. Mysterium verò est, quod textus explicat supra Gen. 25. Vbi sic legitur: Dua gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuisentur; populus que populum superabit, & maior seruiet minori. Sic tandem euenit, vt primi facti sint ultimi; & ultimi primi, Matth. 20.

SABBATO HEBDOMADÆ SECYNDÆ, EVANGELIYM.

Luce. 13.

Homō quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis, patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, &c. Finis Euangelij: quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Diuitiæ parentū aliquando sunt filiis occasio peccationis.

Isai. 28.

Gratia Dei nulli peccatori quantumuis facio, negāda.

PARABOLA præsens lectio est, in qua de acolastis præcipue agitur, submonetque diuitias amplas parentū filiis plerunque occasione dare ad omne malum: hoc ipsum quotidie fieri videmus. Quis magis lasciuia, ferocia, & nullis nō flagitiis totum mundum scandalizat, quàm nobilitæ nostri, patriciorū & equitum filij, quos acolastos, aut perditionis filios vocare nostro iure possumus? Quibus nonnunquā vexatiō dat intellectum, vt resipiscant, dum ad summā egestatē redacti fuerint. Iuxta aliam verò interpretationē intelligi poterit de sacramentali pœnitentia, per quam Deus nullū peccatorē, quantumuis sceleratum, si verè resipiscat, excludit, sed recipit

recipit in pristinam gratiam. Venit enim Dominus Iesus, non iustos, sed peccatores vocare ad pœnitentiam, Matth. 9. Venit peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Docet autem hoc Euangelio Christus quatuor.

I. Primo, Sub ænigmate prodigi & aforti adolefcētis docet quid possit natura sine gratia, scilicet post acceptam portionem substantiæ à patre, abire in regionem lōginquam, eamque dissipare viuendo luxuriosè, commessando, ludendo, saltando, veneri militando. Sufficit enim liberum arbitrium, vt est vitio primorum parentū læsum & eneruatum, ad malum: ad bonum autem nequaquam, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono. Siquidem & naturæ & gratiæ dona, à Deo in ipsa creatione collata, dum iis inconsultius vtitur primus homo, illis grauius læditur, & istis priuatur, nec potest nisi illo sanante, & restituente, qui dedit, vt bene: Qualis enim ille peccati merito est factus, tales ex vitiata propagine omnes in lucem edidit auersos à Deo, contrarios, mortales, corruptibiles, & peccatores. Amissa enim originali illa iustitia, per quam consistebat illa virium inferiorum & superiorum harmonia, consecutâ est statim *corruptio* illa, & rebellio, quam omnes in natura experimur; hanc enim significare voluisse videtur Christus vehementi fame, quæ regionem inuaserrat. Non enim de fame panis, vt propheta Amos loquitur, intelligit; sed de fame audiendi verbum Dei. Mox enim naturam inuasit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum, ignorantia Dei, denique rerum omnium quæ salutem promouere possent. Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, Psal. 48. Quoad enim latuit veritatis via, quantò magis eam quærebat, eò minus inuenire contigit. Siquidem humanæ philosophiæ salebræ longè minus satis facere poterant, quàm porcorum siliquæ. Quanquam enim prima frōtē magnam honestatem & modestiam polliceri ipsa philosophia videretur, nihil tamen sublime aut diuinum adferre potuit. Reuera extra Ecclesiam cæcitas est & fames. Spiritus sancti charismata extra Ecclesiâ non dispensantur. Vnde verbi Dei pœnuria hodie est apud hæreticos, qui quis catholicus sensus sit, nesciunt. Est item charitas ænonæ, id est, Spiritus S. & cultus diuini priuatio, quorum vitioque carent hæretici. *Homo quidam*, inquit, Deus scilicet: *habuit duos filios*, aut angelos & homines: aut Iudæos & gentiles, ait Hieron. par. 3. epist. 81. de filio prodigo: aut iustos & iniustos, vt vult Athanasius lib. quæst. q. 46. Sic enim hoc in opificio boni & mali reperiuntur: & quemadmodum in sagena pisces boni & mali, Matth. 13: in agro zizania cum tri-

Liberum arbitriū ad malum efficax, et ad bonū debile & infirmū.

Iustitia originali amissa statim sequitur in homine rebellio. Amos 8. Fames quid significet.

tico: in area aceres cum frumento: & in corpore prati humores cum bonis, sic in Ecclesia mali cum bonis permixti, ait August. tract. 6. in Ioannem: & tract. 5. in epist. Ioan. & libro de fide ad Petrum, cap. 43. Interim tamen hic obseruanda parentum miseria, qui & si vigilantes sint & probi, liberos in pessimos quosq; mores degeneres habent, vt Adam, Caina; Noë, Cham; Isaac, Esau; Iacob vndecim; Eli filios duos. Dauid etiam celeberrimus, Amon, Absalon, Adoniam. Videant ergo patres, quomodo filios suos educunt.

Sed omnes pij & boni, & impij filij quidē Dei sunt creatione. An non pater ille noster creauit & formauit nos? Non omnes tamen, sed tantum iusti filij eius sunt gratia & iustificatione: quomodo apud Ioan. cap. 1. dicitur: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Et 1. Ioan. 3. & 5. cap. Qui natus est ex Deo, non peccat. In summa, mali numero sunt in Ecclesia: boni autem merito.

Et dixit adolescentior ex illis patri. Hic adolescentior, cui stultitia alligata est, Prou. 22: qui adeo procax est, & voluptatibus deditus, prodigus æris, & periculorum inexpertus, peccatorem designat imprudentem, carni addictum, prodigum temporis quo pœnitentiam & bonum faciat, & nouissima non attendentem. Hic dixit, inquit, quod in modum loquentis se habeat, cum apud seipsum deliberat quid facturus sit. Habet enim Deum vbique præsentem, sed & cordis intimam perscrutantem. Quod enim peccator apud se cõcludit, idem ac si coram Deo illud edisserat. Videat igitur vnusquisque quid apud se disputet, & perpendat; nimirum cogitationum inspector est Deus.

Pater, da mihi portionem substantia qua me contingit. E quibus verbis velut in tabella adolescentum ingenia & mores, qui magnas spes concipiunt, si suis fruuntur, videre licet. Primò patrem vocat, cuius disciplinam reiecit. Deinde vt filius adherere renuit. Præterea motus arrogantia, se suaque tanti facit, ac si ea à patre non dependerent. Postremò sibi dominium sui, & suorum regimen, quasi ad hoc solus sufficiat, vendicare conatur. Bene etiam dicit: quæ me contingit. Contingit autem ei substantia, non debetur. An non, scilicet, Deo licet quod vult facere? Matt. 20. Eodem modo impij, primò Deum quidem ore fatentur, quem factis negant, imò cuius ferulæ addicere nolunt. deinde hæretici à Deo & Ecclesia recedentes, omnesque peccatores, à via salutis: Deum tamen patrem vocare non verentur. Præterea gloriantur omnes in animi dotibus & corporis, quasi ea non à Deo accepissent, 2. Cor. 4. Cæterum nec adhortationes Ecclesiæ admittunt, nec presbyterorum monita, imò nec doctorum disciplinas, quasi soli

quæ sunt salutis, sectari possint. Nec attendunt, & sensu quidem eos Deum priuare posse, & desiderijs carnis suæ tradere, Roman. 1.

Et diuisit illis substantiam suam. Iustis & peccatoribus diuisit Dominus eloquia & mandata Dei: sapientiæ intellectum, scientiam boni ac mali. Nimirum, portio substantiæ rationalis, æqualis cunctis nascentibus datur. Hieron. parte. 3. epist. tract. de prodigo. Non quidem æquè iustis & iniustis omnia Deus diuisit, sed ea tantum quæ vocamus bona indifferentia, qualia sunt naturæ & fortunæ. Porro ea quæ gratiæ sunt & gloriæ, non æquè omnibus largitur, sed his vberius quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Ne ergo importunius cum hoc filio prodigo petamus quod tandem oblit nobis. Sic filij Israël in malū sibi metipsis carnes petierunt, & obtinuerunt, Numer. 11.

Et non post multos dies, congregatis omnibus, scilicet naturæ & fortunæ bonis, quæ congregari dicuntur, cum ea à Deo separare, sibi verò omnia vindicare homo peccator nititur, vt in his gloriatur, & abutatur creatura, relicto creatore, ait Augustin. lib. 2. quæst. Euangel. cap. 33. At verò qui non congregat mecum, dispergit, inquit Christus, Luc. 11. Quod vides in Babel ædificatoribus, Genes. 11. In his omnibus qui eleuantur aut diuitiis & honoribus, vt Antiochus, 2. Mach. 9. Adonibezec, Iudic. 1: Abimelech, Iudic. 9: Herodes, Act. 12. & qui fauore, vt Aman; qui scientia inflantur, vt omnes hæretici, in ventum, scilicet, disperguntur, 2. Pet. 2. *Peregrè profectus est in regionem longinquam,* non localiter à Deo recedens (est enim vbique) sed affectu, ait Chrysost. cum non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tēpore, Psal. 9. Regio itaque longa, obliuio Dei est. Sic Cain exiisse à facie Domini dicitur. Item via longinqua, via est peccati, quia peccator longè est à Deo, à gratia, salute, ratione, & præceptorum obseruatione. Siquidem, vt Psal. dicit, Qui elongat se à te, peribunt, id est, à Dei timore initio sapientiæ: sicut tremium aruerunt gratia peccatores: longè à peccatoribus salus. & impij comparantur iumentis insipientibus: quos Moses stultos vocat.

Et ibi dissipauit substantiam suam. Gentilis, dona naturæ, vitam, scilicet, rationem, memoriam, & arbitrium liberum: Peccator dona gratiæ, innocentiam baptismalem, charitatem, fidem, meritum, & spem vitæ æternæ. Nimirum vitam absque fructu peregit, non inuento eius loco, Psal. traditus est in reprobum sensum, vt creaturæ magis quàm creatori seruiret, Rom. 1: his se tantum inuoluit, non Deo, viam rectam abliciendo. Dissipauit etiam dona gratiæ, per conuersationem

impurā: per odium proximi, & contemptū Dei: per defectū bonorum operum, quibus fides viuificaretur: & per voluptates mundi huius, in quibus suam felicitatem constituit. *Viuido*, addit, *luxuriose*, Dei dona paruifaciendo: hæc contra Dei regulam effundendo: voluptatibus se totum implicando.

Obserua hîc quanta homini luxuria atque ipsa voluptas damna adferat. Hac enim primò dissipantur bona fortunæ, Prou. 25. Qui nutrit scortum, perdet substantiam suā. 2. Bona corporis, vt pulchritudo, vigor, fortitudo, sanitas, &c. Prouerb. 30. Infatiabile siquidē est os vuluæ. Sic vt 1. Cor. 6. qui fornicatur, in corpus peccet. 3. Luxuria dissipatur fama. Eccles. 46. Inclinaſti femoralia tua mulieribus: fecisti maculam in gloria tua. Sic Salomonis nomen alioqui celeberrimum emarcuit. 4. Bona animi destruit, cum ea mens hebescat & tardior sit. 5. Frontem meretricis imbut (Malach. 3.) dissipando verecundiam. 6. à Deo cogitationes nostras distrahit, Osee 11. Vltimò in gehennam deiicit. Fornicator & immundus & avarus non habent partem in regno Christi & Dei, Ephes. 5.

Obserua item istius prodigi exēplo quatuor perdicionis iuuenum causas esse, & econtrā oppositas bonæ eorum indoli. Primò, vt disciplina & paternus timor cohibet effrenem iuuentutē (Prou. 23. Eccles. 30.) sic qui seponit disciplinā, in via est omnis spurcitia, vt Heli filij, 1. Reg. 3. 2. Cui sumprus suppetunt abundantissimi. Multos enim perdidit aurū, Eccles. 31. & 8. 3. Libertas, Pro. 29. Puer qui dimittitur voluntati suæ, confundet patrem. 4. Impiorum societas, Prouerb. 19.

Et facta est fames valida in regione illa. Fames indigentia est verbi Dei, de qua Amos 8. Mittam famem in terram, non famem panis aut sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Sic olim Dominus ab Israël iustos & prophetas subtraherat, quo eos se reprobate doceret, iuxta Psal. 73. Iam non est Propheeta, & nos non cognoscat amplius. Sic Enoch & Heliam abstulit; quod & nunc timendum ne verbi diuini concionatores tollat. Item fames facta, auiditas scilicet, est, explendi se voluptatibus. Voluptas enim egestas est. Nec enim quis voluptates sibi emit, sed se illis vendit, vt Seneca testis est li. de beata vita, cap. 14. Hæ autem malum malo inducunt, vt qui imperiti sunt nauticæ, è periculo in periculum relabuntur, & ægri potui & cibo indulgentes, sibi morbum adaugent.

Et ipse capit egere, donis, scilicet, naturæ: Dei patris auxilio, quod excluderat; & verbo quo reducatur: sed ei non acquieuerat. Videat igitur qui stat, ne cadat. Si Deum dereliqueris, derelin-

derelinquet te. Sic dereliquit Saulem, quem prius elegerat, 1. Reg. 13. Inuocate Deum dum prope est. Discant etiam hic omnes, omnia vanitatem esse, Eccles. 1. Transiit enim mundus & concupiscentia eius.

Et adhaesit uni civium regionis illius. Hic aëreus aliquis princeps est, ad militiam diaboli pertinens, August. lib. 2. quest. Euangelic. cap. 33. Satanici enim spiritus, ciues sunt regionis peccati, seu mundi huius, qui in maligno positus est, 1. Ioan. 5. cuius diabolus princeps à Christo vocatur. Sicque qui non sustinuerunt parere Deo humanissimo, seruiunt inhumanissimo dæmoni. Idem quoque hæreticis contingit, & omnibus impiis, vt qui maternum Ecclesie sanctæ animam abiecerunt, credant sanguinolentæ & homicidæ sicariorum & latronum sectæ, cui scilicet diabolus præest. Et *misi illum in villam suam*, cum cupiditatibus huius mundi subiugauit, vt diaboli seruitio infudaret; cum à regno celorum segregauit, vt domesticus eius reddatur: & cum in Ecclesiam malignantium adduxit, vt characterem bestia hæreticos accipiat. Subdit: *vt pasceret porcos*. Nimirum vt Gentilis placeret dæmonibus, qui se vt porci cæno, ita sanguini victimarum inuoluebant. Vt peccator ea, quibus immundi spiritus gaudent, operaretur. Vt hæreticus apostata, luxuriosis sordibus huius mundi addictis, gulosis, fædis, trucibus, seditiosis, grunnientibus in Ecclesiam hominibus, & omnia depascentibus, aliquid quod aures titillet, annuntiet: Siqui *deum* humanas hostias dæmones ab Ethnicis acceperunt, vt Theodoretus habet serm. de sacrificiis. Sic operibus carnis, quæ sunt impudicitia, fornicatio, ebrietas, &c. Galat. 5. peccatoris totum se addicit. Itidem libertatem illis promittit, cum ipse seruus sit corruptionis, 2. Pet. Sic Nicolaitæ communes habere mulieres.

Et cupiebat implere ventrem de siliquis quas porci manducabant. Sunt autem siliquæ, sermonum iactantia cum inani quadam philosophiæ seductione, & sonoro facundiæ plausu, quæ pompam magis, quam utilitatem demonstrant, nec multum perdurant, ait Ambros. lib. 7. in Lucam. Item voluptates quæ & dulcescunt & constringunt cito, vt siliquæ, sed alio modo. Quibus idololatria apud gentiles viguit, coadiutoribus potius; & hæresis munitur, ait Tertul. lib. de præscript. & luctus gehennæ conciliatur, Luc. 16.

Et nemo illi dabit, id est ad satietatem. Manet enim insatiata libido. Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Huiusmodi nimirum demones neminem sinunt satiari voluptatibus: ne citius à peccato quiescat: semper enim appetitum ac defatigationem excitant. Deinde nemo illi dabit denegando, quo

in desperationem conuiceretur. Sic post longas voluptates Sardapanalus ab omnibus destitutus sese in ignem deiecit, Iustinus libr. 1. Sic Cleopatra veneno se peremit, Plutarch. Phœdra quoque Hippolyti nouerca, Sappho Lesbica, Iphis puer; Phyllis quoque, quod nemo daret quo amores suos explerent, laqueo se sibi mortem conscuerunt. His rebus consolatione destituit, quos superbia imbuerat: ut Annibalem, Brutum, Achitophellem, Neronem, permultosque, qui è fastigio dignitatum, ad ima redacti, seipsos enecarunt.

2. Secundo, dum hunc Afortum resipiscentem ac miseriarum pertæsum proponit, docet vnde cōtingat homini auerso veræ pœnitentiæ initium, quod non nisi à bona voluntate nascitur, scilicet non ex solis liberi arbitrij viribus, sed ex Dei dono in occulto præuenientis omnem humanam cogitationem. Nō enim idonei sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, 2. Corinth. 3. Ipse dat velle, & posse. Meminerimus igitur iuxta August. epist. 106. quod patrem hic Afortus non quesierit, antequam quesitus est ab illo, qui venit querere & saluum facere, quod perierat, Luc. 19. Est enim opus gratiæ Dei, vt meritum hominis bonum & initiet ad iustitiam, & consummet ad gloriam. Gratiā & gloriā dabit Dominus, ait Psal. 1. inchoans voluntatem bonam: deinde, eandem adiuuans inchoatam, vt eadem voluntas & diuino dono bonafit, & diuino adiutorio malam superare possit concupiscen-tiam, & in bono perficere quod cœpit. Hinc sequitur: *In se autem reuensus*: per miserie, scilicet, agnitionem, status sui contemplationem; & peccati commissi considerationem. Nimirum sola veratio dat intellectu, Esai. 28. Et apud Psal. Multiplicasti infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Item: In tribulatione inuocaui Dominū. Sic Manasses carceri mancipatus ad se reuertitur, 2. Para. 23. Et Dauid peste grassante, 2. Reg. 6. His vti que peccati notitia conciliatur, initium vti que salutis. Seneca epist. 28. lib. 3. epist.

Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Mercenarij sunt, aut catechumeni nondum baptizati, aut fideles quidam, sed qui temporali mercede inducti, aut panē verbi Dei tractant, aut quæstum arbitrantur pietatem. Quibus merces fidei datur, puta adoptio: Panes verò doctrinæ animarum nutritiue. Hos cum suscipiunt gentiles, conuertuntur ad se. Item merces commodorum præsentium dantur, sed neque panes, scilicet sacrę conciones, quę semper in Ecclesia fiunt, denegantur, vt qui non sūt à communionem ciecti, sicut peccator, qui Deum omninō reliquisse videtur, & eius Ecclesiam.

Et ego hic fame peres, fame diuini verbi, & siti gratiæ. Vnde & meri-

Pœnitentiæ
vera initium
vult.

Gratiæ Dei
opus est, vt
meritū homi-
nis bonū ini-
tiet & con-
summet.

& merito potest dicere hoc Psal. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & ossa mea sicut cremum auerūt. Quicquid enim agit peccator, eum multo magis famelicum reddit, nisi ad eum accedat, qui aquā porrigit, quam qui biberit, non sitiet iterum: & gloriam communicat, in qua electi non esurient nec sitiēt iterum. Quasi ergo dicat: Ego filius, illi mercenarij: ego in longinqua patria, illi in domo patris: ego cupio saturari siliquis, illi pane: ego fame perco, illi abundant. Fames autem genus est supplicij grauissimum. Si gladio, si furca, si rota perire, breui dolor finiretur. Nunc autem toties mihi mortis dolores ferendi sunt, quoties præ fame mihi viscera crepant. Et vnde obsecro mihi tot mala acciderunt? Nimirum quòd patrem contempsi, & patrimonium luxu decoxi. Videant hic iuuenes ne parentes aspernentur. Sum enim & iuuenibus exemplum ad peccandum, sed ero ad reatus agnitionem. Surgam enim & ibo ad patrem meum. Surgam per bonum propositum; & spem veniæ: & ibo ad patrem per opera pœnitentię, contritionem nimirum, confessionem & satisfactionem: Contritionem vique, quòd me indignum sentiam filij tanti patris nomine: Confessionem, palam edēdo delicti mei grauitatem: Satisfactionem verò, meme omni pœnæ & labori, etiam quem mercenarij in domo patris sufferunt, submit-tendo. Et dicam: *Pater, peccavi in calum & coram te*, Prius meditat-ur quid dicturus sit, quoniam non præcipitanter aut Deum orare, aut sua peccata cōfiteri debet peccator: sed prius apud se meditari eū oportet, quid dicturus sit, quid fecerit, quòd grauit-er Deū offenderit. Et aspersus corda à mala conscientia ad Deum accedere.

Ita enim hic noster Afortus, accepto radio cœlestis gratiæ, rationem auersam, intellectum obscuratum, & voluntatem peccato corruptam illustrante, vt ex fide (sine qua nec ora-
 tio nec pœnitentia placent) quàm procul esset à Deo, longè
 enim à peccatoribus salus, Psalm. 118: quàm alienus esset à fide non pla-
 cietate, nulla enim conuentio luci ad tenebras, 1. Corint. 6:
 & quàm graui peccatorum pondere premeretur, agnosce-
 ret: nulla enim rectè suscipitur pœnitentia, quam non pec-
 cati, propriæque miseræ cognitio præcesserit: quam dum
 fidei quoque lumen præcedit & spes veniæ, tum demum sur-
 git à somno peccati, Rom. 13. ad Ephes. 5. Surge qui dormis,
 &c. Patrem adit misericordiarum, & Deum totius consolati-
 onis, qui consolatur nos in omni tribulatione, 2. Corin. 1.
 quia non satis est proponere, sed ipso effectu proposita im-
 plere oportet. Accedite ad eum, ait Psal. & illuminamini, &
 facies vestræ non confundentur. Venit per pœnitentiam ad

*Oratio et pœ-
 nitentia sine
 fide non pla-
 cent.*

patrem, & peccatum confitetur, d. *Pater peccatis in celum & coram te, &c.* Te offendi, tuum iudicium commerui, terrena tibi prætuli, & te per negligentiam non quaesivi, me filium tuum enutriuisti & exaltrasti; ego verò te spreui, Isa. 1. Qui enim abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit & ea reliquerit, misericordiam consequetur, Prou. 28. Confessione. s. sacramentali à Christo instituta: & deicit se infra ministrorum & seruorum conditionem, d. *Non sum dignus vocari filium tuum*, quia diaboli mancipium me feci, 2. Pet. 2. q. d. Dignus utique eram tua gratia tum, cum in domo tua essem; cum in Ecclesie liminibus me continerem, cum tuam voluntatem seruarem, & te reuererer, nunc verò cum omnia mihi è contrario cesserint, non sum dignus tanto apud te nomine. Patrem non negat, sed se filij nomine indignum esse confitetur. Oratio enim humiliantis se nubes penetrat. Supplicat nec omnino abiici, nec priorem, ut indignus, apud patrem gradum sortiri, sed medio loco reponi, q. d. Ad filij affectum aspirare non præsumo, sed mercenarij statum pro mercede seruitutis desidero, id est, non statim in gratiam admittit, sed prius labore & poena plecte me: recipe me in domum, non ut filium, sed ut seruum; omne onus perferam, quod mercenarij in domo tua. Nihilominus quia tuus sum ego, saluum me fac, Psal. 118. Non hoc inspirauit Plato ille qui dicitur diuinus, neque Zeno, neque Mercurius Trismegistus ille, sed Spiritus ille veritatis, spiritus sapientiae, mentem eam sanctam misero inspirauit. Ob ergo nostrum fuit ille perditionis filius. Confitendo, confessionis nobis præbet exemplum, ac documentum. Confitetur item nostrum peccatum esse maximum, & nos à Deo separare, Isa. 59.

Ob nostrum
filius prodigus
fuit, confitendo
suum peccatum.

Oratione quoque sua perfectissimam apud patrem edit supplicationis formam. Primò patrem vocat, ut grauitatem peccati sui insinuet, ut qui in summum bonum, imò & hominum amantissimum peccauerit: Item ut doceat quanta fiducia ad eum accedat, nimirum quòd velut pater filiorum misereatur Deus timentium se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Quippe hac dictione spem veniæ post poenitentiam superesse ostendit. Vnde cum Cyrillo exclamare licet: O maximam Dei benignitatem! his qui defecerant ab illo, & in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum obliuionem, & gratiæ participationem, ut patrem sese appellari voluerit. Ad eò non ut Moses per montem caliginosum, igneum & terribilem ad Deum: sed directè nos Christus ut mediator, sed melior Mose, ad Deum ut patrem adducit, ait Gregor. Nyssen. lib. de orat. Secundò, non occulit iniquitatem suam, sed eam pandit. d. *Peccatis in celum,*

& coram

Et coram te, delictum suum ita aggrauans, vt cælum etiam sibi infernum agnoscat. Sic nos instruēs, vt qui peccare non erubimus, non erubescamus confitēti. Porro non adiecturus erat confessioni suæ peccatum in cælum, ait Gregor. Nyssen. nisi persuasus sibi patriam esse cælum, quo relicto peccauerit. Quapropter cōfessionis eiusmodi meditatione, aditu facilem sibi patrem efficit, adeo vt etiam accurrerit ad eum. In cælum peccasse intelligitur primo sic, vt per cælum sancti & beati intelligantur, quemadmodum Genes. 1. per cælum angeli significantur. aut cæli nomine Dominū maiestatis, in quem peccauit, capere possumus: nimirū qui dicit Isai. 66. Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Coram te, ait, Vt qui semper præsentem mēte habuerit patrem, nec tamen hac meditatione à peccatis reuocatus sit, sed eum contemnens in omne peccatum liberè ruerit. Aut qui tanti patris sit filius, qui vbique sit, & cuius maiestate omnia plena sint; cui omnia nuda & aperta sint, Hebr. 4.

Item huius quoque exemplo nosmetipsos iudicare debemus, vt docet Paulus. Proinde Dominus ipse Ezech. 18. & 33. Si fecerit, inquit, impius iudicium & iusticiam, vita viuet, & non morietur. Porro iudicium facere, nihil aliud est, quàm seipsum etiam condemnare, & suam indignitatem testari. dicat igitur vnusquisque: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? At tu Deus misereris omniū, quia omnia potes, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

Videant ex hoc loco aduersarij, qui non verētur asserere, contritionem, & quæ absolutam iustificationem præcedunt, efficiere hominem magis peccatorem. Neque enim displicēt Deo hæc prodigi opera, qui patrem adit, eum inuocat, peccatum confitetur: vt nec Publicani pœnitentia, nec Cornelij Centurionis, licet nōdum regenerati, opera, Act. 10. Luc. 18. Augustinus, Eusebius, Gregorius Nyssen. Chrysostomus, per multique alij antiqui patres vno ore pœnitentiam celebrarunt. Imò & Tertullianus ipse lib. vno; nimirum quod Deus non despiciat peccatorem, si ad se reuertatur. Eum qui venit ad me, non eiciā foras, ait Christus. Hoc in Manasse, Matthæo, Paulo, Peccatrice, Latrone, & Petro factū docet Chrysost. homil. 4. ad pop. Basiliius homil. de pœnit. idem confirmat verbis ad Ionam factis, occasione cucurbitæ exsiccatæ: vt doceretur illi non exquirere ruinam Ninive, Ion. 3: Item exemplum Achab, 3. Reg. 22: & Dauidis, 2. Reg. 11. & 12. quorum Deus misertus est. Imò adeo bonus est Dominus, vt eos qui toto vitæ tempore impij fuerint, aliquando conuersos excipiat, vt docet Chrysost. hom. de reparat. lapsi, exēplo Onclimi,

Onesimi, qui ex fure factus est Pauli discipulus. Talis & Moses ille, primum quidē furū princeps: deinde verō Abbas sanctissimus, vt testatur Nicephorus, li. 11. histor. Ecclesiast.

3 Tertiō, Docet quantum sit gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente: non enim vult Deus mortē peccatoris, Ezech. 18. sed vult eum saluum fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Timoth. 2. Proinde pœnitentia quam iubet per legem, & dat per gratiam, qua gratia illū qui adhuc longē est, quia nondum per pœnitentiæ sacramentum reconciliatus, videt; item à longē videt, qui omnia vno intuitu prænouit antequā fierent, qui Petri pœnitentiā aspexit ante mundi constitutionem, Ephes. 2. & tum ei gratiam & misericordiam præparauit, Rom. 9: misericordia motus est, dum misericordia illius præuenit nos, Psalm. 58. & quod suum est, semper agnoscit. Hinc per Esai. cap. 49. dicit: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa obliuata fuerit, tamen ego non obliuiscar tui. Accurrit, dum antequam clamemus, ipse exaudit, Isa. 65. Ipse enim Deus præuenit voluntatem vt velit; comitatur vt possit; cooperatur vt perficiat, Phil. 2. Et Heb. 12. Tanquam filius sese offert Deus. Tardus ad puniendū est. At cum venire dicitur vt supplicium inferat, non currere, sed ambulare fertur; imo, vt Prouerbiū habet, lanceas habere pedes. Sic Genes. 3. ambulabat in paradiso. Sed currit misericordiam facturū, Psalm. 18. Exultauit vt gigas ad currendam viam, Cantic. 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliēs colles. Qui ergo admonet fratrem, inquit Iustinus Martyr, non iracundē id faciat, sed familiariter. Oportet enim vt ambo accommodentur sibi inuicem, & ad pacem contendant pariter. Quando quidem etiam patrem illum videmus occurrisse pœnitenti filio, & non expectato aduētū obuiam excepisse eius pœnitentiam. Ruit in collum eius: Similitudinariē vtique, pro eo quod est, suscepit eum paterno & compatiēte affectu. Cecidit vtique super collum, quia & hoc humiliavit, quod prius fuerat elatum. Item ruit in collum eius, dum clamat in nobis interpellando per spiritum, Rom. 8. Osculatur eum, dum eum qui inimicus erat, reconciliat per sanguinem filij, vt pacem habeat ad Deū, Rom. 5. E quibus profunditatem charitatis immensæ erga nos colligere possumus. Quod si tum cum adhuc inimici eramus, vsque adeo dilexit nos; quis non videat nūc magis nos illi esse charos? Apost. ad Tit. 3. hanc philanthropiam Dei erga nos magnificē prædicat. Nulla mater tanto pietatis affectu erga suos afficitur, Isa. 49. hæc omnia operæpretium est, & nosse, & credere. Hinc enim spes in Deum excitatur: Quis enim peccatis

*Dilectionis
Dei erga nos
argumenta.*

peccatis aggrauatus, Deo appropinquare aufit, nisi hac fide præditus exiit? Dixitque filius patris: Pater, peccati in calum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Non tantum corde & meditatione, sed & ore hæc confessus est. Sic Ezechias, Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Domine si sic viuitur, &c.

Illud interim obseruandum arbitror, ad veram iustificationem non sufficere solam bonam volūtatē, nisi dum cætera quæ ad veram pœnitentiā requirit scriptura, vt sunt confessio & satisfactio, moriendi necessitas exclusit. Subuenit enim tunc misericordia redemptoris, cuius sanguine & purgantur & delentur peccata. Neque illius efficaciam derogat, qui has pœnitentiæ partes amplectitur, tanquam solidissimas post naufragium tabulas: iis enim enatare licet, vt hic Afotus magnitudine scelerū horrorem iræ diuinæ concepit, Psal. 118. Confige timore tuo carnes meas; consideratione clementissimi patris in spem veniæ erigebatur. Audiuit enim illud: Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Matth. 11. & scelerum detestationi veram pœnitentiā substituit. Itaque ex iræ filio & damnationi obnoxio, factus est filius Dei: & propter fidem in Christum, sine qua impossibile est placere Deo, & propter opera ex fide profuentia: Vt enim sine fide non placent opera, ita nec econtrā, quanquam plerumque fidei iustificatio tribuatur: hoc ideo fieri cum August. puto, quia fides prima datur, per quam cætera impetrantur. Quia fides fundit orationem: Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? Rom. 10. ostendit medicum, à quo solo est salus expectanda: docet qua methodo animorum morbi pellantur; amplectitur spem & charitatem: addit orationem qua fidei impetret firmitatem; & cōiungit pœnitentiā, nec quicquam quod ad salutem requiratur, omittit. Sic qui hunc pœnitentem imitabitur, is, cum Deus non sit personarum acceptor, eandem ab ipso gratiam consequetur. Non est enim abbreviata manus Domini, vt saluare nequeat. Redite ergo præuaricatores ad cor, Isa. 46. Reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra, Hierem. 13. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Ephes. 5. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, &c. Hebr. 4.

Tabula post naufragium.

Opera non placent sine fide.

Fidei effectus.

4 Quarto, Docet insignem Dei clementiam, qua solet is erga eos qui verè & ex animo resipiscūt, vt; quia enim peccator dum sese à Deo auerit, perdit innocentiam, iustitiam, charitatem, ac Spiritum sanctū: siquidem hæc cum conscientia peccati consistere nequeunt; Spiritus enim disciplinæ effugit fictum, nec potest habitare in corpore subdito peccatis;

tis, Sap. 7. ea tamen est immensa Dei patris clementia, vt redeunt per pœnitentiam, mox per seruos, hoc est, verbi Dei concionatores, & praelatos Ecclesiæ, quos alloquitur, iubeat redeunt peccatores excipere, & dare primam stolam, id est, absolutos veste iustitiæ circumdare, sicque participes faciat iustitiæ Christi qua per inobedientiam homo nudatus erat (nam simulatque interdicitæ gustauit, nudum se esse conspexit) omniumque meritorum ipsius per gratiam: Sic enim illum induunt quotquot in illo baptizantur, Rom. 6. & Galat. 3. Quicumque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. Et quod de baptismo, simile de pœnitentia, Ephes. 4. Deponentes vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Item Col. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit illum. Restituit enim hæc pœnitentia, quod in baptismo acceptum per peccatum amisimus. Sed quoniã non satis est abstinere à malo, nisi quisque se exerceat in bono, iubet dare annulum in manu, id est, vniõnem fidei, qua desponsatur Deo, merte per iustificationem virginea. Annulus fertur in manu, sic fides quoque in operibus esse debet, quæ per manum indicantur, vt & lumen in lampadibus requiritur, Matth. 25. Iac. 2. Facere ergo debent praelati, vt hi quos stola puritatis per pœnitentiam induunt, tandem per fidem operentur. Vel annulum dare iubet, id est, arrhabonem spiritus, quo signantur fideles. Est enim annulus datæ hæreditatis, & firmæ charitatis testificatio, quæ sine iustitia non imputatiua, sed vera & inharrente (iuxta illud, Qui facit iustitiam iustus est) acquiri & recuperari non potest. Hæc enim & charitatem in se complectitur, iuxta August. perfecta charitas, perfecta iustitia, cap. 70. de natura & gratia. Solent enim qui sponsis copulantur, copulæ symbolum ac amicitia declarare aut annulo, aut cæteris gemmis, Osee 2. Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. 2. Corinth. 1. Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. In Canticis per totum hanc arctissimam necessitudinem vide.

At quia piè volenti viuere in Christo, necessaria sit patientia, propter subsequenter persecutionem, 2. Tim. 3. Heb. 10. iubet dare calceamenta, id est, munimenta contra ea quæ virtuosus processus sunt corruptiua, vt sit pœnitens calceatus pedes

*Stola prima
que.
Iustitia Christi.
Pœnitentia.*

*Annulus in
manu.
Ephes. 1.*

Calceamenta.

pedes in præparationem Euangelij pacis, nec ubi coluber infidians plantam ingredientis inuadat, utque super scorpiones & serpentes securius ambulet, non iam gradiens secundum carnem, sed secundum spiritum. Item calceamenta in pedes iubet dare, id est, sanctorum pœnitenti proponi conuersationem, quam imitetur, Hebr. 13. ne de cætero in peccata relabatur. Nam calceamenta, quibus ambulare oportet, conuersatio vitæ est, quæ apratur pedibus, cum quis secundum eam dirigitur. Hinc est quod in idem mysterium designandum olim agnum paschalem comesturi, calceati esse debebant, Exod. 12. ne spinis, inquit Gregor. Nyssen. de vita Moseos, in hoc arduo viuendi itinere pedes lædantur, non nudis pedibus, sed durioribus calceis communiti esse debemus. Spinæ autem peccata sunt: calcei dura & austeri vita, quam à patrum cōuersatione discimus. Tandem iubet dare vitulum saginatum in epulas, id est, participem facit corporis & sanguinis filij sui: hanc enim gratiam filiis qui restituti sunt in libertatem spiritus, & à peccato purgati, concedit, ut participes fiant corporis & sanguinis Christi. Nam qui manducat & bibit in agnè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, 1. Cor. 11. Vitulus ergo ille, nihil aliud significat, quàm sacrificium nostrum, & victimam Iesum Christum, 1. Cor. 5. Apoc. 7. quæ non solum supplicium fuit cruentum semel in ara crucis, sed & sacrificium: quod Ecclesia quoridie repetit atque representat incrementum in sacra liturgia, in qua immolatur & sumitur; quod nimirum multis verborum & figurarum inuolucris præmonstrarum est. Vitulus utique quoad naturam passibilem, secundum quam fuit immolatus: saginatus, quoad gratiarum plenitudinem. Heb. 9. Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Isai. 25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in mōte hoc conuiuium pinguium medullatorum, de quo Paulus, 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Vitulus hic præsignatus est, per illum vitulum, quem occidit & coxit Abraham angelis, Gen. 18: & per vitulum sub lege Deo oblatum. Et hic quidem proponitur nobis in cibum & epulum in sacra Eucharistia. Caro enim mea verè est cibus, inquit, & sanguis meus verè est potus, Ioan. 6. Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est. Et calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi

Vitulus saginatus quid significet.

Christi est? Porro adducitur ille, aut à prædicatoribus per verbum & me moriam; aut à sacerdotibus per sacrificium & sacramentum. Eorum enim est tantum illud cōficere, prout & Christi verba ad Apostolos sonant: Hoc facite, &c. Quod ergo pater, adducite (inquit) vitulum saginatum, tantum est, ac si dicat Deus Ecclesiæ prælato: peccatorem hunc ad communionem Christi corporis, & sacram mensam admitte. Quod & licere in lapsis perdoctè testatur Cyprian. ferm. de laps. Quodque occidere iubet, sic interpretandum est, non quasi denuo occidatur Christus, sed quod quotidie in sacrificio incruento, memoria cruenti illius, quod semel in cruce perfecit, celebretur: prout & ille nos docuit, d. Hoc facite in meam commemorationem.

Neque verè istis contentus clemētissimus pater, vt ostendat quanti apud ipsum momenti sit vera pœnitētia, vult proximum quemque de pœnitentis salute gaudere. Ideo inquit: *Manducemus. & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuit*, quantum ad malitiæ abundantiam. Peccatum enim mors animæ est, Ezech. 18. Sap. 16. veraque mors est, inquit August. quā non timent homines, separatio à Deo, Apocal. 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es: & reuixit, per resipiscentiā, Perierat, sine vlla spe recuperandæ salutis quantum in ipso erat, & inuentus est. Venit enim filius hominis quætere & saluum facere quod perierat, Luc. 19. Qui enim peccatis inuolutus est, mortuus est & perditus: & qui per pœnitentiam ad Deum redit, rediuius dicitur, Ephes. 2. Cū mortui essetis, &c. Nam sicut mortuo nulla actio viuientis est, sic nec peccatori nullum meritum, nisi ad Dominum redeat. Omni viraque virtute & vita destituitur peccator, tamen Dei gratia per pœnitentiam viuificatur.

D. Hieronymus ad Damasum de vocatione duorum populorum hoc Euangelium interpretatur, Tom. 3. fol. 127.

E P I L O G V S.

Præfens parabola duos germanos fratres nobis proponit, quorum minor perditissimus fuit; resipuit vero, & in gratiam cum patre, quem grauissimè omnium offendit, rediit. In qua peccator ad pœnitentiā inuitatur promittitur gratia pœnitenti, sed non in peccato permanenti, neque ad vomitum reuertenti, 2. Pet. 2. Prou. 2. 6. Admonentur hic pastores & Episcopi, cateraque prælati, vt tales sese præbeant erga peccatorem resipiscentem, qualem se præbuit pater hic parabolice in recipiendo filium. Verum ab hac imagine longe absunt superciliosi aliquot imperiosuli, qui suis enormibus blandientes vitiis, nihil aliud quam faciunt in lapsu alienos. Gaudendum enim maximè est misera conscientia iam pacata, iam in gratiam recepta, Cantic. 5. Comedite amici & bibite, & inebriamini thaisbuni. Sic & de gentium vocatione ad Euangelij gratiam, & conuersione

ait Apost. Rom. 15. Gentes super misericordia honorate Deum, sicut scriptum est, Psal. 17. Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum, Isai. 11. Latamini gentes cum plebe eius. Ephes. 5. Ioã. 13. et 15

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, &c. Finis Epistolæ: Fructus enim lucis, est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

IN LECTIÖNE hodierna D. Paulus cū primis ad charitatē erga Deum, deinde erga proximum exercendā nos hortatur. Quo verō animatiores, paratioresque ad hanc amplectendam reddamur, vocat nos filios Dei dilectos. Deus ipsissima charitas est, teste Ioanne; & charitatem suam opulentissimè erga nos declarauit, quod in filios adoptauerit nos charissimos, cum filij iræ essemus. Iam verorum filiorum est, imitari sedulo parentem suum. Aequum igitur existit, vt & nos patrem nostrum Deum imitemur, hoc est, & ipsum redamemus, & in eius gratiam diligamus proximos, vt tali modo legem totam adimpleamus. Agit autem hac Epistola Apostolus quatuor.

I Primò, Docet absolutam Christianæ vitæ perfectionem consistere in imitatione Dei. Collocat autem hanc Apostolus non in productione rerum ex nihilo, quod solius diuinæ potentiae est: non in gubernatione caelestium, terrestrium & infernorum: neque in potenti illa virtute, qua absoluta sua potentia omnia quaecunque vult, facit, tam in caelo quam in terra. Nam quia hæc ambierunt Lucifer, Adam & Eua, atque Nabuchodonosor, vt patet Gen. 3. Isai. 14. Dan. 4. grauiter ceciderunt: voluerunt, inquit August. rapere diuinitatem, & perdiderunt felicitatem. Sunt hæc enim ita propria & peculiarioria ipsius diuinæ naturæ, vt nulli creaturæ, ne angelicæ quidem, communicari possint: multò minus imbecilli nostræ naturæ. Proinde cum hæc impossibilia sint, qualia nunquam præcepit Deus; Præceptum enim quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, &c. sed propè est verbum in ore tuo, Rom. 10. Deut. 30. hanc imitationem constituit in dilectione Dei & proximi, in qua, vt est Matth. 22. & Rom. 13. vniuersa lex pender & prophetæ. Cum igitur hæc sola sit, quæ (vt habet August. tractat. 5. in Ioannem) diuidit inter filios regni & gehennæ, meritò in ea Apostolus perfectā Christianæ vitæ sanctimoniam constituit, quando sine illa in nobis nihil esse possit, quod æterno patri aliquo modo placere queat, i. Cor. 13. Præcipit autē Apostolus non qualemcumque

Perfessio Christianorum absoluta consistit in imitatione Dei.

Præcepta Dei non sunt impossibilia. Charitas diuidit inter filios regni & gehennæ.

dilectio-

dilectionem, quam videlicet ipsa suggerit natura, qua amicos, parentes, nos ipsos, diuitias, & benefactores diligimus, quam & ethnici, & vt loquitur Christus, Matth. 5. publicani habent, sed talem, quam non tantum docendo inculcauit, sed coram exhibuit ipse Dei filius, qui ex singulari charitate nos, cum inimici essemus, dilexit, Rom. 5. vocauit cum auersi essemus: iustificauit cum peccatores essemus, Rom. 8. Ephes. 1. denique pro persecutoribus cum lachrymis orauit, vt non perirent, Hebr. 5. & exauditus est. Talem denique, qua, vt est Matth. 5. diligimus inimicos; benefacimus iis, qui oderunt nos: & oramus pro persecutoribus & calumniatoribus nos. Illam etenim intelligit Apostolus, dum ait: *Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, &c.* Sicut enim illa Christi hostia Deo patri fuit gratissima, ita & illa charitas, qua Deum proximamque diligimus, est longè gratissima, Ioan. 13.

*Charitas Dei
& proximi
gratissima
Deo hostia
est.
Charitatis
gradus.*

Non autem solam fidem eius sequelæ argumentum siue periculum nobis præbet, sed charitatem; præcipuè verò indulgentiam, qua nos offendentibus errata & iniurias ex corde condonamus, nedum sufferimus. Charitatis siquidè gradus sunt: Primus, amare Deum ante omnia, Matth. 22. Secundus, fratrem amare tanquam seipsum, 1. Ioan. 4. Tertius, etiam hostem, tanquam fratrem, propter Deum, Luc. 6. Religionis Christianæ hic est cardo.

2. Secundò, Ethices præcepta formandis scilicet moribus pernecessaria præscribens, ab ipsa pudicitia orditur. Siquidè luxuria, fornicatio, & adulterium, quibus non tantum in Deum, sed in proprium corpus peccatur, 1. Corinth. 6. nec solum in filios constituunt, sed membra quæ templa Spiritus S. esse debebant, corrumpunt: quod in iis cernere licet, qui in passionibus desiderij voluptatibus suis seruiunt, nec ante desistunt, quam sanie ac tabo disfluentibus membris miseri languent; quanquam ne sic quidem fomes illè peccati; concupiscentia habitans in membris; & passiones peccatorum malam deferant voluntatem. Siquidem Augustino teste libr. de nuptiis & concupisc. cap. 25. tantas subinde vires accipit, vt deficientibus membris, eisdemque corporis partibus ad illud opus minus valentibus, turpius & protacius insanire non desinant. Quod cum intellexerit Apostolus nomine fornicationis & immunditiei, omnem actum vñereum extra legitimum vsum matrimonij illicitum, & lege Dei prohibitum, Rom. 1. Coll. 3. 1. Thess. 4. 2. Petr. 2. & Deut. 23. Osee 4. Matth. 15. 1. Cor. 5. 6. Act. 15. interdixit: ad eò vt inter fideles ne nominandam quidem putarit illam impietatem, quam hodie ludam tantum arbitrantur nostri Sardanapali, cum tamen olim

Luceria. fornicatio, adulterium non solum filios iræ constituit, verum membra quæ Spiritus S. repleta esse debent, corrumpunt.

Adulterium quomodo olim puniebatur.

olim Iudæi illam morte punierint, Leuit. 18. Aegyptij virgis castigarint: & Arabes capitis supplicio vindicarint: & hæc soli illi qui de Christi Iesu fide gloriatur & religione, iocum æstimabant, & inultam sinent; in leuiores defectus grauissimè animaduertentes. Væ iis qui dicunt malum bonum, & bonum malum; dulce amarum, & amarum dulce.

Prudenter autem Apostolus huic morbo qui non animū tantum, sed corporis medullas perrodit, auaritiā, quā omnium malorum radicem appellat, coniungit; quod nulla lues æquè omnes animi potentias, scilicet intellectum, memoriā, & volūtatem corrumpat, atque hæc auaritię pestis, quę deiicit homines in laqueos diaboli, & in interitum, non secus atque idololatria solet, 1. Timoth. 6. Contra auaritiā vides plura itidem sacris literis commissa, Exod. 18. Isai. 56. 57. Hierem. 22. Ezech. 10. Luc. 12. Rectè ergo Apostolus hæc vitia non tātum vitanda, sed ne nominanda censet, eo quod iuxta illud Menandri, colloquiā praua corrūpant bonos mores, 1. Corinth. 15. Minus immūditiarum haberemus in Ecclesia, si etiam minus esset turpium colloquiorum. Obserua quā spiritui Dei displiceant vitia auaritię & scortationis, vt etiam Apostolus voluerit eorum prohibere commemorationem. Sed heu arx & frugalitatis & castimonie est planè expugnata. Regnat Pluto in terrarum orbe: capit hoc idolum tributum de omni alimonia, humano generi, ad sumendum cum gratiarum actione, concessa. Tot vsurarij, tot telonearij, tot sunt denique exactores, vt miseri agricolę laborum suorum fructu vtinō possint, nisi eos primū carissimè decies propemodum emant. Sic & cupido totam mundum sub iugū misit, vt crassissima vitia sacrilegij hodie & lenocinij, præcipuè religionis sibi speciem emereantur. Nihil scortatio hodie æstimatur, quanquam Euangelici fratres sibi ex eius vitij condemnatione placeant immōdici. Nam qui ferunt polygamiam, iam certè scortationem immunem peccati non modò habent, sed & iustificat. Summa, vsque adeò fidelibus ethnicorum interdicit mores malos, vt etiam nolit ea eloquio exprimi. vnde sequitur:

Quod decet sanctos. Sanctos Domini decet sanctitudo in longitudine dierum; debent enim ij qui Christi censentur nomine, se ita gerere, ne tantam religionem apud infideles faciant malè audire, Philip. 2. Apostolus vult decorum hoc verbis præsentibus nobis commendatum adeò, vt etiam nolit saltem in verbis aliquid turpè effutire. Qui custodit os, custodit animam, ait Sapiens. Vide 1. Tim. 2. Apostolum velle, nostrates se gerere, vt decet sanctos. Item Tit. 2. monet, vt doceamus ea, quæ saluari conueniunt doctrinæ.

Auaritia omnium malorum radix.

Auaritia regnat in orbe.

Libido regnat in orbe.

Sed quia sunt nonnulli, qui se satis arbitrantur religiosos, si vitam nullo crasso vitio contaminarint, dicentes cum Quindio & Martiali: Lasciua est nobis pagina, vita proba. Apostolus non facta solum inhonesta, sed etiã colloquia obscena, imò etiã vrbana prohibet. d. *Aut turpido, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio.* Sed & linguam refrenandam monet quoque B. Iacobus cap. 1. dicens præcipuè hic versari religionem. Sed heu vsque adeò libido quiduis dicendi & effutiendi in Ecclesia popularis est facta, vt ne quidem cathedra & altaria à vaniloquio, imò etiã turpiloquio sint immunia: taceo de prophantis, quibus hæc vitia vt plurimum sunt communia. At Christianos magis decet gratiarum actio: Semper laus eius in ore meo, inquit Propheta. Item: Laudate Dominum semper. Et B. Petrus in priori cap. 4. Si quis loquitur quasi sermões Dei. Os enim nostrum (teste Bernardo) diuinis oraculis est consecratum. Quicquid ergo ex eo otiosum vel immundum exierit, pro sacrilegio est habendum.

*Christianos
decet gratiarum
actio.*

*Boni à peccatis
desistunt
virtutis amo-
re, & mali
formidine
pœna.*

3. Tertio, Hortatur ad pietatem spe mercedis, & metu supplicij. Quia sic comparatum esse videbat, vt boni à peccato desistant virtutis amore, & mali formidine pœnæ. Proponit itaque singulari non tantum rhetorices artificio, sed Spiritus sancti impulsu piis immarcescibilem illam gloriæ coronam, tanquam bonorum operum mercedem, 2. ad Timoth. 4. impiis verò horrendæ gehennæ supplicia, tanquam stipendia peccatorum, dum ait: *Hoc autem scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, immundus, & auarus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Ergo à contrario, iturus in ignem æternum. Nam vt habet Augustinus lib. 6. contra Donatistas, cap. 8. factis Deum negat; spem non habet, quia malam gerit conscientiam; perfidus est, quia id non agit quod Deo vouit: & dæmoniacus est, quia diabolo in suo corde locum præbet, vt non immerito illi iungantur in pœnis, cui voluntate, & toto cordis affectu seruierunt, nisi vera subsequatur admissi sceleris pœnitentia, quæ virtute meritorum Christi deleat non ipsa tantum peccata, sed ipsas quoque pœnas peccatis debitas. Nemo ergo in hoc regno Christi & Dei habet hereditatem, nisi qui filius esse meruerit; quia si filij & hæredes, hæredes quidè Dei, cohæredes autem Christi. Ab hac autem filiatione quis magis alienus, quàm fornicator & immundus, aut auarus, cum pater noster cælestis, & eius filius Iesus Christus sint mundissimi, & largissimi? Siquidem caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, ait Apost. 1. Corinth. 15. & 1. Corinth. 6. Ne erretis, inquit, neque scortatores, neque cultores simulacrorum, neque adulteri, neque molles, neque qui concumbunt

*Hereditatem
in regno Dei
nemo habet
nisi filius.*

bunt cum masculis, neque fures, neque auari, neque ebriofi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt, sed Rom. 1. qui talia faciunt, digni sunt morre. Item Hebr. 13. Fornicatorotes & adulteros iudicabit Deus. De immundis B. Ioannes Apoc. 2 1. testatur, d. quoniam nihil coinquanatum intrabit in illam, scilicet Hierusalem caelestem, sed pars eorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. De auaris autē quis iam dubitet eos in regno Christi, & Dei hæreditatem non habere, cum ex sententia Christi, Matth. 19. facilius sit camelum per foramen acus trāsire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum: & nemo possit seruire Deo & mammonæ, Matth. 6. & palam audias Apostolum testantem, quòd auaritia idolorum seruitus sit, iuxta illud Osee 8. Aurum suum & argentum suum fecerūt sibi idola, quibus non oues, non vina libant, sed animam longè istis præstantiorem. Nam vbi thesaurus eorum, ibi & cor eorum est.

Quia verò tam cæca est natura, vt prona semper in præceps ruat, longèquē aliter de Deo, veritate scripturarum, & iusticia non tantum sentiat, sed etiam loquatur, quasi videlicet huiusmodi acerbæ comminationes hyperbolæ tantū sint (neque enim credere possunt tantam in Deo esse tyrannidē, vt momentanea peccata æternis suppliciis vindicare velit: quò fit, vt consuant multi puluillos sub omni cubitu, Ezech. 13.) ideo eleganter eos perstringit Apostolus, admonens fideles, ne decipi sese patiantur inanibus verbis, hoc est, verisimilibus argumentis ex scripturis non rectè aut citatis aut intellectis, ex iudicio rationis, aut ex philosophia petitis, quibus facilè credere imperiti solent, maxime si ea quæ carni adlubescant, suggerantur. Quod non aliunde quàm ex iusto Dei deserentis iudicio contingere docet August. lib. 5. ca. 3. contra Iulianum.

Hæreses quas futuras nouit, hîc ferit Apostolus. Confutatur hîc Aetianus bonorū operum hostis, qui docuit solam fidem saluare, credenti nullum peccatum imputari, &c. Iouinianistæ item hîc confutantur. Iouinianus exiticius apostata, vt infamix suæ fucum imponeret, meritum nupriarū, virginitatis aureolæ æquauit: ieiunantes præ comedentibus aliquid præmij manere in regno cælorum negauit. Faciunt & hoc noui Iouinianistæ, bis perfidi homines, Ecclesiæ hostes priscais hæreticis omnibus peiores; quippe qui ausi sint toties damnatas hæreses excitare, habere sibi videntur loca pro se, Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & Tit. 1. Mundis omnia munda. Viderint an Deum diligat, qui Ecclesiam contemnit. Viderint vt se de munditia

Natura cæca.

Verba inania, qua vocet A. postolus.

iaçter, qui non solum in carnalibus implicitus est vitiis, sed & ea quoque iustificat. Sunt & in Ecclesia falsi catholici, quorum proverbia extant hæc tria: Diabolus adeò tener non est, atq; pingitur; Infernus non adeò, vt fertur, feruet: Deus non adeò seuerus est, &c. Audiatur Apostolus. *Propter hæc, inquit, ira Dei venit in filios dissidentie, hoc est, inobedientiæ. Nolite ergo effici participes eorum.* Sensus est; Exempla perditionis nolite imitari, nam si ea secuti fueritis, similiter cum impiis peribitis.

Diffidere est non obedire.

4 **Quartò,** Ostendit dignitatem eorum qui crepti de potestate tenebrarum, ignorantia veritatis, & de vinculis peccatorum, cõsecuti sunt libertatem gloriæ filiorum Dei, cognitionem scripturarum, atque iustificationem vitæ; horum enim alia longè est conditio & dignitas quàm ante; siquidè prius fuerant serui peccati, capriui ad ipsius volutatem: hoc enim est quod ait: *Eratis aliquando tenebræ, obscuratum scilicet habentes intellectum, Ephes. 4. alienati à via Dei.* Quod in ipsis non tantum peccatum fuit, sed & pœna peccati: siquidè subinde solet Deus peccata peccatis vindicare, vt docet August. lib. 5. contra Iulian. cap. 3.

Dignitas creptorum à potestate tenebrarum.

Peccata peccatis solet Deus vindicare.

Apostolus autem ostendens à quo sint non tantum illuminati, sed etiam abluti, sanctificati, & iustificati, quod est, vt loquitur Apost. esse lucem in Domino, & habere illuminatos oculos cordis, ac scire quæ sit spes vocationis, hortatur, vt nihil quod huic derogare possit, admittant: ideo inquit; *Vt filij lucis ambulate.* Non estis enim filij, neque noctis, neque tenebrarum, 1. Thessal. 5. vt scilicet aut dormiatis, aut ebrij sitis, vel in cubilibus aut impudicitis turpiter luxuriantes, Roman. 13. (quæ enim in occulto sunt ab ipsis; turpe est dicere) aliquid præter vocationis vestræ dignitatem admittatis, sed velut dieci filij sobrij sitis, induti thoracem fidei in charitate, galea armati spei ad salutem. Si verò hanc prout oportet, tueamini, mox admirandam illius suauitatè experiemini. *Sunt enim fructus lucis in omni bonitate, qua ex bono thesauro proferimus ad ædificationem, quæ sunt bona, pudica, & sancta; iustitia, qua reddimus vnicuique quod suum est, Deo gloriam & honorem, proximo amorem ac ædificationem: & veritate, qua dirigimur in perfectam cognitionem voluntatis Dei, vt hæreses omnes detestemur, & fidei integritatem amplectamur.* Christus qui vera lux est, & vita, nobis, quos ad admirabile lumen vitæ (hoc est, ad suam gratiã) vocauit, det, ne in vanum gratiam eam receperimus.

Fructus lucis in quibus consistant.

EPILOGVS.

Apostolus presentì Epistola primò hortatus est, vt induamus Christi conuersionem. Secundo admonet, vt potissimum scortationis vitium vitemus, et hinc peculiaris-

peculiarissimum. Tertio hortatur, ne hereticorum nanis, bonis operibus suam virtutem denegantibus, aures accommodemus. Meminerimus itaque hic nostri probe muneris, meminerimus etiam (si negligentes fuerimus) nostri periculi, adeo que ambulemus summo conatu in dilectione & erga Deum & erga proximos, sic que sinu grati.

vitiū scortationis ebrietas peculiarissimum. Rom. 1.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE, EVANGELIYM.

Et erat Iesus eiciens dæmonium, & illud erat mutum, &c. Finis Evangelij: Quinimo, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. Matth. 9.

IN HOC Evangelio insignem, irrefragabilemque habemus confirmationem, quod Iesus ille Nazarenus (Dominus & servator noster) verè is fuerit, qui caput serpentis antiqui contriturus erat, qui, inquam, nos ac cunctum mortaliū genus à diaboli potestate, tyrannideque solus adferere debebat, poteratque & volebat. Nam id inde eluxit plus factis, quod eiecit hic dæmonium ex homine muto cæcoque: ut & aliàs sæpe multas dæmonum legiones ex aliis eiecit, Matth. 4. 7. 8. 17. Marc. 1. 5. 9. 16. Luc. 4. 8. Vnde etiam olim dæmonia nomini eius cesserunt: & idola concionantibus Apostolis obmutuerunt: imò exorcismis in Ecclesia, qui vim à Christo habent, fugantur dæmones, & salus acquiritur. Quorum meminit Dionysius Eccles. hierarch. cap. 1. Chrysost. hom. de Adam & Eva. August. de gratia, & peccato Origin. cap. 60. Prius quidem quam is Iesus in mundum venisset, in maxima Sathau vivebat pace, liberè raptas è paradiso animas possidebat, à nulloque prorsus sibi timebat homine. De nullo enim prophetarum aut patriarcharum legimus, qui eiecerit unquam dæmonium, & si alia aliquādo miracula patrarunt illi: Solus nimirum David (vt in 1. lib. Reg. est cap. 16) citharæ suæ cantu effecit diuinitus, vt obsessus Saul minus à spiritu malo torqueretur: verum nequaquam expellere hunc, & liberare illum poterat, quod ea scilicet potestas soli ipsius filio Messiae fuerit reseruata. At posteaquam iste Davidis filius, qui nempe noster Iesus est, venit, repperit diabolus magistrum suū, qui cedere (voluerit, noluerit) coactus est, à quo & deuictus est & alligatus, à quo denique raptis animabus exutus est. Quod innuitur Apoc. 20. vbi sic habetur: Et vidi angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnā in manu sua, & apprehēdit draconem serpētem antiquum, qui est diabolus & sathanas, & ligavit eū per annos mille, & misit eū in abyssum, & clausit, & signavit super illū, vt non seducat amplius gētes, donec consummentur mille anni, & post hoc oportet illum solui modico tempore, &c. Præsertim tria agit hoc Evangelium.

& 12. Marc. 13. Genes. 3.

Potestas expellendi dæmones soli Christo reseruata.

1 Primò, Insigni miraculo ostendit Christi tum clementiam tum potentiam erga miserum, in quo mirè exercuerat dæmon suam tyrannidem. Nam vera fidei cognitione, quam corporis cæcitas significabat; auditu verbi, quo saluantur animæ, quod surditas pulchrè adumbrat; & peccatorū confessione, & laude Dei, illum priuauerat, quòd intelligeret iis potissimum veram salutis rationem homini posse contingere. Grassatur enim potissimum falsis de Deo opinionibus, ignorantia veritatis; & cupiditate peccandi: vt scilicet totum hominem perdat. Imò tanta illius est malevolentia, atque adeò potentia, vt iusto Dei iudicio id permittente, his armis multos deiiciat, suaque tyrannide & cæcos, & surdos & mutos huius dæmoniacy instar plurimos faciat; cæcos quidem, vt non videant sentiantque peccata, & summam suam miseriam, 2. Cor. 4. In quibus Deus huius seculi excaecauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, &c. In hoc non absimilis coruo, qui homini suspensio primum oculos eruit, atque effodit; surdos autè, ne audiant verbum Dei, indeque ad sui cognitionem perducantur, quia nouit scriptum, Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: item illud Pauli, Rom. 10. Fides ex auditu; mutos verò, ne, etiam si verbum Dei & veritatem audirent, illud tamen confiteantur, dentque gloriam Deo, ne etiam propria delicta confiteantur; in hoc non absimilis lupo, qui dum ouem aggreditur, prius guttur apprehendit, ne balatu suum periculum prodat, nouit enim dictum, Eccles. 28. Qui confessus fuerit & reliquerit peccata, misericordiam consequetur: Non tamen omnes deiicit, talesque efficit: nam impeditur Christi potentia, qua suos eripit de potestate tenebrarum; necnon eius misericordia, qua reos damnationis æternæ, misericorditer præuenit: vt quemadmodum hunc miserum à dæmonio liberauit, ita eos ex filiis diaboli, faciat filios Dei, concessa remissione peccatorum, qua dignè possint suam Deo laudè tribuere, illi gratias agere, inuocare, agnoscere, & diligere: hi enim effectus vt meritorij sint, remissionem peccatorum sequuntur, non præcedunt. A mortuo enim perit confessio, Ecclesiastici 17. Tanta tamen diaboli in hominem est tyrannis, & inuidia, vt è paradiso Adamum eiecerit, Genes. 3. mortem induxerit, Sap. 5: & verum Dei cultum in idololatriam commutatit. Imò si præualeret, omnem hominem, & omnem spiritum qui sub cælo est, subito in ictu oculi perderet inquit Origen. li. 1. in Iob. Dæmones, Gregor. Nyssen. orat. in Basil. fratrem, hominum tortores esse dicit, quorum malitia simul cum ætatibus hominum extenditur, adeò vt etiam nunc visibiliter aliquando homines torqueant.

Quòd

Tyrannis diaboli.

Diabolus non absimilis coruo.

Diabolus similis lupo.

Quòd hominibus adeò sint infensi, fit propter odium in creatorem: & inuidiam in hominem; & desperationem suæ salutis. Basilius quoque conc. quòd Deus non est author malorum, bellum ipsi, inquit, aduersum nos est, quia receptaculum est omnis malitiei, suscepit etiam inuidiæ morbum, & inuidit nobis honorem.

Quantum igitur ad miraculum attinet, audiuius eiecisse Dominum ab homine sibi adducto dæmonium mutum, mutumque hæcenus statim esse locutum rectè. Matthæus dicit insuper, dæmoniacum illum & cæcum fuisse, recepisseque ob id visum etiam vnà cum loquela. Sic nimirum (vt & B. Hieronymus admonet) tria signa simul in vno homine perpetrata sunt: Cæcus vidit, mutus locutus est, & possessus à dæmone liberatus est. Quod dæmonium hîc mutum & surdum, & cæcum dicitur, non quòd id ipsum tale sit, sed quòd mutos, surdos & cæcos homines reddat. Sequitur: *Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus.* Ab effectu ipso perfecta curatio dignoscitur, vt cum paralyticus grabatum tulit, Ioan. 5. cæcus vidit, Ioan. 9: & mortuus resedit, Luc. 7. Verùm neque nos aliquid in laudem eius loqui possumus, nisi ipse dederit. Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu S. & in eo clamamus Abba Pater. Eo donante est fides, Ephef. 1. Imò ne cogitare aliquid sine ipso valemus. Hinc iugiter cantandum: Domine labia nostra aperi: Domine adauge nobis fidem. Item feruenter orandum: Aperi Domine & oculos, & os & aures eorum qui ab Ecclesia tua descuerunt, vt cognoscant, videant, & fateantur, quod non est alia quàm tua hæc Ecclesia Domine. Verùm Christus non tantum quosdam à corporali sathanæ obsessione reddidit liberos, sed etiam à spiritali, perniciosissimaque hac sathanæ tyrannide ac obsessione vniuersum genus humanum liberauit. Nam illuminauit gratiæ suæ lumine sedentes in tenebris & umbra mortis, Luc. 1. aperuit surdas animi aures, per digitum Dei, seu per Spiritum sanctum: referauit denique linguarum vincula, & has ad cõfitemdum nomen suum, laudesque Dei inflammauit; sicque ex captiuis, seruisque diaboli fecit nos Dei filios, ac vitæ æternæ hæredes. In hoc quippe apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, 1. Ioan. 3.

2. Secundò, Proponit quàm varia fuerint de hoc Christi facti hominum iudicia. Nam alia Pharisæorum maledicentiũ & calumniantium: & alia plebis admirantis & obstupescens virtutem & potentiam Christi. Adeò mirabilia sunt opera Dei, vt Psalm. ait, & stupor erigit considerantes beneficia eius. Sic mirati Aegyptij sunt, dicentes, Exod. 14. Fugiamus ab Israël: Mulieres cantâtes, 1. Reg. 18: Percussit Saul mille,

& Daudid decem millia: Iudæi in Apostolis, Act. 2. Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt: Sic etiam in Pauli cōuersione, Act. 9. An non hic est, qui uinctos, &c. Plebs enim dixit, vt apud Matthæum est: Num hic est ille filius Daudid? Quod eandem habet assueuationem, quam & illa apud Ioannem turbæ oratio: Christus, inquirunt, cum uenerit, nunquid plura signa faciet, quam hic facit? Nemo tam cæcus, iudicijque inops esse potest, qui ex tantis Iesu uirtutibus non colligat & uideat ipsum esse filium Daudid, quem in solio patris perenniter regnaturum prædixerunt sancti propheta. Esai. 9. Pharisei autem vt audierunt turbam tam magnificè de Iesu sentire, dixerunt: *In Beelzebub principe demoniorum eicit demonia.* Hoc utique dixerunt impurissimi Pharisei, excaudescerent ob mirabiles Christi Iesu uirtutes. Et hoc utiq; uerè est peccatum in Spiritum s. in uirtutibus opera Dei uidere, & tamen calumniari dæmonis opus esse, ait Hieron. tract. 2. parte 2. epistolarum, Epistola 22. ad Marcellā. Quasi dicant: Vos arbitramini Iesum istum esse Christum Daudid filium, idque ex factis eius miraculosis colligitis: sed aberratis toto cælo stulti & nimis creduli. Cum uerus Messias, germanusq; Daudid filius ueniet, diuina instructus uirtute ueniet, & digito Dei designabit omnia. Quæcunque uerò uerè ille Iesus facit, non Dei, sed diaboli uirtute facit: Habet enim Beelzebub, ac familiarem spiritum; exercet magiam, & necromanticis uirtutibus demeritat homines. Non ergo Messias aut Daudid filius est, sed filius Sathana: odio solo agitati, nihil sordidius inuenientes, quod Domino obicerent, sustinere non ualentes vt turbæ ipsum laudaret, Christumq; prædicarent: Inuidia enim, ait Chrysost. non cōsiderat quid, sed tantum vt dicat. Nulla enim peior malitia inuidia. Nam alij quidem homines si animantes rationis expertes dilaniari uiderint, aliquantum commiserentur: hi uerò homines, cernentes beneficium salutis homini cōferri, expallescunt, & in ferocitatem cedendi benefactoris conspirabant. Vide figuram Ioseph, Christum experimentem, Gen. 37. Idem sanè in omnibus Dei, Christi, & Ecclesiæ aduersariis colliges. Quæ enim pia & sancta sunt, impia dicere audet & prophana. Sic Gentiles olim Christianis magiam, & infanticidium inculcabant, imò & adulteria & incestus, vt Tertullian. in Apologetico contra Gentiles, cap. 9. habet. Sic irrisus etiam à Iuliano Apostata Christus, eum fabri filium dicente & Galilæum per elusionem & contemptum: sed mortis eius omen securum est, Nicephor. lib. 10. cap. 35. Vigilantius quoque reliquiarum sacrarum uenerationem, idololatriam uocabat, vt Hieron. ad Riparium recenset. Gnostici uerò nostri, quæ non Ecclesiæ dogma-

malitia peior
non est inu-
dia.

dog-
git e
gian
rus,
ba à
me
Sub
uenc
chri
ne li
mon
com
E
quil
effe
ram
fine
geli
tem
ri p
gno
luc
vid
que
nia
hur
2.
eda
hab
bus
que
foli
fior
vir
3.
tia

tio
effe
eni
nit
tis
ad
rac
ma

dogmata, traditiones, sacramenta diabolo ascribunt. Assurgit enim aliquis ex his, vt Beszius, Eucharistiam nostram magiam vocans: atqui ea securus natauit inter naufragia Satyrus, vt Ambrosius narrat: & ea accepta, puella quaedam Araba à dæmone obsessore liberatur. Missam alij diaboli commentum vocant: ea verò celebrata sub Augustino, in fundo Subedi maligni spiritus abscesserunt. Reliquiarum sacrarum venerationem à diabolo repertam iactant, cum terra sepulchri D. Thomæ filium Mesdei appensa illius collo à dæmone liberarit: & Chrysoströmus ipse dicat ossa sanctorum dæmones sistere ac torquere. Quomodo ergo hæc dæmonum commenta sunt, quæ dæmones eiiciunt?

Ex quibus agnoscere licet diuersa hominum ingenia, in quibus vna atque eadem Christi operatio varios producit effectus. Nam vt solis eadem operatio lutum indurat, & ceram emollit: ita hoc Christi stupendum miraculum in hunc finem editum, vt se verum Messiam, Dauidis filiū, ac Euangelij doctrinam confirmaret, istis fuit odor mortis in mortem, illis verò odor vitæ in vitam: vt non immeritò admirari possimus abditissimum abyssum iudiciorum Dei, quo dignos deserit deserit, non impartiendo gratiam qua veritatis lucem amplectantur, sed ita relinquendo; vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant, Isai. 6. Ioan. 12. Itaque quod debuissent adscripsisse potētiae diuinæ, per calumniam Beelzebub tribuunt. Ita enim solet paulatim crescere humana malitia: nam 1. negant Christum esse filiū Dauid. 2. pollicentur se credituros, si non tantū terrenum aliquod edat signum sed cælestē; quo planè constaret illum cum Deo habere commercium qui in cælestibus est, & cum dæmonibus immundis, quorum præstigia nasci solent è terra, nullū, quemadmodum Iosue solis fecit stationem, Ios. 10. Isaias solis retrogressionem, 4. Reg. 20. Isai. 38. Helias ignis descensionem, qui consumpsit holocaustum, 3. Reg. 18. item duos viros quinquagenarios, 4. Reg. 1. quæ maxima erat ironia. 3. principi dæmoniorum tribuunt, quod sola diuina potentia fieri animaduertebant.

Christus autem pro singulari sua clementia, visis cogitationibus eorum, quo intelligat eum non purum hominem esse, qui corda cognoscit; sed neque à Beelzebub adiutum, is enim cordis occulta aspicere non potest, sed solus Deus, leniter hæc ipsorum calumniam tribus efficacissimis argumentis refutat, non tam sui, quam patris sui æterni causa: atque adeò Euangelij quod mundo attulit. Nam si admisset miracula sua, virtute dæmonum fieri, doctrinam quoque suam mox suspectam fecisset, quasi eodem spiritu profectam quo miracula,

Abyssus iudiciorum Dei abditissimus.

Confutatio Christi aduersus Scribas.

Regnū Roma-
nū quomodo
ceituit.

miracula, quod omninō ferēdum non erat: nam in eo cardo salutis humanæ versabatur. Itaque hanc calumniam confutat Christus ab administratione, cōcordia, & politia regnorum; quæ si his quasi vinculis non contineantur, subistere nequeunt, quemadmodum videre licet de regno Romano, apud August. li. de ciuitate Dei, quod propter latens odium; commodum proprium; & iuuenile consilium corruisse potius dicit, quàm per pugnas externas. Quid etiam victorem in Græcos Hæctora fecit ante Patrōcli eadem, nisi Græcorū principum Achillis scilicet & Agamemnonis discordia? verum rectè dici poterat: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Et vt de rebus diuinis quid inferam, vbi cultu diuinus est populus, ruit in captiuitatem. Sic Israël sub Nabuchodonosor, 4. Reg. vii. Quòd Iulianus contrarias Christo sectas admittit: quòd Valens Arrianus Ecclesias tradit, miserè moritur, imò Barbarorum suum imperium prædæ subiicit: quòd Valentinianus & Iustina Ecclesiam oppugnabāt, ab imperio fugantur. Ab Anabaptistis rebellio apud Monasterium, sibi rege suffecto Rullio, & Ioanne Leydano orta: à Zyvinglianis inter Heluetios; & nuper à Caluinianis in Reges & Principes catholicos ipsorum exterminij præcipua causa fuit. Vides igitur, vt nisi cemento lapides in cōstruenda domo vniantur, nisi tectū parieti hæreat, omnia corruāt: ita nisi vno fidei & charitatis spiritu colligemur, desolamur. Vnde corpus ruit nisi ab humorum redundancia & elementorum conflictu? Si membra à membris diuiderentur, adeò vt pro inuicem sollicita esse nollent, num breui corpus & membra ipsa interirent? Et si in vno exercitu tot fuerint Imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei; diuersitas vtique plus nocebit quàm proderit. Hoc igitur axioma vt suæ ratiocinationis fundamentum præmittit, quo & impossibile esse, vt in Beelzebub virtute dæmonia eiiciat, consequatur: & eorum ruinam futuram & desolationem (vt qui variè de ipso opinentur) concludat. Regnum enim Iudæorum & ciuitas Hierusalem ob diuisiones in proximo erat desolanda. Siquidem, *omne regnum in se diuisum desolabitur*; diuisum est autem regnū, vbi legitimæ potestati resistunt subditi. Ac quod de regnis & monarchiis, idem de priuatis familiis iudicium esse docet Christus, Eccles. 28. Prouerb. 29. Matth. 12. quòd, scilicet, concordia facilè crescant, & discordia dilabantur, etiam res maximæ. Ex his infert Christus, fieri non posse, vt Sathan Sathanam eiiciat. Nam Marc. 3. Si Sathanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, non poterit stare, sed finem habet.

Sallustiu.

Apostoli ex-
orcista.

3 Tertiò, Ex proprietate exorcistarum vel Apostolorum energu-

energumenos iuuantium : Ducis atrium suum defendentis contra iniuriam hostium: & immundi spiritus veterem suā mansionem repetentis efficacissimè docet criminationis huius falsitatem, atque in ipsos accusatores calumniam retorquet, docens se non alio spiritu quàm sancto dæmones abigere, quemadmodum ipsorum filij, sui nempe discipuli ex ipsis prognati, quos vel inuiti fatebantur Spiritu sancto id facere. Vult ergo dicere Christus: Apud vos sunt exorcistæ qui exorcismis à Salomone inuenis sæpe ab obsessis dæmonia eiiciebant. Hos quidem non in Beelzebub, sed Dei virtute dæmonia eiicere fatemini, cur non idem de me iudicatis? Vel Apostoli mei & alij in meo nomine dæmonia eiiciunt. Cur non igitur faciam ipse nō mutata virtute, quod in meo nomine patrant Apostoli?

Ideo iudices vestri erunt, scilicet aut Exorcistæ, non potestate, sed causa, quia Iudæi cum de filio Dei dubitant fatentur, quod de exiguis hominibus profitentur, sententiā incurunt: Aut Apostoli testes meæ virtutis, & vestræ nequitiae, sedebunt super sedes duodecim iudicantes, &c. Matth. 19.

Si autem in digito Dei eiicio dæmonia, profectio peruenit in vos regnum Dei. Quod enim Lucas digitum nuncupat, alij Euangelistæ spiritum vocant. Vbi ergo docuit se non in Beelzebub eiicere dæmonia, subiicit se in spiritu & virtute Dei id fecisse. Nam Tertul. li. 4. in Marcionem, per digitum Dei modicam creatoris virtutem intelligit, summam tamen. Sic etiā apud Pharaonem venefici virtutem Dei significarunt, Exod. Et sicut digitus cum manu, brachio & corpore vnus sunt in natura, ita pater, filius, & Spiritus sanctus, tres quidem persone sunt, vna autem diuinitatis substantia. Qui Spiritus s. (vt August. inquit lib. 2. quæst. Euangelic. cap. 17.) digitus dicitur propter partitionem donorum, quæ in eo dantur vnicuique propria, siue hominum, siue angelorū. In nullis enim membris magis apparet partitio quàm in digitis.

Admonet quoque his verbis Iudæos potius exultare, & præparare se debere ad ipsum, per quem aditum ad patrem habemus (Ephes. 2.) recipiendum, quàm calumnias & blasphemias illi impingere.

Maiori robore confirmatur quod dictum est, cum infert: *Fortis armatus cum custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Ad eò, inquit, procul absum, vt socio, vt coadiutore diabolo utar, quod bellum mihi perpetuum cum eo est, & vincitum vincio atque spolio; cuius rei certū illud vestigiū est, quòd vasa eius direpta videris. Fortis armatus sathan est; vt qui in homines perpetuò pugnet, & præ-

& præualeat sapius. Atrium illius mundus, infernus, & conscientia impiorum. Pax illi est, cum non adest Dei gratia. Fortior illo est Christus. Vasa electi, qui olim fuerant diabolo subditi. Direpta hæc, quoniam à diaboli laqueis eruta. Arma diaboli, chirographum decreti nobis contrarium, quod Christus in cruce deleuit. Coloss. Spolia distributa, electi ad varia Ecclesiæ munia, delecti in ædificatione corporis Christi, Ephes. 4. aut variis cæli mansionibus deputati, Ioan. 14. Pulchrè autem ostendit hic Christus naturam inuidiæ, quæ de rebus optimis iudicat pessimè, atq; de rebus pessimis optimè. Nunquam enim iudicium aut rationem in iudicando sequitur, sed corruptam affectionem.

Invidia naturalis.

Cæteris autè duobus argumentis ostèdit vsu huius miraculi. Significat enim regnū Dei, quod aduētus ipsius erar, (quo scilicet ipse potentia verbi sui in cordibus piorum regnaret, hoc est, vt contereret caput serpentis, Genes. 3. destrueret eum qui habebat mortis imperium, Hebr. 12. & deleret quod aduersum nos erat chirographū decreti, Coloss. 2. nosque faceret Deo nostro regnum) iam adesse, iuxta vaticinia prophetarum; id quod etiam ex ipsius miraculis animaduerti posset, quæ prorsus aliena sunt ab effectibus & operationibus sathanæ. Videre etenim licet, quòd Christus dispersa colligit, & collecta conseruat, Ioan. 11. Sathan verò collecta dispergit, sana debilitat, furatur, & mactat, Ioan. 10.

Opera diaboli Christi operibus contraria.

Vnde, testè Hieronymo, opera diaboli operibus Saluatoris comparari non possunt; quia ille cupit animas tenere captiuas, Christus liberare: ille prædicat idola, iste vnus Dei notitiam: ille trahit ad vitia, iste ad virtutem reuocat. Quomodo ergo possunt habere concordiam inter se, quorū opera sunt diuersa? Nulla enim societas luci ad tenebras, nulla conuentio Christo ad Belial, & nulla participatio iustitiæ cum iniquitate, 2. Corinth. 6. Verba hæc Christi: *Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, dispergit*, docent omnia dispergi, quæ incensore dæmone fiunt. Nam Nemroth dum Deo præualere sperat, lingua confunduntur, Gen. 11. Pseudoprophetæ qui coram Achab cum Sedechia vaticinati fuerant, mendaces tandem agnoscuntur, 3. Reg. 22. Baalini sacerdotes qui stare se putabant, dissipantur conditione ab Helia accepta. Ecquid Herodes, Pharisei, & Iudei in Christum præualuerunt? Dispersi sunt, nec potuerunt stare. Sic omnes hæreses dispersæ sunt, vt nubes turbinibus exagitate, 2. Pet. 2. Quoniam & inuicem aduersantur vt vulpes Samsonis, Origen. homil. 4. in Cantica cantic.

Retusis verò tam validis argumētis Pharisæorum calumniis, nunc adaperit porrò Dominus pœnam blasphemantiū, nempe

nempe sathanam eiectum reuerti in hominem vnde exierat, cum inuenerit hunc vacuum: Hoc Iudæis quidem cum primis accidit, qui sua obstinacia & blasphemia ipsum aspernabantur, inhonorabantque, ac sathanæ reditum præparabāt, à quo semel liberati fuerant diuinitus, cum scilicet adoptati fuere in filios in typo Abrahæ, Genes. 12: aut cum erepti ex Aegypto fuere, Exod. 14. Loca arida, animæ sunt humore gratiæ destituta. Requies dæmonis est aliquem seduxisse & possidere. Domus vnde exiuit, anima est cui tandem deputatus est; nobis enim bini sunt angeli, bonus vnus, alter malus. Scoparum mundities, hypocritica est, aut civilis honestas, seu iustitia, qualis erat Scribarum & Phariseorum. Spiritus septem nequiores, omnia vitiorum genera sunt. Nouissima peiora prioribus, vita est multò tandè peior & perniciosior, quàm fuerit antequam se iungeret Deo. Verùm eadem hæc comminatio & ad vnum quemuis nostrum pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel Euangelico sermone liberatus à spiritu malo huius mundi, negligenter habet donum Dei, nec curat ad perfectiora semper progredi. Certè ni partam per Christum libertatè & gratiã, non sedula modò peccatorum euitatione, sed & summo in progressu iustitiæ studio tueamur, ad nihil proderit nobis baptismus ac sacræ doctrinæ cognitio, nisi vt grauiorè condemnationem nobis ipsis accersamus in die iudicij: ideoque fatius nobis fuerit (iuxta D. Petri sententiam 2. cap. 3.) non cognouisse viam iustitiæ, quàm, vbi cognouimus, conuerti à sancto præcepto.

Atqui pulcherrima hæc Christi doctrina cum irrita in Pharisæis videretur, peperit tamen in vna muliere fructum veræ fidei & confessionis: nam nihil metuit magnates Christi inimicos, aded liberè de Christo loquuta est, vt exclamet, quocorū ora impudentia obtundat, sicut olim etiam in tormentis exclamabant martyres, vt septem Machabæi, & postmodum alij, vt Sebastianus, Laurentius, &c. atque de Christo magnificè prædicauit, d. *Beatus venter qui te portauit, & vbera qua* *seruasti. Quasi dicat Dei spiritu excitata: Calumniamini dicta* *& facta viri huius sanctissimi, quasi diaboli præsidio dicat &* *faciat quæcunque: ego verò ex verbis ipsius planè diuinis, ex doctrina sincerissima, & respõsionibus irrefragabilibus colligò, illum esse sanctissimum, optimum & beatissimum. Nec ipsum tantum Christum talem censet, sed & illius matrem. Sic implet quæ diua Virgo cecinerat, Luc 1. Beatam me dicet omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Et laudem ex aduerso blasphemix statuit. Quem enim Iudæi dæmoniacum dixerant, ista aded beatum censet, vt etiã*

Doctrina Christi quid in vna muliere peperit.

beatitudi-

beatitudinem matris prædicet. Quod ut nobis contingat, orâdus est Deus: nam & nos veritati adstipulari, eam defendere, eamque retinere oportet. Magna est veritas & præualet, 3. Esdr. 4. Porro ex illa occasione incipit Dominus commendare verbum Dei, dicit enim: *Quinimo: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Non negat neque reicit, quod dixerat mulier, sed maius infert. Quasi dicat: Beata sunt sanè viscera & vbera, quæ me filium Dei portauerunt ac nutrierunt; verum quòd hæc beata sunt, verbo Dei & fidei debentur. Id est, non est adeò quòd matrem meam laudes quòd me genuerit, sed quòd me gignere meruerit, & digna inuèta sit, quæ suo me virginico vtero gestaret. Prius enim eam verbum audire, & ei credere oportuit, quàm me conceperet. Vnde & ad eam Elizabeth, Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Ergo beati quoque sunt, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt, hoc est, fide illud recipiunt, & vitam suam iuxta illud instituunt. E quorum numero mater mea est: audiuit, credidit, seruauit omnia verba Domini, ea conferens in corde suo, Luc. 2. Hinc & beata est, & beati nuncupandi sunt omnes, non à parentum nobilitate, sed virtute & parentum & sua. His igitur verbis docet Iudæos beatitudinem veram attendere, sed quæ non in generis Abrahæ ostentatione, sed virtute consistat: nimirum ut quis audiat verbum Dei, nec in Christum blasphemet, sed ipsum à Patre propositum doctorem, & auscultet & obseruet, & quæcunque dixerit, custodiat. Vide Deut. 6. Psal. 118. Iac. 1. Rom. 2.

EPILOGVS.

Babylonis destruc- Habemus hic destructionem Babylonis, i. regni diabolici: & veri Israëlitis ca-
strucio veri ptini liberationem, factam nimirum per verum Messiam, seu Christum. Quo
Israëlis libe- (quemadmodum & ex apologia eius constat) certificamur esse ipsum etiã victo-
ratiõ. rem fortissimam fortis armati, dissolutoremque omnium operum illius. Quæ sanè
certificatione nihil nobis consolatorium magis potest esse, cum habeamus eum,
sub cuius præsidio ab omni sathana tyrânide possimus esse tuti. Videamus modò
nos, ut constanti fide fiduciaque adhareamus illi, nec desectamus ab eo fidè &
obediètia oculos. Sic enim verè in nobis implebitur quod pollicitus est, Luc. 10.
Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super om-
nem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Item Psal. 90. Super aspidem &
basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

FERVA SECUNDA HEBDOMADAE TER-
TIÆ QUADRAGESIMÆ, EPISTOLA.

4. Reg. 5.

Naamân princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud domnũ suum, & honoratus, &c. Finis Epistolæ: Cùmque vim faceret, penitus non acquieuit.
IN præsentī historia liquefcit quid noster Dominus & Deus possit per infirmum instrumentum hominem, ad hominum

minum salutem, quod alioqui supra omnium creaturarum vires esset. Potentiam eam Dei omnis cantat Ecclesia, qua Heliseus curauit Naaman. Epistolæ autem huius historia quatuor complectitur.

I Primò, Singularem regis Syriæ erga suum militiæ principem Naaman beneuolentiam & fauorem. Tales enim quoniam ad bella gerenda commodi sunt regibus tempore belli, ideo propter bella, in pretio habentur, quemadmodum apud Dauidem Ioab & Abner. Hic princeps militiæ merito regi Syriæ charus, quod toti regioni fuit admodum commodus. Executor namque fuit iustitiæ Dei aduersus impiũ Achab, 3. Reg. 32. Syriam liberauit à tributo & exactione graui, quam pendere cogebatur: Syriam item ab obsessioibus uiarum, ab omni genere larronũ expiauit, dignus omnino qui non solum apud regem Syriæ in pretio haberetur, sed quem omnis plebs proximè & secundum regem coleret & amaret. Sic enim habet textus: *Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. Erat autem uir fortis & diues.* Duces hodie utinam tales haberemus: hinc rex literis cõmentariis, & auctoritate regia munitis, illum in Iudæam ad regem, sanitatis recuperandæ causa, misit, concepta scilicet erga Deum Israëli fiducia ac spe sanitatis adipiscendæ, ex relato ancillæ captivæ, quæ ait: *Utinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria: profectio curasset eum à lepra quam habet: non odio habens idololatram, sed idololatriam, puella Israëlitica; in exemplum seruorum & ancillarum domino suo fidelissima.* Neque enim haberi in Deum fiducia potest, nisi ex auditu fidei, aut legis cognitione; quæ quod ad perfectum neminem adducere potuit, sed tanquam sub pædago suo continuit; ideo & parua & captiua fuisse describitur hæc ancilla: perfectio enim seruabatur per Christum adferenda. Neque verò nulla in ipso erat Naaman erga religionem pietas, morbi potentia id agente: peculiari enim esse solet Deo non tantum occulto nutu, sed quasi uiolento ad se quosdam uocare, nempe aduersitatibus, morbis, persecutionibus, & paupertate, aliisque id genus afflictionibus, quæ tum prodesse non tantum corpori, sed & animæ creduntur, cum ut habet Augustinus, ad meliora compellunt, iuxta illud Psalm. 118. *Bonum mihi quia humiliasti me, & Psalm. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Fir enim nescio qua natura prauis, ut in rebus prosperis Deum profus aut contemnamus, negligamus, nisi infirmitatis aliqua correptione coerceremur. Itaque principem hunc licet magnanimum, fortem, constantem, lepræ tamen morbo ita exercuit, ut honores & utilitates facile contempserit præ sola sanitate. Ex quo etiam abundè

Beneuolentia regis Syriæ singularis in suã militiã principem.

Naaman Syrius merito regi suo charus fuit.

Afflictiones ad meliora compellunt.

Natura humane prauitas.

constat, nihil ex omni parte esse beatum. Verum est in multorum ore tritum proverbium: Salubre corpus, & diuitiæ magnæ, raro in eundem hominem incidunt. Nihil enim in terra sine causa, Deus omnia benè fecit, Marc. 7. Sit nomen eius benedictum, Iob 1.

*Ioram regis
Israël perfidia
erga Deum.*

2. Secundò, Perfidiã Ioram regis Israël erga Deum viuuum, cuius virtutem, quam intellexit admirari Syros, ipse contempsit: lectis enim regis Syriæ literis, ex dissidentia scidit vestimenta sua, & expauit dicens: *Nunquid Deus ego sum?* &c. ipso factò præfigurans fore, vt regnum ipsius propter infidelitatẽ scinderetur, vt gratia fidei, prophetia, donum miraculorum, quibus præ cæteris nationibus pollebat Iudæa, priuaretur, & gentibus daretur: Cuius mysterij symbolum hic Naaman præ se ferebat. Quod ergo hic dicit Syrum occasionem contra se quærere, postea per Dei iudicium factũ est verum, 4. Reg. 6. Sic impiis hoc quod timent, euenire solet. Occasionem quærere, dicunt Hebræi esse quærere machinationem. Sic etiam habetur Iudic. 14. vbi Samson quærerebatur occasionem contra Philisthæos. Atqui Heliseus, audita regis sui dissidentia, animi consternatione, atque tristitia (est enim hoc veri prophetæ, & ministri verbi Dei munus) eum grauitè obiurgat, atque ex auctoritate diuina ipsius incredulitatẽ damnat. Non adulator, vt nostri solent principũ prædicatores, non loquitur placentia, metu amittẽdi officij, sed liberè increpat, dicens: *Quare scidisti vestimenta tua*, animi tui scilicet infidelitatẽ prodens? q. d. Causã veram non habuisti: Rex hic impius tantum pietatis non habuit, vt Naaman, qui ad gloriam Dei in Samariam fuit à Deo missus, consolaretur, aut ad prophetam mitteret: adeo gloriam suam Deo vero inuidit. Sed Domini clementiam non remoratur humana vesania. *Veniat ad me*, ait Prophe- ta, & intelligat prophetam esse in Israël. Quo verbo non se extollit propheta, sed Dominum. q. d. Non potest nomen Dei aboleri in terra per gigantes. Hoc verò erat horrendum Dei iudicium, de quo Christus ait Ioan. 9. se nimirum venisse in mundum, vt qui non vident videant; & qui vident cæci fiant: Huius enim iudicij typum gerit hæc historia. Nam Iudæi Dei cognitione præditi excæcantur, & gentes ignorantia Dei laborantes illuminantur, & participes fiunt mysteriorum Christi. Sicut enim ad Heliseum cum equis, curribus, & famulis accurrit Naaman, ita futurum erat, vt audita prædicatione Euangelij, ad Christum

*Principũ præ-
dicatores adu-
latores esse non
debent.*

*Et hinc etiam
ad gratiã ba-
ptisus vocati.* accurrerent gentes. Vide Psal. 17. 8. 5. Zachar. 8. Isa. 49. 40. 65. 66. 43. Rom. 15. spe nimirum iustificationis, peccatorum remissionis, ac salutis adipiscendæ per Christum in sanguine ipsius;

ipſius, quem voluit Deus eſſe lauacrum regenerationis, & renouationis.

Sed quid ſibi voluit tanta Eliſei ſeueritas non prodeuntis, ſed per famulum tantum ſanitatis remedium indicantis? Hoc nempe quod ait Apoſtolus: Quia in ſapientia non cognouit mundus Deum, placuit illi per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, 1. Corinth. 1. quod non potentia diuinitatis, ſed gratia incarnationis, & Apoſtolorum prædicatione ad fidem & ſacramenta vocarentur. Literalis verò ſenſus docet, prophetas veros, huius mundi gloriæ non eſſe admiratores: hinc tanto Satrapæ non occurrit, nec ipſum iuxta mundi pompam excipit, non alloquitur, non gratioſum & gratioſiſſimum vocat & adorat, &c. ſed Dei Iſraël gloriam illuſtrat.

3 Tertiò, complectitur indignationem Naaman contemnentis prophetæ præceptum. *Miſit enim ad eum Eliſeus nuntium, dicens ei: Vade & lauaſe ſepties, &c. tratus Naaman, recedebat dicens: Putabam quod egrederetur ad me, &c.* Vide aulæ tumorem, etiam leproſus voluit aulica pompa excipi. Sed noſtalem conſuetudinem non habemus, ait Apoſt. neque Eccleſia Dei. Pſeudo-prophetæ ſuas habent adulationes, quibus fauorem nobiliū aucupantur, propter fragmen panis veritatem deferentes & loquentes placentia.

*Eccleſiaſtes
catholicum adu-
latoꝝ non eſt.*

Hac indignatione eleganter Philoſophotum, Poëtarum, & gentium ſuperbia ſignificatur, humilitatem crucis ridentium, qui vt animales non percipiunt ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illis, dum ad rationis humanæ iudicium exigere volunt conſilia diſpenſationis diuinæ. Atque hic Naaman contempſit præceptum de lotionem in Iordane, & prætulit fluuios Syriæ & Damafci Abana & Parphari, ita carnales magni æſtimate factum humanæ ſapientiæ diuitias, & voluptates; hæretici verò rident fidei ſimplicitatem, Sacramentorum humilitatem, & Eccleſiæ infantiam. Quo fit, vt alieni à gratia, vel impietate, vel infidelitate, quam in ſcripturis lepræ morbus ſignificare ſolet, pereant, quemadmodum periturus erat hic Naaman, niſi ſingulari Dei beneficio animo mutato paſſus fuiſſet ſibi perſuaderi. Neque verò humano hoc factum eſt tantum conſilio, ſed inſpiratione diuina.

*Indignatio
Naaman quid
denotet.*

Neque enim, vt falſò putabat Pelagius ſola externa vocatio, cognitio, adhortatio, & correptio ſufficit animo corrigendo, quin potius magis iritabunt, ſi deſit ſpiritus viuificans, qui de nolente volentem faciat, & ita moueat vt dicat: Audia quid loquatur in me Dominus, Pſal. 84. vt quæ admodum Naaman Eliſeo cuiuſque famulo, ita ſcripturis, legi, Euan-

gelo, & Ecclesie obtemperet, captiuando intellectum in obsequium fidei, remedia sacramentorum æger infirmitate peccati amplectatur. Sunt enim septem Ecclesie sacramenta per Christum efficaciam ad remissionem, iustificationem & gratiam Dei consequendam instituta, præfigurata per verbum Elisei, quod per nuntium mandauit dici ad Naaman: Va te & lauare septies; quorum omnium ianua quædam est baptismus, cuius Iordanis typus est, ad cuius gratiam etiam ethnicos admittit, A. 3. 8. 10.

Iordanis typus est baptismi.

4. Quarto, Complectitur plusquam stupendam Dei potentiam & gratiam, quam ministerio Prophetæ exhibuit incredulo; quem non solum credentem effecit, sed verbo suo obsequentem. Requirit enim perfecta iustitia mandatorum Dei obedientiam, sine qua nec licet sacramentorum energiam & vim experiri. Pulchrè autem septies hæc repetita oratio septiformem Spiritus sancti gratiam etiam adumbravit, quæ per Christum in baptismo omnibus fidelibus erat conterenda, de qua Isa. 11. Cuius primarij effectus sunt veteris vitæ expoliatio, & noui hominis per peccatum amissi restitutio, Ro. 6. vt huius leprosi caro restituta sit sicut caro pueri paruuli. Est enim is effectus sacramenti baptismi, vt reatum mortis æternæ tollat, omnium peccatorum indulgentiam conferat, gratiam, qua tentationibus resistat baptizatus, concedat, & ex filio gehennæ filium adoptionis efficiat. Atque hoc est quod ait Apostolus, Christum nos fecisse saluos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, iuxta illud, Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, &c. vt baptizati in Christo sint tanquam noua creatura, quia iam in eis nihil damnationis est; dum non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, Rom. 8. Nam quæ remanent in baptizatis infirmitates, concupiscentia, carnis erga spiritum rebellio, mors, aliaque vitæ incommoda, nullam habent in se peccati rationem, ne ipsa quidem concupiscentia, si illi ad illicita impellenti non consentitur: relinquuntur enim ad exercitium tantum, ita vt rectè dicantur baptizati, propter inhabitantem spiritum, carere omni peccato, etsi non careant omni malo, inquit Augustinus contra Iulian. lib. 6. cap. 5.

Baptismi effectus.

Baptizati dicuntur rectè carere omni peccato, etsi non omni malo.

Confessio Naaman.

Post receptam gratiam, sequitur ipsius Naaman confessio & gratiarum actio, cum dicit: *Verè scio quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israël.* Quadrat propemodum, quod Perus è carcere liberatus, ait: *Nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, &c.* Act. 12. Hic ergo euas escit incredulitas, oritur fides: hic creditur Deus, & abnegantur idola.

idola. Abrenuntiat namque Naaman diis suis in Syria omnibus, præcipue verò deo, imò idolo Remmon. Nam si non est Deus nisi in Israël, omnes dii gentium dæmonia; hic resonat confessio, quæ est Rom. 10. vnde domui Naaman facta est salus, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ, Luc. 19.

Remmon idolum Syria.

Sequitur gratiarum actio, cum dicit: *Obsecro itaque ut accipias benedictionem à sermo tuo.* Postquam se sensit mundatum, ardenti affectu se prophetæ humiliando seruū vocat, & munera quæ secum attulit, obtulit omnia. Rectè quæ habuit, Domino Deo obtulit: quoniam ab eo quæ non habuit, accepit. Scriptura vocat huiusmodi dona Græcè *εὐλογίας*, Latine benedictionem, quæ vel ad Dei gloriam illustrandam, vel ad fratris necessitatem subleuandam conferuntur; vocantur benedictio, propterea (vt Apostolus Paulus exponit) quòd Dominus Deus pro huiusmodi muneribus suam benedictionem dat tam danti, quàm ritè & piè accipienti.

Naaman gratiarum actio.

At Eliseus omnia recusauit munera, d. *Vinit Dominus ante quem sto, quia non accipiam; eumque vim faceret, penitus non acquieuit.* Ostendens nullo pretio temporalium bonorum comparari posse Spiritus sancti charismata. huius rei præclarum verbū Tobij iunioris ad patrem obserua: Pater, inquit, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? &c. Si tanti æstimanda sunt charismata temporalia; quis non videt spiritualia esse potiora? Nihil ergo pro talibus accipiendum, in iniuriam Spiritus sancti, ne eius immensa dona videantur auro, argento, aut vlla tali commutatione venalia esse, atque coëmi posse, iuxta illud, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Simonis magi spiritum eum videns anathemati datum, Act. 8. Ceterum si aliquid accipitur sine specie commutationis vlla, iuxta præscriptum Dei, quo ministris prospicit Ecclesiæ, peccatum non est; dignus est enim operarius omnis mercede sua, Luc. 10. Sic Christus vt ostenderet iuxta legem Dei sacerdotibus altario ministrantibus, licere de altario viuere, voluit sibi quosdam pios atque electos victum administrare, Luc. 8. Hic etiã habet locum verbum Apostoli, 1. Corin. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Sed qui propter ventrem tantum verbum prædicant, & sacramenta ministrant, leprosi Giezzini sunt. Sed longè peiores sunt, qui nihil horum faciunt, & Ecclesiæ bonis luxuriantur, veris ministris, & pauperibus emolumentum subtrahentes. Hæc dic parum disputatur de simonia à Catholicis, neque de sacrilegio ab hæreticis. Virique suis vitiis blandiuntur, alij duntaxat in aliorum vitiis inuidentes. Vtrorumque pacem cõponet abusuum istorum reformatio, & horum perfidia detestatio.

Dona spiritualia vendis non debent.

Giezzini leprosi hodie qui sint.

Giezi culpa
quàm grauis
est quodplex.

Auaritia ra-
dix omnis
mali.

De graui culpa Giezi pauca subiicienda sunt. Primò peccauit contra legem, Exod. 20. Non concupiscas rem proximi tui. Deinde trifariam. Primò mentitur dicens se missum ab Heliseo. Deinde quod ait, domino suo hospites aduenisse Euphratanos inopes, quibus talentum argenti nomine prophetæ rogabat. Tertio, quòd respòdit Prophete se nufquam fuisse, cùm tamen propter tale donum Naaman integrum ferè militare esset secutus. Ex quo apertè liquet auaritiã esse radicem omnis mali, vt ait Apostolus. Nam primò est idololatria, quoniam Mammona Deo præfert, 1. Timoth. 6. Matth. 6. Præterea facit mendaces, sicut in cauponibus & mercatoribus quotidiana experientia docet, quod est contra Dei præcepta, Exod. 23. Col. 3. Doctòr ergo veritatis quàm longissimè ab omni auaritiã debet abesse, ob quam lepra Naaman inuasit Giezi seruum Elisei. Lepra hæc significat excommunicationem, quam etiam exprimit execratio qua peccauit Ananias cum vxore sua Saphira, Act. 5.

EPILOGVS.

Historia sacra est de Heliseo propheta Dei, vt per virtutem veri Dei Israël's Naaman Syrum leprosum in Iordanis fluuiò mirabiliter à lepra expiauerit; miraculum dignum quod in librum referatur Euangelij. D. Augustinus de memorabilibus scriptura, dicit hic duo resultare miracula: Alietum, quòd Heliseus (in quo duplex Helie spiritus erat) pari virtute (scilicet Dei) Naaman Syro leprosi abstulit; & Giezi eandem immisit: De cuius lepra ait S. Ambrosius: Inexpiables est venditi culpa mysterij. Item: Cito turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia male quasita corpus animũque commaculat. Dominus Deus à tam sorda labe, ne dicam peñte, Ecclesiam suam expiare dignetur. Amen.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE, EVANGELIUM.

Luc. 4.
Matth. 13.
Marc. 6.

Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: &c. Finis Euangelij: Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

PER STRINGIT hoc Euangelio Christus varium & inconstans vulgi ingenium, quod leui momèto huc illuc impellitur: quem enim antè ad sidera vsque extulit, huc breui pòst in tartara deprimat, atque cõtemnit: cui optimè conuenit quod Apost. Paulus ex Habacuc 1. cap. citat, Act. 13. Videte vos contemptores, seu irrisores, & admiramini, & disperdimini: quia opus ego operor in diebus vestris, opus quod non credetis si quis enarrauerit vobis. Itaque facit præsertim quatuor.

Christus ministris Primò, Vult Christus ministris verbi Dei suum reddi
verbi honorem, ac vitæ necessaria: ideo iubet, vt admissi in domũ
sui vult reddi edant & bibant de iis quæ apponuntur, Luc. 10. Galat. 6.
Communi-

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Dignus est enim operarius mercede sua. Hinc in scripturis laudantur, quod Sareptana Eliæ: Sunamitis Eliseo, 4. Reg. 4: Martha, Maria Magdalena, Ioanna vxor Chusæ, Susanna, Christo, Luc. 8. 10: Galatæ & Mæcedones Apostolis & Paulo, Galat. 4. 2. Cor. 11. vitæ necessaria, si nō ad luxū, certē ad necessitatē suppeditarint, 1. Thes. 2. & 5. Rom. 15. Philip. 4. Siquidē vt aperte hoc loco testatur Christus, fieri nequit, vt in ea republica sementem faciat semen verbi, vbi contēptus est ministrorū, neque iuxta B. Gregorium cursus neque recursus est ad pietatem, quando ij qui docent, suo destituuntur præmio. Sequitur enim ibi necessitatio ignorantia, cui sola veritatis doctrina mederi potest; qua neglecta in omnia passim ruit vitia iuuentus, quæ semel corrupta vitæ licentia, quod superest temporis, in omni lasciuia transigit. Hinc multas videmus alioqui florentes respublicas eō dilabi, vt catholicæ doctrinæ cognitionem, aut prorsus amittant, aut pro neglecto habeant, dum malunt suis cupiditatibus indulgere, quàm quos contemnunt, verbi ministros audire. Non hæc dicuntur quòd doctores ad vanam gloriam prouocentur (quoniam scriptum est de capite omnium prophetarum Christo, quòd gloriam ab hominibus non quæsiuerit, Ioan. 5.) sed vt auditores ad verbi Dei auditum incitentur. Verbum Domini in primitiua Ecclesia in maximo fuisse pretio vides Act. 6. vbi Petrus se, & alios apostolos testatur vocatos ad docendum. Item Act. 10. euāgelizauit, non baptizauit tantum. Paulus quoque negat se, præter paucos, baptizasse, neque quæ baptizandū missum, sed ad docendū. Ecclesia primitiua omnia sua bona ante pedes apostolorū cōiecit, vt in Actis apostolicis est videre: Galatę quoq; apostolum Paulū tanquā angelum Dei receperūt. Vtinam tali encomio etiam possent à nobis prædicari aliquot prouinciæ & regna, quæ hodie tantoperè gloriantur de Euāgelio renato, quibus non apostolici aut catholici Romanæ Ecclesiæ Episcopi euangelizarūt iam aliquot annos, sed germani atq; propriissimi quiq; in sua patria pseudoprophetæ prædicauerunt: Saxo Saxonibus, Thuringis Thuringis, Anglus Anglis, Geneuēsis Geneuēnsibus, &c. Et quod magis dolendū, gloriantur hi infelices in carne, quòd terræ eorum tam illustria lumina protulerunt. Testimoniū dant sibi ipsis, testimonium eorū non est verum. Quadrat verè in eos: Balbus balbua rectius intelligit. Vnde nec immeritò hoc quod recepisse gloriantur, verè amittunt, Catholicos explodunt, hereticos recipiūt. Sed quod istiusmodi prouinciæ nolunt, nouæ terræ aut insulae quidissimè recipiunt. Quod Nazareth reiecit, excipit Tyrus.

honorem dignum.

Verbum Dei non fructificat vbi contēptus est ministrorū eius.

Verbū Domini in primitiua Ecclesia in maximo pretio fuit.

Galat. 4.

Pseudopropheta accepta in patria sua.

Dominus Iesus excusat se suis conterraneis, dicens: *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum. &c.* Alludit ad verba Esaiæ cap. 61. quæ Christum missum & vnctum assererent vt mederetur. Vnde si talis Iesus esset, maximè suis prodesse curationibus debebat, vt & ouibus domus Israël, Matth. 15. Docet autem se verum Deum, vt qui scrutetur renes & corda, necnon cor Nazarenorum intueatur. Quare quæstioni quam eos exerere velle videbat, occurrit, docens prædicationem aut miraculum non carnali, sed spiritali patrandum affectu: adeo vt prophetarum exemplo, & se & suos etiam à cognatis persecutiones mansuras confirmet.

Cæterum per teipsum nemo Christi personam intelligat, cum peccatum non fecerit, Esai. 53. & 1. Pet. 2. sed patriam illius, quam occultè notat, non tantum mala corporis, sed & animæ ægritudine laboratam. Quid enim peius homicidio, inuidia, infidelitate, quæ omnia in Christum moliebantur?

Quanta adiuuimus à te facta in Capharnaum, &c. Quibus verbis calliditatem ingenij Pharisæi explicat, quæ id quod sanctum & diuinum est, operationem nimirum miraculorum, noluit canibus dare, cum ad iactantiam, aut risum, & curiositatem fieri signa expostulant. Suadent quod audierint, quasi & eorum veritatem visu astruere velint. Facta in Capharnaum fatentur multa, quod ibidem omnes oblatos sibi, in synagoga docens, curarit, Luc. 4. *Fæ,* inquit, Imperâr, non rogant, aded supercilium Pharisæicum extollunt, Luc. 16. Matth. 23. sed odibilis coram Deo est superbia, Eccl. 10. & *hic.* Iudices esse volentes operum Christi & censors: quasi hæc illorum examini subdantur, in patria tua. En prætexus & fucus impiæ illorum postulationis. q. d. Patria tibi propinquior est cæteris regionibus: vt & parentes cæteris hominibus. Si vis igitur nos tibi credere vt peritissimo medico, fac ergo, & ne dicas te omnes curare posse, cum interim familiares tui omni abs te destituantur auxilio.

Dixit eis Iesus: Amen dico vobis, nemo Propheta acceptus est in patria sua. Idem est ac si dicat: Propheta à suis non auditur; quod Ioan. 4. sic exprimit, contestando quod propheta in sua patria honorem non haberet. Hoc ipsum Matthæus & Marcus sic proferunt: Propheta non est sine honore, nisi in patria sua. Nam Nazareni patriæ sui maxima eius miracula videntes, inde suæ quoque gloriæ consolerentur homines gloriosuli, ideoque indigni planè qui minimū viderent miraculum Christi. Nam Christi personam aspernabantur, quod eius humilitas non responderet eorum superbiæ. Sic enim loquuntur apud Matth. 13. Vnde huic illa tanta sapientia? Vnde tantæ illi virtutes? Nunquid hic est fabri
filius?

filius? Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. Non ergo viluerat Domino patria sua, neque etiam ciues poterat non amare, qui amaret omnes, ait sanctus Ambrosius, imò maximo honore cohonestauit eos: quòd primò in synagoga eorum in sabbato librum prophetæ Isaiæ accipias, ipsum aperuit, atque in prima, quæ ei occurrit, facie paginæ inuenit oraculum de se, quòd conterraneis suis & legit & exposuit, dicens: Prophetia hæc hodie adimpleta est in auribus vestris, Esai. 61. sed incredulitas eorum hoc non merebatur. Nam ipsi despicientes Christum quasi nothum, & non credentes, patria charitate se priuabant. Contemptores quippe gratiæ Dei, se ipsos gratia indignos faciunt, nec ægrotis mederi potest medicus, si pharmacum oblatum reiciant, ac fidei medico diffidant. Nam qui contemnit, contemnetur. Contra, si quis ministrauerit Christo, honorificabit eum pater celestis, Ioan. 12. Et iterum: Ego honorificantes me honorificabo. Videtur quoque non tantum nomine patriæ Nazareth notasse, sed omnem Iudæorum nationem (ait Orig. in Lucam) Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres eorū? ait B. Stephanus, Act. 7. Ioseph à fratribus venditus, regnat inter extraneos, Genes. 37. & 41: Moses expositus à suis (Exod. 1.) excipitur à filia Pharaonis: Daniel ignotus inter Iudæos apud Nabuchodonosor maximi æstimatur, cap. 2. 3: Micheas à rege suo despicitur, ab Iosaphat probatur, 3. Reg. 22. Helias ab Achab fugatur, ab exteris nationibus excipitur. Imò omnes Apostoli apud suos despecti erant: dicebant enim omnes in die Pentecostes: Nonne isti qui loquuntur, Galilæi sunt? qui tamen plurimi facti sunt apud Gentes.

*Conterraneos
suos patrio honore
Christus
non affectu.*

Ex opposito Pseudopropheta bene in patria excepti sunt. Theodas enim & Iudas apud suos Galilæos floruerunt, & ex his sectarios fecerunt. An non verò Arrius vna scintilla fuit in Alexandria (vt docet Hieron. in cap. 5. ad Galat.) qui primum Alexandriam in Ecclesiam catholicam armauit? Et ad nostros veniã, vt olim Vvaldo Lugdunensis Lugdunenses: Vvicleph Anglus Anglos: ita nunc Germani heretici, Germaniam: Boëmi Boëmiã: Sacramentarij Galli, Gallos: & hæretici Belgici Belgiam variis suis sectis miserè corruptunt. Adeò Pseudopropheta acceptus est in patria sua.

Quòd permittat Deus vilipendi suos in patria propria, altiore mysterio factum est, nimirum vt dulcedinem hanc

qua nos ad se natale solum allicit, fortitudine temperemus. Siquidem omne solum forri patria est, vt piscibus æquor, & volucri vacuo qui pater orbe locus. Omnis quippe Christianus, maximè verò verbi diuini concionator, vt olim Ionas limites patriæ excedere debet, nec eo ipso dolere. Ne nos igitur fratres patriæ remorerur, quin fideles nos Domino milites exhibeamus. Duc age, ô Deus, per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis littora. Ecce nos cum Apostolis relinquimus omnia, vt sequamur te. Nec enim hic ciuitatem habemus permanentem: vndè nec exules fieri à patria pro Christo timeamus, vt doctè Basilus apud præfectum Cæsareæ sub Valente respondit. Audiamus quoque Apostolum dicentem: Incertis vagamur sedibus. Nam ea de re permittit Deus nullum prophetam acceptum esse in patria sua, vt in Christo ipso nunc probatur.

2. Secundò, Singularem quadam prudentia (nam in eo omnes erant thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi, ad Coloss. 2.) docet vnde accidit vt frequenter verbi prædicatores contemnantur, idque ab exemplo duplici, Eliæ, & Helisei; quorum hic in Iudæa ita contemnebatur, vt tempore famis cum clausum esset cælum annis tribus, & mēsis sex, à nulla diuitem matronarū, quibus illa nobilis patria abundabat, hospitio dignaretur, sed postquā corui & angeli ministerio pascus esset, in Sareptam Sidoniorū, quæ ciuitas est Phœnicæ, inter Tyrum & Sidonem sita, ad pauperulam est ablegatus, 3. Reg. 17. Iste verò cum gratia sanitarum polleteret, multisque miraculis meritò esset suspiciendus (ornauit enim huiusmodi donis etiam veterem Synagogā Deus, quibus veros à falsis discerni voluit ministros) nulli tamen leprosum contigit per illum mundari, nisi Naaman Syro, 4. Reg. 5. Quod nequaquam ipsorum, vitio accidit: docet scriptura, aut quòd minus possint aut velint benefacere suis, quàm alienis; sed ob insignem cōtubernalium & superbiam, qua prophetas notos & inter se educatos contemnebant: ita enim vsu venire videmus, vt domestica pene contemnamus; parit enim nauseam copia etiam rerum maximarum, cum contrà externa sæpè vilissima admiremur; iuxta illud: Omne rarum carum, vilescit quotidianum: Et ob eorundem inuidiam, qua prophetas prosequerantur, tanquam ipsorum lasciuia hostes. Odit enim semper mundus veros Dei ministros. Quo fit, vt præclarissima ipsorum dona, quibus ad doctrine confirmationem eos solet ornare Deus, rideant, & negligant. Sic Heliseum caluum vocarunt pueri, 4. Reg. 2. Paulum contemptibile pseudoapostoli vocabant, 2. Cor. 10. Et Christum quem superius fabrum, vel fabri filium; ita

Synagoga miraculorum donis etiam ornata fuit.

Omne rarum carum, vilescit quotidianum.

hic eadem erroris insania medicum cognominant. Adeo communis quasi cunctis accidit passio, ut familiares, quonia semper praesto sunt, debita reuerentia etiam priuentur a notis. Sic Ioseph a fratribus venditus, Genes. 37. sed per Pharaonem exaltatus, Genes. 41. Sic Hieremias in lacum per consiliarios Zedechiae missus, sed per Abdemelech Aethiopem extractus, Hierem. 38. & per Nabuchodonosor honorifice tractatus, Hier. 39. hoc Dominus conqueritur, Ezech. 3. Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Ambrosius, Vide, inquit, quantum malum inuidia adferat; indigna enim patria iudicatur, in qua ciuis magnalia operetur, quae digna fuit ut filius Dei in ea conciperetur. Confirmatur itaque exemplo sententiam iam dictam, prius sibi credi expositulat: & si de re certissima & Iudaeis notissima sit loquitur. *In veritate dico, vobis inquit, In veritate loquitur ipsamet veritas. Multa vidua erant in diebus Heliae in Israel, quando clausum est caelum annis tribus & mensibus sex.* Dies Heliae dicuntur 11 in quibus fames in Israel inualuit, non quia Heliae dies fuerunt, ait Ambros. lib. 4. in Lucam, sed in quibus Helias operatus est. Causa huius famis idololatria fuit populo inuecta a Iesabel & Achab, ut plenius habetur 3. Reg. 17. & 18. Ob quam Helias orauit, Iac. 5. ne caelum plueret, & non pluit annis tribus & mensibus sex. Nam sterilitatem & viduitatem ut summa mala Deus minatur, Esa. 47. Prouerb. 39. Leuit. 25. 3. Reg. 8. Fames immiti dicitur ob impietate. Sic & 2. Reg. 21. famem patitur Israel tribus annis ob violatam a Saule Gabaonitis fidem. Quanto magis igitur si infideles Deo fuerimus? Sit ista fames nobis exemplo, quam tribus annis & sex mensibus Israelitae passi sunt. Perdurasset autem diutius, nisi populus & rex ad vnus Dei cultum per tauri conflagrationem reducti essent. Nec fame tantum multi deperiere; sed & continuis bellis inter domum Israel & domum Iuda viduae multae factae sunt. *Et ad nullam illarum missus est Helias.* Tertia est tribulatio Israel ob infidelitatem immissa. Prima namque viduitas. Secunda fames. Tertia quod denegata est viduis & pupillis consolatio, Esa. 9. Pupillorum eius & viduarum non miserebitur, quia omnis hypocrita est & nequam: *nisi in Sareptam Sidonia, prope Tyrū ciuitate gentiliū, quod missus est Helias siccato torrente Carith, quo refocillabatur fame inualescente.* 3. Reg. 17: *ad mulierem viduam.* Quae laudatur ex multis circumstantiis de facta Prophetae misericordia. Primo quod intenta lignis colligendis, aquam tamen haurire non distulerit. Deinde quod licet parum farinae haberet, non irascitur Heliae panem petenti. Tertio fides illius commendatur, quae in tanta necessitate credidit verbis Heliae.

Ideoque

*Passione cunctis
communis fa-
miliares debi-
ta reuerentia
priuari à no-
tis.*

Ideoque fecit sibi & puero, sed primum Helix subcinericiū panem; quare in præmium nec illi defecit hydria farinae aut lecythus olei.

Quo exēplo Dominus docet cōmendabilem viduitatē, vt Ambrosius vno libro; & Hieronymus pluribus epistolis: Tertullianus lib. de monogamia, & ad uxorem: Augustinus lib. de statu viduali, & alij patres ostenderunt. Vnde etiam Paulus eas honorandas docuit, quæ verè viduæ sunt, 1. Timoth. 5. quibus bonum est si sic permanferint. Eas sic honorarūt Apostoli, vt illarum ministerio diaconos instituerint. Nec tantūm vidualem statum hęc laudat Christus, sed in maximis etiā necessitatibus illis primum succurrit à Deo ostendit: ideoque nec nos illis deesse debere conestatur. Philo Iudæus de victimas offerentibus; Papillorum, inquit, viduarum: que tutelam profitetur Dominus: quia hæc maritis, illi parentibus orbatī sunt, quibus humana ope destitutis, nullū præterea relinquitur auxilium. Id quoque Raab vidua erepta à ruina Iericho, Ios. 6: Iudith nimirum Holofernem obruncās, Iudith 14. Maria vidua soror Moyū tympanum pulsans, testari possunt. Adeo quoque primis illis patribus laus & subsidium placuit viduarum, vt illis annonam Constantinus donarit, vt patet in Apolog. 2. sanctæ Synodi Alexandr. pro Athanas. quarum tamen reditus Iulianus & Arriani auferre conati sunt. Porro quemadmodū ille Deo sunt cōmendabiles, ita piis se deuoucant obsequiis, orationibus scilicet & ieiunijs, vt Anna prophetissa, Luc. 2: perseuerent die ac nocte, 1. Timoth. 5: vt ab omni contagione peccati, in puritate cordis degant per sanctam exercitationem, ait Basilus in cap. Esa. 1: & vt orationibus suis Ecclesiā adiuuent; hospitalitatem sectentur, & infirmis opem omnem impendant; vt obseruent dictum Apostoli, 1. Timoth. 5: Eligendam esse viduam quæ sanctorum pedes lauerit. Sunt enim mulieres huiusmodi obsequiis imprimis idoneæ: lectulum sternere ac fouere ministerio. Hinc nimirū Raab à Deo laudem promeretur, & hæc vidua Sareptana. Vide Origen. homil. 33. in Lucam: qui dicit hoc factum futuræ rei figuram explicasse. Eandem interpretationem sequitur August. serm. 2. in Dominicam tertiam post festum s. Trinitatis.

Et multi leprosi erant in Israël sub Heliseo Propheta. Heliseum subdit Helix vt discipulum, sed tamen qui non minoris virtutis quàm Helias fuerit: vt qui Helix duplicem spiritum acceperit, 4. Reg. 2. eius pallio simul & miraculorum, prophetiæque gratia donatus sit. Adeo eos velut quoddam diuinū par ex omnibus prophetis elegit, vt qui in monte Carmeli discipulos habuerint, 4. Reg. 2: sic vt Heliseus non minus quàm

quam Helias Christi figuram prætulit, vt docet August. ferm. 2. Dominicæ 5. post Trinit. Multi sanè inter nos sunt leprosi corde, multi peccatores: adfunt & ministri Ecclesiæ permulti, qui non minus quam Heliseus lepram hanc expurgare valeant: Nimirum quibus remittendorum peccatorum potestas tradita est, Ioan. 20. Matth. 18. Sed sicut nec agricultatio per se sufficit ad conuehendos fructus, nisi cælum & is qui cælum gubernat, opituletur, ait Orig. in Matth. cap. 13. sic neque virtutum operationes absque fide illorum qui sanantur, perfectum opus præstant ad sanitatem conferendâ, nec potestas sacerdotum sufficit, nisi, & presbyteris (vt Tertullianus docet libr. de pœnit.) aduoluamur. Vide Ambros. lib. 4. in Lucam, cap. 16.

Et nemo eorum mundatus est, nisi solus Naaman Syrus. Non quod minus poterat Israëlitas Heliseus sanare, quàm Syrum hunc: sed quia (inquit Ambros. in Lucam) voluntatis est medicina, non gentis: diuinum que munus votis eligitur, non naturæ iure deseritur.

Christus itaque exemplo horum prophetarum tacitè Nazaræos perstringit, indignos esse eos declarans (licet missus esset ad oues quæ perierant domus Israël, Matth. 15.) quibus doctrina cælestis, cui pertinaciter resisterunt, miraculis aliquibus confirmaretur. Non enim dormientibus, sed obseruantibus diuina deferenda beneficia ait Beatus Ambrosius. Quid verò diceret de contementibus? Fastidiosos, inanes dimittendos ait beata Virgo, Luc. 1. Alludens hisce duabus historiis, fore, vt iuxta prophetarum oracula, gratia noui Testamenti, & sacramentorum veritas, sublati Iudaicis cæremoniis & vmbris, Syris & Sidoniis, id est, gentibus, in obedientiam fidei sese subiicientibus, daretur: qua de re variis in locis concionantur prophætæ, Isai. 43. 54. 66. Osee 1. Hierem. 16. Zachar. 8. 9. 14. Psal. 17. 85. aliisque innumeris scripturæ locis. Significantur enim illis duobus, scilicet lotionæ Naaman, & farina viduæ, primaria duo symbola & sacramenta noui Testamenti: baptismus, quo caro peccati lepra infecta instar pafuuli restituitur; & cælestis illa alimonia Eucharistiæ corporis & sanguinis Domini, quo filij, quo pascuntur electi, Ioan. 6.

3 Tertiò, Horrendum Dei iudicium, & quod iure omnes perhorrescere debemus, proponit in istis Nazaræis, quoru malitia vel ipsius Sathanæ superare videret: Is enim præcipitium tantum suadere ausus, vim nullam intentare præsumpsit. sed rationibus & scripturis victus abscedit, Matth. 4. Hi verò præterquam quòd peruersi non corriguntur, sed magis & irritantur & accenduntur, *Repleti sunt*, inquit Euangelista,

Gratia noui testamenti ad gentes transferèda adumbratur.

Symbola duo præcipua noui testam. adumbrata.

Nazaræorum malitia Sathanæ malitiâ superat.

omnes in Synagoga ita, hæc audientes. Vim habet Synagogæ locus, vt qui factus sit locus & sedes impietatis, qui debuerat esse azylium iudicij & veritatis. Intellexerant quippe quò hæc Christi verba tenderent, & quò hæc duo exempla: nimirum vt eos priuandos gratia, beneficiis & curationibus Messix ostenderet, eaque omnia extraneis impendenda doceret. Sed qui his verbis ad viuum tangi, conteri, & pœnitere debebant, inuidia rumpitur, & ira Christum adoriuntur. Vnde non contenti dictis ac scommatibus, Dei filium, quem non poterant nisi affectata ignorantia non agnoscere, è Synagoga repellunt, extra ciuitatem protrudunt, vt & extra cæstra maledictis onustus hircus emittebatur, in figuram sanè eiciendi extra portam Christi vt crucifigeretur; ad montis cacumen petrahunt, & præcipitium intentant. In quos verè competit illud Proverb. 15. Non amat pestilens eum qui se corripit. Item illud: Qui arguit eriminosos, sibi maculam generat. Et hoc Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta. Merito ergo perdiderunt salutem, qui à suis finibus eiecerunt saluatorem. Itaque factum est, vt dum Iudæi à se pellerēt Christum, simul cum ciuitate, & regnum, & sacerdotium, & Dei fauorem perderent.

Ex quibus perspicere licet, quos fructus in homine pariat voluntas humana, fidei lumine destituta, odio & inuidia exæcata. Tantum enim abest, vt oblatam veritatem recipiat, vt magis etiam oppugnet atque præcipitare conetur; quod malum cò est grauius, quo potiora sunt & maiora præsidia ac dona quæ reiciuntur. Hi etenim Nazareci ciues, præter eam quam ex scripturis habere potuerant de Christo cognitionem, habebant familiarem ipsius conuictum & contubernium; quæ si vt oportebat, voluissent obseruare, intellexissent faciliè, longè illum cæterorum heminum naturam, mores, ingenium superare, vt potè in quo omnia diuinum quid potius quàm humanum præ se ferrent. Sed hic peculiaris est inuidis genius, vt gratuitis Dei donis in perniciem sui potius quàm salutem vtantur. Quod & in nostri temporis hæreticis animaduertere licet, quibus semel est decretum veritatem agnitam oppugnare: Huc enim omnes suos conatus intendunt, vt Christum, id est, fidei veritatem Ecclesiæ adimant, ac tandem præcipitent: Veritas enim illis odium parit. Hinc catholicos eiciunt: Episcopos & cõcionatores sinceros, eorum blasphemis resistentes, præcipites omnino dando censent. Sanctos triumphantes cauillant, confessionem catholicam in dubium vocantes, & se in Ecclesiæ confessionem orthodoxam arbitros obrudentes. Sacramenta Ecclesiæ pro sua libidine recipiunt & abiiciunt, reliquias

Fructus voluntatis humana deprauata.

Genius inuidis peculiaris.

reliquias beatorum scelesti diripiunt, exurunt, & cineres sacros sacrilega manu subuertunt, sanctorum imagines dericiunt, Sacramenta pedibus conterunt, thesauros ecclesiasticos rapiunt, experientia de seditiosis nostri temporis Calvinistis hoc ipsum attestante. Quis quæso maior & apertior furor esse poterit, quam eum quem Ypris, Aldenardi, Gandau, Antverpiæ, &c. anno 1566. & 67. propriis oculis gemens ac dolens conspexi, cui eo tempore currenti furori Ecclesiastici aliquantulum cedere fuerunt coacti? Sed ipse Dominus Iesus superbenedictus, qui etiam vsque ad tempus cessit, nouit suos à tentatione & furētium manibus eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciãdos, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immūditie ambulāt; dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes; sectas non metuunt introducere, blasphemantes, &c. 2. Petr. 2.

4. Quarto, Christi potentiam & diuinitatem proponit, qua potuit contra naturam corporis physici, non tantum densissima quæque penetrare, verum etiam hostium furori, oculis, atque conatui sese subducere, ipsosque illudete, vt sepius captantes, nunquam caperent, nisi dum veller ipse, quod efficacissimum erat diuinæ potentie argumentum. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Aut iis sic excæcatis, vt eum non aduerterent: sicut & Sodomitis, & exercitui Syriæ sub Heliseo contigit, 4. Reg. 6. Dotes enim habuit gloriosæ quando voluit, quorum vnum est corporis subtilitas: Aut sic eorum virtute sopita, vt ne hiscere quidem possent. Mortalium etenim nullus est, ne regum quidem aut imperatorum, qui non frequenter inuitus & satis reluctans in hostium manus incidat, ac dedere sese cogatur. Sed Dominus Iesus, vt ait Ambrosius, quando vult capitur, quando vult elabitur. Non fugit ergo, quasi recusans mori, sed tempus morti suæ prædestinatum expectare statuit. Hinc dixit apud Lucam cap. decimo tertio, Dicite vulpi illi: Ecce eicio deumonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor, &c. Innocuus quoque transiit per medium illorum, adhuc illis locum reseruans penitentiae, vt vel sic intelligentes eius potentiam, à consilio mortis ei inferendæ animam reuocarent. Nondum enim venerat hora passionis eius, quæ non sabbato, sed Parasceue Paschæ futura erat. Nondum locum eiusdem passionis adierat, que non in Nazareth, sed in Hierosolymis implenda erat, vbi & per agni Paschalis immolationem eius mors prænuntiabatur. Sed neque hoc genus mortis elegerat, neque enim modò à Nazarenis præcipitari, neque alibi à Hierosolymitis se permisit lapidari, nec antè adhuc puer ab Herode trucidari, quia

*Diuinitatis
ac potentie
Christi effici-
entissimū ar-
gumentum.*

quia ante secula elegerat suspendium anima eius, mortem scilicet crucis.

Sacramentorum
confu-
tatio.

Si quis alius scripturæ locus, certè hic vnus debuerat crassos Sacramentariorum errores elidere, ac prorsus enervare. Si enim potuit diuinitas corpus mortale adhuc, passibile, & qualitativis corporeis obnoxium tale efficere, vt nec videri, nec palpari, aut vllò sensu corporeo percipi posset, quid nō potuit virtute verbi sui corpori glorificato hoc præstare? Sed crassior est hic error, quàm vt refutari debeat: statim enim vt indicatur, se prodit.

EPILOGVS.

Reddit hic Dominus Iesus rationem conterraneis suis Nazarenis, quare in patria terra (iuxta carnem, qua Nazarenorum conterraneus fuit) finibus, miracula non ediderat, atque Capharnaum fecerat, & alibi extra patriam suã; nimirum quod incredulitas cognatorum reddiderat ipsos indignos diuino beneficio. Vnde nihil habent quod obgammiant & obloquentur Christo; neque enim sine exemplo & scriptura autoritate extra patriam plura miracula fecit.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE TERTIÆ QUADRAGESIMÆ, EPISTOLA.

4. Reg. 4.

Mulier autem quadam de vxoribus prophetarum clamabat ad Heliseum, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, &c. Finis Epistolæ: Vt cum venerit ad nos, maneat ibi.

HISTORIA hæc præfens nos docet Deum patrem cœlestem miserorum patronum & tutorem esse omnium; Tibi derelictus est pauper, ait Psalmista: præcipue verò viduarum eum esse protectorem & patrem. Vnde etiam in lege Mosaica, & in prophetis ferè omnibus synagoge; atque per hoc in noua lege Ecclesiæ tot præcepta dedit de fouendis & consolâdis viduis. Exempla huius loci habes, 4. Reg. 4. 3. Regum 17. Item Act. 6. 1. Timoth. 5. Proponit autem hæc historia tria.

I Primò, Miseram viduam omnibus modis deplorandam, scilicet, improbi creditoris seueritate oppressam, ære alieno grauata, intētata filiorum captiuitate afflictam, & sanctissimi mariti morte consternatam: adeo vt ad huius mulieris calamitatem augendam nihil penè amplius addi posse videretur. Prophetam hunc defunctum, viduæ præsentis maritum, dicunt fuisse Abdiam prophetam, quem dicunt etiam vixisse illum aulicum illustrem, qui tēpore eo quo Achab cum vxore sua Iezabel exagitatus à diabolo, omnes prophetas Baal non recipientes persecutus est, quinquagenos, & quinquagenos in spelūcis pavit. Historiã habes 3. Reg. 18. quare dubium

dabium non erat eleemosynæ studio tatum æris alieni uxori reliquissè dissoluendum. Accedit huc quod vidua ait: *Tu nosti quia seruus tuus fuit vir timens Deum. Qui timet Deum, pompam & luxuriam fugit; eleemosynæ indulget, non genio: satius ducit dare quàm accipere. debitum fuisse magnū textus satis commemorat. Cum ergo omni humano præsidio destitueretur, quòd huiusmodi miserabiles personæ, quales sunt viduæ, peregrini, pupilli, & orphani, ferè soleant in iudiciis aut contemni, aut negligi, vt conqueritur Dominus, Isà. 1. 10. Hierem. 5. 7. Ezech. 2. 2. Zachar. 7. eum accedit, qui sese tanquam præclaro epitheto, Psal. 67. appellat patrem orphanorum, & iudicem viduarum, Deum scilicet, cuius fidelissimum ministrum Eliseum sibi cõtra aduersarium patrocinari petit d. *Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Nihil à Propheta petit, sed illi fidens, saltem suam indicat miseriam. O vtinam & tales hodie haberemus in Ecclesia principes, atque prælatos, quibus miseri inopes fidere ausing, quos seculi pompa & tyrannis absterreret, quibus etiam satellitum vis accessum negat.**

Pater orphanorum & iudex viduarum Deum.

Officium enim est Episcoporum, Pastorum, Concionatorum, atque etiam prophanorum principum, pauperum necessitatibus succurrere, vt de B. Paulino Episcopo Nolano, Ambrosio, & aliis testantur historix, qui sacra vasa pro redimendis afflictis sæpè vendiderunt. At nunc pro dolor, plures inuenias qui comedant potius quàm subleuent domos viduarum, pauperum, & orphanorum: ita occupauit multorum animos auri illa sacra fames, vt rarissimè nunc aut Paulinos, aut Eliseos inuenias. Sed nunquid non Dominus hoc considerat? Nõne iuxta Mosis testimonium, la-chrymæ viduarum in cælum ascendunt? Qui claudunt aures ad clamorem pauperum, & illi Dei aures surdas sibi habebunt, Prouerb. 11.

Officiū prælatorū ac principū Ecclesiæ.

2. Secundò, Proponit insignem Elisei mansuetudinem erga afflictam, suam operam quacunque ratione posset, offerentis, dum ait: *Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua?* Regia planè vox est dicere misero: *Quid vis vt faciam tibi?* Verba eadem audis etiam Christum dixisse ad cæcum, Marc. 10. Ita enim oportet afflictas conscientias, vel egestate rerum temporalium fractas, vel consideratione peccatorum consternatas, ne abundantiori tristitia absorbeantur, 2. Corinth. 2. consolati; non vt conqueritur apud Ezech. Dominus, cap. 34. cum austeritate & amaritudine in desperationem adigere, Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritus. &c.

Elisei mansuetudo.

Observandum autem est prophetæ prudens & sagax consilium, siquidem non suadet fraudem esse creditori faciendam (iubet enim Deus omnibus debita reddere, Rom. 13.) non impuro quæstu redimendam vexationē, nec malis actibus rem familiarem augere; siquidem hæc cum verbo Dei pugnant. Hoc enim esset vere mulierculam onerare peccatis & in damnationem adducere. Quin potius hortatur ad industriam œconomicam, ad curam rei familiaris, & operas lanæ ac telæ nocte & die, ut, scilicet, non habeat tantum quo creditoribus satisfiat, sed vnde tribuat necessitatem patientibus, ad Ephes. 4. dum iubet perere à vicinis vasa vacua non pauca, in ea sedulo infundere oleum quod domi est, & ipsos quoque filios, ne otiosi panem manducent, ad operas impellendos. Sic enim fore pollicetur, ut conatibus eius fauceant superi. Si labores manuum tuarum manduces, si vocationi tuæ obtemperes, si præcepto Dei obsequaris, & regnum Dei primum quæras, & eius iustitiam, tunc omnia facile adicientur, Matth. 6. quemadmodum huic mulieri, dum ex fide credit prophetæ, munificam Dei in se benevolentiam experitur, ut non adsit tantum quo creditoribus satisfiat, & filij redimantur, verum etiam vnde suppetat quod naturæ sufficiat. Sic Deus miseros non deserit in miseriis, Heb. 13. Psal. 145. Qui (vt Anna ait, 1. Reg. 2. & Sapiens faretur, Prou. 8.) pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.

Fides & obedientia mulieris vidua erga verbum Dei.

3. Tertio, Proponit promptam mulieris erga verbum Dei fidem & obedientiam. Non enim ex cōsideratione paupertatis & inopiæ, quam coram oculis cernebat, ruit in dissidentiam, ut vulgus hominū solet, non alia quàm quæ ante pedes sunt aspiciere, ex illis secundum iudiciū rationis argumentari, quasi nulla foret de rebus humanis cura, sollicitudo, & providentia Deo, ita prorsus omnia ex sua industria metitur, & si quid præter spem sibi accidere sentiat, ibi mox sese prodit, quæ animo latebat dissidentia neglectus diuini, cōtempus vocationis, qua ad operas quisque suas ex præcepto Dei teneret. Quo fit, ut fraudibus, dolo, & technis animos adiciat, & quod plures cernat his artibus emergere, diuites fieri, possessiones augere, dignitatibus potiri, voluptatibus diffunderet: Beatum etenim iudicat populum cui hæc sunt, Psal. 143.

Fidei dictamen.

Atqui longè aliud dicitur fides, scilicet, respicere in bonam Dei patris voluntatem, in Deum spem omnem & fiduciam reponere, & gnauius obtemperare vocationi. Sic nostra hæc vidua, dum ex fide prophetæ verbis parat, Dei fit digna miraculo, qui operibus manuum eius benedicit, ut omnia etiā mutuo accepta vasa impleantur. Potens enim est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis ultra quàm petimus aut

aut intelligimus, 2. Cor. 9. Si tamen, vt oportet, in ipso fiducia collocemus, credamus ipsi curam esse de nobis, 1. Pet. 5, atque in sudore vultus vescamur pane, Gen. 3. Seminatum iraque Dei vt se augeat, hic vides. Mulier parum habuit, sed (quemadmodum de manna legimus, Exod. 16. 2. Corint. 8.) abundauit. Hinc poterit etiam Catholicus concionator Eucharistiae f. veritatem conficere. Sicut enim in gutta paruula atque in olei paucillo tantum continebatur olei, vasa tot impleretur; ita in paruo quoque panis fragmine continetur panis ex, & pastor, sator & seruator omnium.

ALLEGORIA.

Si quem allegoria delectat, non ineptè hanc viduam, veterem synagogam intellexerit, quae saluatoris Christi aduentu soluta lege prioris mariti legalis, debitis non solum peccati originalis, sed actualis adstricta diabolo, cui non erat quo satisfaceret: (si enim per legem iustitia esse potuisset, omnino gratis Christus mortuus esset, Galat. 2.) olei tamen aliquid quo vngretur, supererat, sed clausum, quia sub velamine legis gratia Spiritus sancti latebat. At postquam verus ille apparuit Eliseus Christus, eius per Apostolos praedicatione factum est, vt gratia illa mutauit in vasis, id est, non Iudeis solum, sed gentibus persunderetur: Quo oleo non solum redimuntur à creditore, id est, diaboli tyrannide, sed viuunt de reliquo: quia gratia Christi, & vnctione spiritus in habitatis & diffusi in corda ipsorum, eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum Dei, dum per fidem & obedientiam legi satisfaciunt.

EPILOGVS.

De Dei misericordia, & de eius operibus lectio praesens nos erudit per exemplum Helisei propheta, qui misera vidua relicta cuiusdam propheta, aere alieno oppressa, adeo vt iam iam eius duo filij creditorum in seruitutem essent addicendi, per praclarum miraculum potentia Dei succurrit, atque è tantis arummi liberauit, vt inde disceremus hoc ipsum officium incumbere Christianis in Ecclesia. In Ecclesia exordia suus vultus erat honor. Act. 6. 1 Tim. 5. Iac. 1. Caput omnium prophetarum Christus, vna cum omnibus Apostolis & electis, exemplum hoc comprobantes, nobis exprimendum sanctificauerunt.

Christianorum est curam agere viduam & orphanorum.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Math. 13.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Finis Euangelij: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Luc. 17.
Leuit. 19.
Ecc. 19.
Iac. 5.

COMPLECTITVR hoc Euangelio Christus doctrinam omnium saluberrimam, & nostro saeculo pernecessariam,

Riam, quo ita abundauit iniquitas, vt planè refrigerit charitas, quæ est vinculum perfectionis, quam vult Christus esse fraternæ correctionis amissim. Nam vera charitas nescit vitia palpare, sed humiliter corrigere, & charitatiuè ex corde donare: ad quam nos B. Apostolus, Ephes 4 hortatur d. Nolite contritare Spiritum s. Dei: in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis. Si quod enim corporis membrum vlcere laborat, resocillationibus, frictionibus, & cæteris primum lenibus, demùm acrioribus illud pristinæ sanitati restituere nitimur; vbi verò nec leniora, nec acriora proficiunt, membrum ense recidendum est, ne pars sincera inficiatur. Eadem quoque regulà ad fratris errantis correctionem properandum est. Primum enim vt lenioribus remediis inter te & ipsum solum, aut duobus tribusue testibus adhibitis, illum ad salutis portum reuocare contende: vbi verò leniora hæc nihil proficiunt, seueriora aggredere: dic Ecclesiæ. Si hoc illi remedium vanum est, vt abscissum & mortuum membrum desere; sitque tibi velut Ethnicus & Publicanus. Hæc hodierno Euangelio docet Christus. Agit autem potissimum quatuor.

Coloss. 3.

Correctio fratrum.

I Primò, dum ait: Si peccauerit in te frater tuus, &c. non præscribit actum iuris vel ciuilis, vel ecclesiastici, sed correctionis fraternæ, quem vult non secus ac iudicum ab omni affectione mala esse liberum: siquidem omnis corruptus iudex malè examinât verum: fieri autè debet animo libero ab omni vindictæ cupiditate, ira, odio, & inuidia. Si enim iudicem prophanum ab his velint esse liberum leges, quòd hi pessimi consules peruersam subinde dictare sententiam soleant, certè eum qui proximi salutem amissam restituere parat, decet quàm liberrimùm ab huiusmodi affectionibus esse. Sed oportet amore ac commiseratione eum qui peccarit corrigere: vt declarètur nihil aliud quæri quàm illius salus, & amicitia pristina restauratio: Eumque qui peccarit apertè, vult Apostolus coram omnibus corrigi, vt cæteri timorem habeant, 1. Timoth. 5. Nam Prouerb. 19. Pestilente si igellato, stultus sapientior fiet. Eum verò qui peccarit clanculum, vult Christus inter te & ipsum solum corripi, ne publicè correptus, verecundiam perdat, & sic in peccato permaneat, iuxta illud Hierem. 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Sed ita vt vtrinque lex charitatis seruetur: nam quæ pro charitate sunt instituta, non debent eidem repugnare. Ea ergo si vel in iudice, vel in priuato

Peccator publicus publice arguendus.
Peccator clancularius clanculum corripiendus.

prodiciat

proderit de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, proximi tantum spectabit salutem & penitentiam, non confusionem, ignominiam, nec perditionem. Si peccauerit, inquit, in te frater tuus. Primo, iniuria illata, aut famæ per detractio- nem, aut animæ per scandalum: aut corpori per vim & læsionem: aut fortunis per rapinam aut demolitionem. Secundo, scan- dalo, quod emanat, aut à verbo vel insolente, vel lasciuo, vel infidelitatem prodente; aut quod emanat ab opere, vel sta- tum indecente, vel rebeli, vel infideli. Tertio omissione eorū quæ vir pius exequi debet. Fratris nomine non tantum qui ab vno parente sunt, intelligi debent, sed & omnes fideles. Quanto enim dignius (ait Tertul. in Apolog. aduersus gen- tes, cap. 39) fratres & dicuntur & habetur qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum sanctitatis biberunt? &c. Hinc fratrum nomine Christianos insinuat lib. de coro- na milit. Non enim caro, non diuitiæ, non magistratus, sed vna simplex fidei professio fratres facit, quare nec inimicitie fraternitatis huius vinculum dissoluunt, quas neq; lex Chri- stiana approbat aut fouet. Vnde & reges & sacerdotes semo- ta gradus ratione, fratres nostri sunt; iique errantes saltem priuatim corripiedi. Imò etiam hæretici vbi spes quædam est relapsionis, & fratres nostri affectu charitatis habendi sunt, & ita nuncupandi. Sic enim Optatus lib. 1. in Donati- stas, Parmenianum fratrem, imò & eius sectatores fratres vocat. Eodem nomine August. Pelagianos donat, serm. 14. de verbis Apostoli: qui & sermone 11. de verbis Domini, pro eis orare censet. Eos autem corripiedos docet Paulus, 2. Timoth. 2. Alia ratio est vbi pertinacia adest. Tunc nec aue di- cendum, vt Ioan. in 2. Canon. ait, nec cum eis habitandum.

Vade, hoc est, recede ab omni vindictæ affectu: ne corripias quia te lesit, aut quòd ei notam scādali inurere nitare. Vade: exue te his affectibus: *Et corripe eum*. Non dicit corrige: sed corripe. Correctio fit factis: quæ triplex est. 1. Aut enim iustitiæ maiestati innititur: & hæc rursus duplex. Aut enim politica est, & huic non verbis tantum, sed factis in corpus sæuire non conceditur tantum, sed & præcipitur, Exod. 22. Maleficos non patieris viuere, & 2. Paral. 19. Videte iudices quid faciatis, &c. Principes enim missi sunt ad vindictam malefactorum, ait B. Pet. nec sine causa magistratus gladium portat, Rom. 13. Altera est Ecclesiastica, quæ in animas sæuire potest, 2. Est correctio instructoria publica, quæ Pon- tifices & verbi Dei ministros, imò reges & magistratus poli- ticos spectat. Ecclesiæ siquidem pædagogo dicitur Esai. 58. Clama ne cesses, &c. Ezech. 33. Dedi te speculatorem domui Israël. Si non annuntiaueris impio impietatem suam, &c.

1. Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, & 2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa, &c. Hæc animas obstringere potest. 3. Est fraterna ceu priuata correctio. Hæc primum sacerdotes spectat, vt in notos deriuetur errantes gratia, sicut vnguētum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius, Psal. Parentibus hæc quoq; iniungitur, Eccli. 7. Filij tibi sunt, erudi illos. Nā & calamitas teterrima in domum Heli incidit, 1. Reg. 3: & schisma inter Adoniam & Salomonem, quod patres correctione in filios non animaduernerent. Demum vnicuique Deus mandauit de proximo, quod & nos omnes fratres sumus. Necessitatem hanc fraternæ correctionis D. Basilius tantam esse admonet, vt Ionæ, Achab, & Heli exemplis nos in peccatis proximorum periclitari demonstret. Chrysost. homil. 24. ad populum, etiam cum vitæ dispendio, & vulneris accipiendi periculo rixantes simul, simulque pugnantes disiungendos vult: quod vulnus si quod in nos eo facto incidit, martyrij titulum præ se ferat. Episcopis quoque idem quod hic Petro & discipulis à Domino præcipitur. His enim maximè ex munere incumbit etiam reges & imperatores arguere. Sic Helias Achab, 3. Reg. 18. Ioannes Herodem, Marc. 6: Ambrosius Theodosium, in cuius facto se tacere non posse asseruerat: Chrysostomus Eudoxiâ imperatricem, audacter increparunt. Alioqui Episcopi canes impudici vocantur apud Prophetam.

Correctio autem fit verbis. Quasi ergo dicat: Nolo ego vt tu percutias, sed admoneas & corripias, non vt inimicum qui non corripitur, sed persequitur & fugatur, & affligitur: sed vt fratrem cui medearis. *Inter te & ipsum solum.* Hæc prima tibi sit correctionis regula: non statim prodèdus, ne si semel pudorem & verecundiam amiserit, in peccato permaneat, inquit Hieron. in Matth. Sic enim Nathan David, 2. Reg. 12. Christus Samaritidem, Ioan. 4: & Ahia vxorem Ieroboam, 3. Reg. seorsum increparunt. Alioquin non es corrector, sed proditor fraterni criminis. Cum igitur asperitas nimia increpationis, nec correctionem recipiat nec salutem, omniaque iuxta Apost. 1. Corin. 14. vero suo ordine fieri debeant, Christus tres correctionis gradus assignat. Primus est inter te & illum, fratrem corripere. Publicam enim correctionem admonitio præcedere debet, vt docet Tertull. libr. de pœnit. Neque etiam calumniis agendum est: hoc enim ancilla vna ex molendino facere potest, & aliquis ex rabulis forensibus, cuius lingua ad omne cõuicium exacuata est, at D. Basilius, lib. epist. epistola 75. Sed & primum opus est cauere, ne trabs in oculo nostro sit, cum fratrem de festuca arguimus, Luc. 6: ne no-

ne nobis dicatur (Luc. 4.) medice cura teipsum. Sic enim Episcopo in Iure præcipitur prius seipsum, quàm alios corrigere. *ideo si te audierit*, inquit, peccatum recognoscendo & dolendo, *lucratu eris fratrem tuum*. Nō est quòd vlcisaris, aut quòd illum iraducas: tibi factis sit, quòd lucrifeceris fratrem tuū, Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu teneris. *Hac ergo tibi merces eris*, quam sibi summam Christus æstimauit, pro qua & incarnatus & crucifixus est. Nonne vides quanto nauaræ studio delatos in naufragium eruuat, ait Chrysof. homil. 24. ad populum. Etue tu animam fratris pro qua Christus mortuus est, Rom. 14. Prouerb. 28. Qui corripit hominem, postea gratiam inuenit. Vnde Paulus 2. Timoth. 3. Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur: & 1. Cor. 9. Omnibus, ait, omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem. Quanto igitur dignos supplicio censēbimus, qui econtra falsis imposturis fratres perdere nituntur, quos lucrari deberent!

2. Secundò, Quia præuidebat Christus fore tantam hominum impudentiam, vt non solum peccare non vererētur, sed etiam perfricta fronte auderent criminum esse defensores, ne sic tamen desperandum monet; *Sed si te non audierit, adhibe*, inquit, *tecum adhuc vnum vel duos, vt scilicet, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*, iuxta legis decretum, Deut. 19. Hic secundus est correptionis gradus, vbi primus minus proficere videbitur. Vides vt refugienti egroto medici etiam pharmaca porrigant? Nitere & tu etiam reluctantem lucrari fratrem. Sic recalcitrantem Paulum Christus ad se collegit, Act. 9. Non propterea est abiicienda spes, nec statim ad extrema remedia veniendum, sed adhibendi testes, siue vt pudore medio corrigatur, qui non progrediatur vsque ad infamiam, siue vt testimonio duorum aut trium reuinci possit. Neque verò putabimus omnes passim sine delectu esse admittendos, sed qui sint eodem charitatis affectu imbuti, ab inuidia alieni, arcani continētes, & salutis fraternæ æquē ac tu ipse, amantes: ne scilicet leuium hominum garrulitas peccantis famam lædat. Spectari enim vult Christus tantum hoc facto emendam peccantis, non perniciem. Proinde ea vitanda, quibus promoueri posset potius quàm impediri hoc malum. Hinc B. Augustinus dicit adhibendos eos qui volent prodesse, non obesse, Eccles. 19. Corripi amicum ne fortè non intellexerit, & dicat: non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere, &c.

Sed quid si duræ ad cō ceruicis sit, vt ne sic quidem à peccato

Deut. 19.
2. Cor. 13.
Ioan. 8.
Hebr. 10.

Spes non statim abiicienda de peccatore impudente.

Quid spectandum in correptione fratris.

cato desistat? Num deferendus, vel desperandus erit frater, pro quo Christus mortuus est? Num vt diaboli mancipiū, inferni pabulum, & mundi proletarium relinquatur? Absit. Charitas enim ex qua hic prodit affectus, patiens est, benigna est, omnia sperat, omnia sustinet, 1. Cor. 13. Quare non antè desistit, quàm nullam superesse spem viderit. Quòd si igitur tam est intractabilis vt lenibus hisce nō proficias medicamentis, vt nec pudore, nec metu iudicij commoueat, monet cauterium aut incisionem adhibendam. Est enim vt morborum, ita & ingeniorum varietas. Quod si non audierit, inquit, *dis Ecclesia*, hoc est, rem defer ad congregationem, vt vel multitudinis consensu, vel eorum autoritate qui multitudini præsunt, frater emēdetur. De Ecclesia & eius autoritate habes, Act. 20. Hic tertius & vltimus est gradus correptionis fraternæ, de quo Paulus agit, 1. Timoth. 5. Peccantes, inquit, coram omnibus argue. Per Ecclesiam autem praelatos intellige, vt Basilius cap. 30. cōstit. monast. interpretatur: quibus incumbit ex munere vultum pecoris sui agnoscere, Prouerb. 27: attendere sibi & vniuerso gregi, Act. 20: & obsecrare, arguere, increpare oportunè, importunè: modò cum lenitate, modò cum seueritate, 2. Timoth. 4.

In Lutheranos militant hæc verba Christi: *dic Ecclesia*. Nam si non esset Ecclesia visibilis, vt vult Lutherus, quomodo & eam alloqui & audire possemus? Quomodo à praelatis regetur, vt docuit Paulus, Act. 20? En filius Dei visibilis factus est, vt Ecclesiam sibi desponsaret, & non erit Ecclesia eius sponsa visibilis? Caput visibile est: cur non & membra? Sensibile factum est Dei verbum, prædicatum, & aure acceptum: sensibilia sacramenta & visibilia, visibiles omnes Ecclesiæ ministri, Apostoli, Pastores, Doctores, Euangelistæ: & non erit Ecclesia visibilis?

3 Tertiò, Ne quisquam putaret, omnem vitæ licentiã cui-libet esse permisam, ac nulla iam superesse mali extirpandi remedia, quando priuata aut coram testibus acta correptione nihil profecit, iudicarium in Ecclesia sua Christus instituit tribunal, vt vel sic humana coërceatur audacia, vt tuta sit inter improbos innocentia. Non enim confusam & seditiosam rempublicam instituit suam Ecclesiam Christus in summa *et vniuersa* quotidianarum seditionum. sed non secus atque in prophano regno aut imperio vnum esse voluit ex diuina sua ordinatione, penes quem summa rei esset: ita in Ecclesia iudicariam potestatem esse iussit, cuius esset nascentia indices scandala opprimere: sed aliis artibus quàm regna politica, quæ vtuntur fascibus, armis, torturis, exilio, & capitalibus sententiis. His enim sublati, quid forent regna, nisi publica

Cauterium
quando adhibendum fra-
tri.

blica latrocinia? Nihil enim æquè continet rempublicã, atque *Rempublicam*
disciplinæ seueritas, atque legis imperialis stricta executio, *nihil æquè cõ-*
quæ animaduertere debet in furtum, rapinam, homicidium, *tinet atque*
latrocinium, incendia, seditiones, incestum, veneficium, &c. *seueritas di-*
Hac enim de causa Princeps Dei minister gladium portat. *sciplina.*

Sed Christus Ecclesiam suam leni disciplina & iugo dulcissimo regi voluit, scilicet Euangelio, fide, & Sacramentis; quibus, veluti suauissimis pharmacis, infirmitati fidelium occurrunt voluit. Verum si exulcerata membra iis offenderentur porius quàm iuuarentur, non eam profus aut imbecillum aut inermem reliquit, vt non possit resistere occurrenti malo. Addidit enim fulmen illud quouis exilio, tridente, equuleo, & igne ferocius, quod corporibus illæsis, animam acerbò vulnere fauciat, ac bonorum omnium communionem priuat, nempè excommunicationem, & à corpore Ecclesiæ abscissionem, qua vult eum qui Ecclesiam non audiuit, haberi vt ethnicum & publicanum, hoc est, ab omnibus contemptum, & indignum, qui habeatur frater, vt vel sic pudore resipiscat, dum se vider ab omnibus vitari, aut certè ne gregi admixtus alios inficiat suo contagio. *Si Ecclesiam, inquit, non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Ipso enim factò excommunicatus est, recifus ab Ecclesia, in qua sola est salutis via. Qui vos audit, me audit, inquit Christus, Luc. 10: Qui autè spernit prælatum, non hominem spernit, sed Deum, 1. Thess. 4. Sic olim quidem, Deut. 18. nolens obedire sacerdotis imperio, morte moriebatur. Ethnicos autem qui & gentiles, simulque publicanos in exemplum adducit, quòd eos pertinacissimè Iudei abiicerent & fugerēt. Quòd & omnibus modis consortium eius, qui Ecclesiam contemnit, etiam fugere debeamus, & pro excommunicato habere, satis aperte Paulus, 1. Corin. 5. ad Tit. 3. & 8. Ioannes 2. can. tradiderunt. Quo nescio si quid magis sit formidandum homini Christiano: huiusmodi enim separatus est à corpore Christi, quare nec membrum illius manere potest. Si non maneat membrum Christi, non vegetatur spiritu Christi. Quisquis verò spiritum Christi non habet, hic non est Christi: traditur enim sathanæ, quia extra Ecclesiam sathanas est, sicut in Ecclesia Christus. Ergo vt hominis viui membrum si præscindatur ab eius corpore, non potest tenere spiritum vitæ: sic homo qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ, etiam si figuram membri teneat quam sumpsit in corpore, inquit Augustinus ad Vincetium. Ita quoque condemnatio quanquam lentè procedat ad supplicium, tamen hoc nomine est etiam seuerissima, quòd damnatum, nisi resipiscat, manet æterna pœna, quam nulla ratione poterit effugere.

Excommuni-
catio.

Christus in
Ecclesia est,
sathanas ex-
tra eandem.

Epist. 48.

Prou. 29. Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, re-
 pentinus ei superueniet interitus, & eam sanitas non seque-
 tur. Eccles. 7. Considera opera Dei, quòd nemo possit corri-
 gere, quem ille despexerit. Cùm ergo excommunicatio ex-
 trema Ecclesiæ sit pœna nō indiscriminatim in omnes leui-
 ter hoc fulmen iaciendum, sed cum magna maturitate inflig-
 endum, idq; in criminosos vt sunt pertinaciter inobedien-
 tes, Matth. 18. 2. Thess. 3. in peruersè docētes, Galat. 1. Tit. 3.
 2. Ioan. 1. & in periculose viuētes, 1. Corinth. 5. Hinc Chri-
 stus præmisit monitiones velut facti informationes, quod
 leuiter excommunicari non debeat aliquis: sicut nec rex sine
 testibus, & rei ipsius examine aliquem morti addicit: aut chi-
 rurgus inconsultè brachium abscindit. Examinandum ergo
 diligenter factum, examinanda est & persona, ceteræq; con-
 ditiones. Nam vt docet August. 1. 1. q. 3. c. Illud planè dixe-
 rim non teneat, quòd si quisquam fidelium fuerit anathemati-
 zatus iniuste, potius ei oberit qui facit, quàm qui hanc pa-
 titur iniuriam.

Tria circa ex-
 communicati-
 onem notanda.

Excommuni-
 catio Ecclesia-
 stica non ma-
 nis, neque cõ-
 temnenda.

4 Quartò, Ad maiorem cõfirmationem veritatis iurame-
 nto confirmat, non esse irritam aut inanem huiusmodi sen-
 tentiam, quæ in Ecclesiæ contemptores pronuntiaretur, ne
 à quoquam cõtemnatur, 1. Timoth. 1. Hoc præceptum com-
 mendo tibi Timothee, secundum præcedentes in te pro-
 phetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem &
 bonam conscientiam. Quam quidam repellentes, circa fidem
 naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexâder, quos
 tradidi sathanæ, vt discât non blasphemare. Et 1. Corinth. 5.
 Ego quidē absens corpore, præsens autē spiritu, iam iudicavi
 vt præsens, eū qui sic operatus est, in nomine Domini nostri
 Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute
 Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem sathanæ in inte-
 ritū carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu Christi.

Pollicetur enim eam sententiam & in cælis ratam fore, di-
 cens: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in calo.* Iisdem
 verbis potestatem iurisdictionis prælatorum Ecclesiasticorum
 confirmans, quo non abs re doceat fugiendū eum qui
 Episcopos & Pastores Ecclesiæ contempserit. Hæc autē eorū
 potestas his duobus maximè innitur: remittendis scilicet
 & retinendis peccatis: demùm congregandis conciliis. Vtrū-
 que hoc in coarctu demonstrat. Quid enim apertius dici
 possit, vt remittendorum peccatorum autoritatē creditam
 Apostolis demonstraret? Ceterum nota metaphoram in ver-
 bis ligare & soluere, sumptam ab his qui reos vinciunt aut
 soluunt, vt expendit Chrysof. cap. 5. li. 3. de sacerdotio. Vn-
 de sicut reges soluere corpora & vincire: sic sacerdotes ani-
 mas

16. 11. 20.

mas ligare & soluere possunt; & quos visibiles & mortales ministros cernis, caelestem tamen & spiritualemente auctoritate exercere. Hic enim est legitimus clauum vsus à Christo concessarum Ecclesiae ministris, qui dum legitime, & pro ratione officij vtuntur, vel ligando, dignos scilicet ligari vt peccates deliberata malitia, ac animo pertinaci: vel soluendo, dignos scilicet solui, poenitentes, sequitur tunc ex diuina ordinatione vel vindicta, vt in exordio nascentis Ecclesiae sequebatur exagitatio mali daemone in interitum carnis, 1. Cor. 5. vel gratia, quam in animis experiebantur hi, qui vnitati fidelium restituebantur; vt in adultero Corinthio videre licet, 2. Corin. 2.

Clauum legitimum vsus quando.

Porro licet apertos & externos excommunicationis effectus, quales Apostolorum temporibus statim subsequebantur latam sententiam, Deus non ita adhibeat, nequaquam tamen existimabimus, minoris ecclesiam iam esse momenti, quam tunc fuerit. Eadem enim est potestas, sed non eadem est necessitas. Non enim est homo qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit, quae iam non minus vim suam in animam rebellem hominis exerit, quam olim, dum in corpora quoque sauiret. Et quanquam iudicium hoc non habeat in specie eam seueritatem, quam habent tribunali principum, tamen magis est formidandum, quam illorum sententia, quae saepenumero percutiuntur optimi, & absoluantur sceleratissimi. Nam à Deo damnari formidabile est, quod sit, quando à legitimis praelatis sincero animo consentientibus aliquis damnatur. Verè ergo reuerenda & timenda Ecclesiae auctoritas, quia à Deo promissa, Matth. 16. diuina sapientia collata, Matth. 18: & per Spiritum sanctum confirmata, Ioã. 20. Accipite Spiritum S. &c. Vnde hic admonitos velim Ecclesiae Christi ministros, ne passim leuissimis scilicet de causis, sicut praemissum est, terribili hac abutantur potestate, quam in aedificationem, non autem in destructionem acceperunt: sed tum demum, quum non videtur alia superesse corrigendi fratris medela. Vide Paulum, 1. Corin. 5. 2. Thessal. 3. August. serm. 10. de verbis Domini; lib. de fide & operibus, cap. 3. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint, fiet illis à patre meo. Alteram iurisdictionis partem, quae ad incunda concilia se habet, examinat & confirmat. Fiunt autem concilia haec (ait Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleucia) non vt fidei alia confessio innouetur, sed vt haereses damnatae & reprobi mores refoermentur: nec non si quod difficile & ambiguum fuerit, dissoluatur. Quae quoniam humanas vires exuperant, admonet Christus praemittendas concilia

Excommunicationis effectus aequè efficax atque olim.

ciliis ad patrem cælestem orationes: & seipsum etiam adfuturum pollicetur.

*Concordes qui
verè dicuntur.*

Superior ergo omnis sermo ad concordiam pronocauit, nunc verò præmium pollicetur, vt sollicitius festinemus ad pacem, cum se dicat inter duos vel tres medium fore, qui concordie fructus est. Concordes autem dicuntur, non qui in malum, vt Annas & Cayphas, Act. 4. & Iudæi, Ioan. 9. sed in bonum conueniunt. Si ergo duo concorditer amantes, quæ Dei sunt petierint, fiet illis. Et quod sæpe precantes non accipimus, ratio est, quòd mutua concordia caremus, Eccle. 34. Sed quia dixerat: *Fiet illis à patre meo*, vt & ostèderet se esse datorem cum patre, subdit: *Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Iactitant omnes hæretici se in nomine Domini congregatos: proinde in medio illorum Christum esse. At congregantur tantum hi in nomine Domini, qui vnus veræ Ecclesie fide colligantur. Qui enim dixerint, hic aut illic est Christus, Matth. 24. mentientur, cum in vna sit Ecclesia per gratiam. Quæ enim pars fidei cum infidei? Christo ad Belial? quæ pars templo Dei cum idolis? 2. Cor. 6. Porrò omnes hæreses idola sunt, vt docet Vincentius Lyriensis in hæreseôn nouationes. Arbitrantur sicarij nostri Caluinistæ Christum sibi affuturum, qui nobis ignem charitatis commendauit, quem illi sulphureo igne & mortifero suffocant. Quoties enim concilia ineunt, nulla thesis melior præfigitur, quàm quomodo vrbes occupandæ, templa dispo-landa, seditiones excitandæ, igne, veneno, & ferro primates perimendi, ciues etiam incauti è laribus suis domesticis eiciendi omnia dilapidanda, &c. En egregias in ipsorum conciliis determinationes. Quis verò adeò blasphemabit, vt Christum cum sathanicis hisce ministris adesse arbitretur? Quis pueros nostros latices, & impolluta concilia relinquet, & turbidas & dissipatas impurissimorum hæreticorū cisternas & conciliabula sectetur. Habent enim illi suas speluncas, quas consistoria vocant, superscriptis hoc tenore verbis: ne quis huc ingrediatur nisi discendi gratia: Vtique vt omnem ingressus edifcat impietatem, & velut basilici aspectu, aut aspidis morsu, aut pestis contagione percussus, omni spiritualis sanctitatis vbertate priuetur. Cōgregari ergo in nomine Domini multa amplectitur, quæ non reperias in hæreticis. Congregari enim est fide primum colligatos cōuenire. In nomine autem Domini congregari, intentionem piam & humilem, quæ Christi Iesu honori & gloriæ innitatur, & seruum quoque negotium designat. Hinc Rabanus: In nomine Domini congregantur, qui ipsius æmulantur gloriam, qui ipsius spiritu feruent, qui ipsum per omnia & in omni-
bus

bus fidei oculis, & mundo corde non desinunt intueri. Istiusmodi congregationis medium amat Iesus mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. Hinc certò credendum, generales Synodos atque legitima concilia à Spiritu S. regi, & in medio totius conuentus Deum laudantis Christum clementer assistere, Act. 15. Matth. 18. Vnde fidei Ecclesiæ firmitas & veritas hic quoque statuitur, quòd per spiritum regitur veritatis, qui omnem docet veritatem, Ioan. 16. 1. Tim. 3.

Christus cum suo spiritu adest conciliis generalibus.

Tandem Petro, cui visus est Dominus certum numerum præscribere condonationis, quem qui transgressus esset, etiã si resipisceret qui peccarat, non esset recipiendus in gratiam, quo suum esse misereri doceret, non usque septies, ait, sed usque septuagies septies: indicans nullum esse præscribendum numerum ignoscendo Christiano: sed quotiescunq; resipuerit qui peccauit, toties ex animo condonandam esse culpam, penitus ex animo Christiano omnem eximès vlciscendi libidinem. hoc est quod ait Lucæ 17. Si peccauerit frater tuus in te, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, remitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi. Si plura de his dicere libet, vide homil. 76. Chrysof. ad populum Antiochenum.

EPILOGVS.

Magister noster & Dominus Christus documentum nobis præbet, vt se fideles gerant erga eos qui flagitiis sunt obnoxij: monet enim vt eos testibus remotis primò, deinde testibus adductis, arguamus: postremò Ecclesia deferamus: neque scandala foueamus, sed ne fiant provideamus; hac in re non modò Episcopi debent esse toti, sed & priuati pro se quisque. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo, Eccles. 17.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE
TERTIAE QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, &c. Finis Epistolæ: & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oues vestras & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.

Exod. 20.
Matth. 15.
Ephes. 6.

LECTIO præsens, vitia ea quæ in secunda tabula potissimum damnantur, recenset; quanquam si rectè perpendamus Mosi verba, etiam hoc loco primæ tabulæ præcepta nobis commendentur: vt inde non solum nostram infirmitatem addiscamus, nos tanquam in speculo in lege æstimantes; verum etiam vt per gratiam Dei nobis datam, & identidem nobis eam poscentibus dandam, ea omnia custodiamus, & opere quæ præstanda sunt, præstemus, & quæ omittenda, omittamus. Vtriusq; causa legè esse latam videmus Rom. 2.

Præcepta Dei quare sunt data.

& 3. Vt

& 3. Vt præstemus, Rom. 2. Iac. 1. vt inde nos speculemur, Rom. 3. Continet autem hæc Epistola tria.

1 Primò, Præceptorum secundæ tabulæ enumerationem.
 1 Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.

Præcepta se- 1 1 Non occides.

cunda tabula. 1 1 1 Non mœchaberis.

1 1 1 1 Non furtum facies.

v Non loqueris contra proximum falsum testimonium.

vi Non concupisces domum proximi tui.

vii Nec desiderabis vxorem illius, non seruum, &c.

Quibus præceptis optima instituitur à Deo politicæ forma: ergo & propter Deum obedientia istis debetur, Rom. 13. vt discamus ex illis Dominum Deum ex totis viribus vnice semper vbius gentium, voce & ore, corde & opere, colere, prædicare, & amare, deinde proximum tanquam nosmetipsos. Sunt autem hæc præcepta fontes omnium legum politicarum, nam

1 Sancitur imperium, & præcipitur obedientia tam externa quam interna erga parentes, magistratus, & superiores.

Præceptum de diligendis parentibus quomodo obliget, & quam fortiter.

Honor parentum in quibus consistat.

Hoc verò de diligendis parentibus præceptum cessaturæ sit, tamen ex autoritate diuina ita obligat, vt nulla religio, quantumuis sacra, præiudicare illi queat, sicut nec votum, nec professio. Collocat autem scriptura hunc honorem parentibus debitum, Matth. 15. Prouerb. 23. Ecclef. 3. Ephes. 6. in timore, reuerentia, & subuentione, post mortem quoque in debita pro illis ad Deum intercessione, vt eius clementia remissionem omnium peccatorum, & indulgentiam quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. Quæ qui neglexerit, vt eis scilicet vel maledicat, vel eos contemnat, & egestate perire sinat, maledictioni Dei succumbit, legibus humanis occidendus. Pater hic locus dicendi de mutuo parentum erga liberos, & liberorum erga parentes officio. Vide B. Paulum Ephes. 6. Coloss. 3. Exod. 20. Deut. 5. Matth. 15.

2 Munitur pax, prohibetur contumacia erga gubernatores, vt sunt iniustæ cædes, iniusta bella, odia, inuidiæ, &c.

3 Muniuntur coniugia, ne vagæ grassentur libidines, inordinatæ flammæ, furores amantium. Porro hoc secundum præceptum secundæ tabulæ, vt & tertium Christus, Matt. 5. enarrat, dum prohibet priuata odia, vindictæ cupiditatem, externas corporum iniurias: & non tantum turpia libidinis delicta, sed etiam prauam animi concupiscentiam, damnans omni concubitum extra legitimum matrimonium, eiusque

Præceptorum horum negle-

ctus in omni republica grauissimos morus, seditiones & excidia.

kidia. Siquidem non ob sola odia & bella pereunt imperia, regna, & vrbes, sed etiam occasione impudentissimarum libidinum, vt testantur historie de Sodomis, Dauide, Athenis, & Troia, aliisque florentissimis regnis & regibus: Et si enim leges humane vix puniant libidines, tamen testantur scripturæ Deum grauissimè semper hoc puniuisse, & in iudicio puniturum. Ephes. 5. Apoc. 21.

4 Muniuntur dominia rerum, ne manifesta & certa furta admittantur, ne imposturæ negotiationum, vsuræ, *seductioes*, mendacia pactorum, contractuum, &c. passim fiant.

5 Muniuntur diuina autoritate iudicia, præcipitur veritas. Violant hoc præceptum omnes calumniæ forenses, fuci, elusiones in negotiis.

6 & 7 His duobus præceptis intelligimus à Deo prohiberi, non solum opera externa, sed ipsam concupiscentiam quæ incorrupta natura est, quæ semper in se mala est, etiã si non accedat consensus, quia habet annexam contumaciam repugnantem legi Dei. Vult per hæc nos esse cautos, vult vt auertramus oculos, ne videant vanitatem. Claudendam fenestram præcipiunt hæc corporis, ne per eas mors ingrediatur. Cōcupiscentia nisi supprimatur, parit peccatum, peccatum verò mortem, Iac. 1.

Opus externū nō solum prohibetur, sed etiam concupiscentia.

Quatuor autem postrema hæc præcepta pulchrè confutant errores fanaticorum hominum, qui docent Euangeliū tollere omnem proprietatem: quemadmodum hodie docent Anabaptistæ, Suencfeldiani, & Adamitæ. Si Euangelio tollatur rerum proprietas, ergo præcipitur bonorum communio: si omnibus omnia cōmunia, nullū ergo perpetrari furtum potest. Si perpetrari nō potest, frustra prohibetur. Sunt ergo iuxta impiam istorū doctrinam vxores, liberi, prædia, opes & iumēta omnibus cōmunia, quod natura horret. Alioqui & leges, & tribunalia, Rom. 13. autoritate diuina constituta, sunt tollenda. Sed seipsam hæc fanatica doctrina dum prodit, destruit. Fideles autem intelligant omnia hæc diuina præcepta conferre seruantibus præmia, & negligentibus pœnas. Quanquam enim in primo tacum mentio fiat præmiorum aut pœnarum, ad singula tamen præcepta pertinent. Præmia sunt: Qui fecerit ea, viuēt in eis. Pœnæ: Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in lege, Galat. 3.

Doctrina fanaticæ Anabaptistarū & aliorum.

Præmia seruantiū et pœnas negligentium præcepta, promittunt.

Hebr. 12.

2 Secundò, Naturam legis continet, cuius erat terrere timore pœnarū, dum ait: populum vidisse voces, lampadas, sonitū buccinæ, & montē fumigatē. Quæ præterquam quòd diuinam legislatoris maiestatem declarent, cuius potentia tota deseruit mundi machina, pulchrè naturam explicat
corum

*Lex Mosaica
cur in timore
data.*

corum qui timore sub onere legis tanquam serui premebantur, non autē vt liberi sub gratia constituti. Hæc enim significabant spiritum seruitutis, quo erant impellendi ad cultum vnius Dei, & ab idololatria, ad quam ex conuictu Aegyptiorum erant propensissimi, retrahendi. Sic namque solet Deus mentis elationem, animi superbiam, atque sui contemptum deprimere externis terculamentis, vt sui timorem incutiat; qui licet iuxta Ioannem esse in charitate nequeat, cum perfecta charitas foras mittat timorem, introducit illè tamen charitatem non secus ac sera filum solet. Atque ideò cum perterriti ac stupefacti timore starent attoniti Iudæi, atque omnem pollicerentur obedientiam Mosi dicentes: *Loquere tu nobis & audiemus*, vt facillè multa solet polliceri animus consternatus, audierunt à Mose: Nolite timere. Vt enim probaret vos, venit Deus. Cuius exemplo debent Episcopi, Pastores, & ministri verbi Dei, dum subditorum animos seueritate scripturarum in peccatorum cognitionem adduxerunt, & vident ex consideratione iudicij diuini attonitos, cuius terribilis maiestas hic adumbratur, mox eosdem scripturarum suauitate erigere, ac docere, Deū ideo minari vt parcat: corripere non vt perdat, sed vt emendet, Ezech. 18. Matt. 11. 1. ad Timoth. 1. Hebr. 12.

Differētia legis & Euangelij.

Hic etiam differentiam legis & Euangelij aliquis discernere potest, nempe timorem & charitatem, literam & spiritum. Nobis hodie lex inscribitur in corda carnea, idque spiritus Dei, Ezech. 11. & 36. Hier. 31. Hebr. 8,

Idololatria prohibita.

3 Tertiò, Prohibitionem idololatriæ continet, cum præcepto veri cultus, dicens, primò: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*. Synecdochicòs omnem idololatriam intellegens, omnemque simpliciter cultum prohibens, qui cum iniuria creatoris sit cõiunctus. Vide Sap. 14. Isa. 46. Psal. 113. vbi idola & eorundem authores, & cultores æternæ maledictioni deuouentur, quia cõfidunt in re nihil. Scimus enim, inquit Apostolus, quòd idolum nihil est in mundo, & quòd nullus est Deus nisi vnus, 1. Corinth. 8. Illi autem, vt habet Hieremias, mutant gloriam Dei in idolum, qui cõfidunt in homine, ponunt carnem brachium suum, & recedunt à Deo, fodientes cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam, Hierem. 2. hoc est, qui sic à rebus creatis pendent, vt in eis spem omnem ac fiduciam collocent. Hos demum veros appellare idololatrias licet, vt de auaris testatur Apostolus, Ephes. 5. 1. Corinth. 6.

Idolum nihil est.

Gloriam Dei qui mutant in idolum.

Hoc loco abutuntur hæretici, vt sanctorum & imaginum cultum euerant, sed quàm rectè, ipsi errant, vera enim schismaticis suis doctrinis idola. Non enim fideles sic vel imagines

Fideles in quem finem

imagines venerantur, vel diuos colunt, vt à Deo recedant, vt in eis, Deo neglecto, omnem fiduciam ac spem collocent, nunquam enim id permisisset à Spiritu sancto edocta Ecclesia; sed tantummodo ad venerationem, suffragiorum impetrationem, nec non imitationem, & imaginum vsum, & sanctorum memorias concedit. Vide B. August. epist. 103. De ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8. & contra Faustum, lib. 20. cap. 21. D. Hieronymum in Threnos; D. Basilius epist. ad Iulian. Apostat. Synod. Nicæn. 2. Ioan. Antioch. histor. Martial. epist. ad Burdegal. Prudentium hymno in D. Eufasiam, &c. Secundò cum dicit: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta pacifica vestra, oues vestras, & boues, in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.* Quibus verbis veram Deum colendi rationem præscripsit, quæ in ratione veri illius sacrificij consistit. Cuius typum omnia illa vetera sacrificia gerebant, id est, in sacrificio illo cruento quod in cruce filius Dei obtulit in corpore suo, quod è carne terrena suscepit. In hoc altari, id est, in huius merito quisquis sacrificium contriti cordis, Spiritus contribulati, vel laudis obtulerit, iuxta spiritalis sacerdotij, quo omnes fideles secundum B. Petrum sunt sacerdotes, consuetudinem, verè patri in odorem suauitatis offerret sacrificium; idque merito & efficacia altaris Christi, scilicet huius qui semetipsum obtulit immaculatù Deo, per quem accessum habet ad patrem per fidem, Roman. 5. omnia quæcunque petierit, impetrat, Ioan. 16. & saluatur ab ira per ipsum, Roman. 5.

imagines venerantur & colant.

Ratio vera Deum colendi præscribitur.

Altare nostrum Christum, & eius meritum. Hebr. 13.

Sicut enim displicebat Deo olim victima, quæ in alio quam in terreo hoc altari offerebatur quamdiu in eremo errabant Iudæi; ita Deo inuisa est omnis oratio, quæ Christi merito non innitur. Hunc etenim solum proposuit Deus propitiatorem eis qui & ignorant, & errant, victi scilicet vel ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.

EPILOGVS.

In lectione hac proponit nobis sancta mater Ecclesia secundam legis Mosai: tabulam, vnà cum enarratione historia sacra legis in monte Sinai lata. Vbi Dominus de celo horrendum intonuit, Thora, hoc est, legem suam populo Israelitico datus, non sine terrore, cuius terroris causam Moses assignat explicatque dicens: Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Dominus sic, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Vnde non immeritò dicit Sapiens: Initium sapientia timor Domini. Obseruandum etiam hic Moesen accessisse ad caliginem corum est certam, in qua erat Deus; populum verò stetit à longè, vt hinc discamus differentiam laici ordinis & clericorum. Moses sequester hic fit. Sacerdotes quoque sunt cooperatores Dei, dissipatores puta mysteriorum Dei, 1. Corinth. 4.

T

FERIA

Matth. 15.

Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisei, dicentes:

Marc. 7.

*Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum: Finis Euâgelij:
Non lotis autem manibus manducate, non conquinat hominem.*

MAGNA verborum acrimonia inuehitur Christus in Scribas & Phariseos, pessimum genus hominum, ad contentiones & lites natum. Quos in Euangelica historia aliud nihil in vniuersum videmus facere, nisi gratiæ Dei egregiè pugnare. Qui vsque ad eò excæcati, & in sua malitia obdurati erant, vt etiam miracula gloriæ Dei, diabolo referrent accepta: taceo quò doctrinam eius, cui resistere non poterant, nunquam rodere cessauerunt. Scientia quippe non habet inimicum nisi ignorantem.

I Primò, Vehementer agit in falsam sacerdotum & Scribarum superstitionem, qua humanas traditiones sine verbo Dei traditas, mandatis Dei præferrent, clauum clauo pelens. *Tunc*, inquit Euangelista, *accesserunt ad Iesum*, &c. Tunc scilicet (vt Chrysofost. obseruat) quando plurima signa operatus est quando infirmos solo fimbriæ tactu curabat: vt obduratam Scribarum indicet nequitiam. Venerunt ab Hierosolymis, à loco sancto, Scribæ & Pharisei, Christo questionem mouentes. Genesareis interim indoctis credentibus, ideoque omnibus aliis peiores, quò credentibus idiotis, ipsi soli indurescunt. Non enim cognouit mundus per sapientiam Deum. Infirma quippe mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, 1. Corinth. 1. *Quare discipuli tui*, inquit, *transgrediuntur traditiones seniorum?* *Quæ* fuerint hæ traditiones, Marcus cap. 7. explicat: Iudæi scilicet omnes, nisi crebrò lauent manus, non manducant. Hoc autem hauserunt ex scripturæ contextu, sed malè intellecto. Quod enim Esa. 1. dicitur: Lauamini, mundi estote: isti solam spectantes litem, corporis lotionem intelligebant, cum tamen satis Propheta in subsequentibus explicet, se de interna lotionem loquutum: Addit enim: Auferte malum cogitationum vestrarum. At vt sepulchra dealbata erant, ita externam tantum probabant munditiam, cum interim, vt inquit Hieronymus, manus, id est, opera, non corporis sed animæ, lauandæ sint, vt fiat in illis verbum Dei.

Non enim lauant manus cum panem manducant. Obserua lotionem esse aliam civilem, aliam mysticam, aliam sacramentalem, & aliã superstitiosam. Civilis est, qualis fuit Susannæ, Daniel. 13. & Bersabæ se in fonte abluentium. Hæc olim etiã Christianis

stianis trita fuit, vt liquet ex Tertulliani lib. de corona militis. Et Iteneus refert D. Ioannē Euangelistam Ephesi lauisse. Mystica lotio est qualis filiorum Israēl, quibus Deus præcepit lauare vestimenta sua, Exod. 19. & pedes manusque sacrificia oblaturus eluere: Item Apostolorum in cœna. Sacramentalis, qualis baptismi, quā mundamur ab omnibus inquinamentis nostris. Superstitiosa est, qualis gentilium quorundam, de quibus Persius ait Satyra 1. Tyberino in flumine mergunt mane caput, bis terque & noctem flumine purgant: Talis est Turcarum, necnon istorum Phariseorū. Nisi enim crebrò lauent manus, non manducant, Marc. 7. cum interim scateant dolo & rapina, Matt. 23. Forsan enim Apostoli manus pro trito & consueto more lauerant, sed non superstitioso, quo Pharisei. Vel nihil eos non lauisse obstat, cum iam superflua despicerent, ea solum quæ necessaria erāt attendentes, ait Chrysof. Qui enim ipsum etiā cibum contemnebant, quomodo huic sumendo studium impendissent. Honestum quidem & commendabile manus abluere, sed cum cætera ad salutem necessaria non omittuntur: nec sic illis inhæreas, vt cæteris magis necessariis deroges, munditiei scilicet interiori; vt vult Christus, Luc. 11. Interrogantibus enim quare discipuli transgredereſſent traditiones seniorū, eo quod non lauerent manus cum panem manducarent, quasi inde pietas & religio aut absolueretur, aut certos auctus sortiretur: & tāquam neglecta ea, in Deum peccaretur, respondet: *Quare vos propter traditiones, & superstitiones vestras, transgredimini mandatum Dei?* Hoc ipso enim traditio abiicienda est, si Dei verbum offendant. Interim tamen traditionē hanc non vituperat Christus, sed Phariseorum in ea superstitionem: qui dum ignorant Dei iustitiam, suam quærunt statuere. Dominus itaque non ferens tam malitiosam de re nihili criminationem, percussit illos atrocioſe criminatione, atque per antithesim & traditionibus & statutis hominum mandatum ac præceptum Dei opponit, ac iuxta B. Hieronymum falsam calumniam vera responsione confutat, non impatentia, sed zelo iustitiæ, innocentes excusando, & inuidos & præuaricatores accusando. Indignè enim alios de paruis accusant, qui magnis subiacent vitis, Matth. 7. Quid autem vides festucam, &c.

Intelligit autem Christus non solum illud mandatum Dei quod scripto per Moſen est traditum, verum etiam quod viua voce per cabala, siue traditionem acceperant. Sicut hominum intelligit traditiones, quæ humano ingenio contra Dei verbum erant excogitatæ, quales erant hæ Pharisaicæ, cum dicebant: *Qui dixerit patri vel matri: Manus quodcumque ex me est,*

Mandatū Dei quid sit.

Traditiones humana quales.

les.

tibi proderit, Matth. 15. Hoc est (vt habet Glossa) quod ego offero Deo, & mihi & tibi proderit: & ideo tu qui pater meus es, non debes sumere res meas in tuos vsus, sed pati vt Deo ea offeram. Hoc scilicet fieri posse docuerant Pharisei, vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo voluerit soluere, qui verus est pater, & in templum inferre: oblatio Domini præponatur parentum muneribus (ait Hieron.) id vtique non quod pietatis, sed sui lucri studiosi essent. Item: Si dixerit homo patri vel matri Corban, Marc. 7. quod est, si interpreteris, oblatio, & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis, & similia huiusmodi multa facitis. Siquidem, vt habetur Prouerb. 18: Qui subtrahit aliquid à patre suo & matre, & non dicit hoc esse peccatum, particeps homicidæ est. Sed neque dona iniquorum probat Altissimus. Ex multis ergo vnum accepit, ponens autoritatem quantum ad honoris obligationem, & quantum ad dehonorationis punitionem, vt eos ad sui reatus duceret considerationem. q. d. secundum Hieronymum: Si vos mandata Dei contemnitis propter mandata hominum, quare discipulos meos arguitis, qui mandata hominum contemnunt, vt Dei scita custodiant? Siquidem Deus naturæ legem corroborâs, serid iussit, vt quisquis patrem & matrem honoraret, ac subsidio subleuaret, longæuitatem vitæ huius repromittens ac felicitatem hoc facienti, mortem comminans secus agenti, Exod. 20. Ephes. 6. Leuit. 20. Honor in scripturis non tam in salutationibus & officiis offerendis, quàm in elemosynarum & munerum oblatione attenditur. *Honora patrem tuam, & matrem tuam*, eos scilicet reuerendo. Sic Christus matrem & Ioseph, Luc. 2: Obediendo illis in Domino, Ephes. 6. Sic Isaac, Genes. 22: Eis subueniendo, 1. Tim. 5. Sic Ioseph, Genes. 39. & Dauid cum patrem regi Moab commendauit, 1. Reg. 27. Sic Christus in cruce matris sollicitus fuit, Ioan. 19. Et qui maledixerit patri vel matri, moriatur. Quod Deuteron. 20. sic exprimitur, vt rebellem filium parètes lapidandum à populo proferant. Oculum enim qui subfannat patrem, effodient corui, Prou. 30: Quoniam parentibus inobedientes digni sunt morte, Rom. 1. Vos autem consulentes auaritiæ vestræ, quod subleuandis parentibus erat impendendum, vertitis in lucrum vestrum; docetis homines, sanctius esse ac melius, locupletare donariis tēplum, quàm opitulari parentibus egenis; ac technam monstratis, qua parentibus opem flagitantibus illudant filij, vestra traditione falsè præceptum Dei exponendo, & persuadendo vt parentibus dicerent: Corban, hoc est, munus quod offero templo, tibi collatum

Corban quid interpretetur.

Honor parentum in quibus consistat.

Techna Pharisæica.

collatum puta. Siquidem quod Deo offertur summo parenti, rectè collatum est. Hinc dicitis iam non esse opus, ut quicquam impartiant egenis parentibus, quòd præcepto factum sit satis: & interim superstitione deterretis parentes, ne audeant à filiis exigere, quod semel Deo dicatum videret, ne sacrilegio sese reddant obnoxios. Atque hac arte sub prætextu falsæ pietatis, contra præceptum Dei deseritur pater, ut melius habeant sacerdotes. Res ad vos redit, nam ad parentes subleuandos præter verba nihil redit, cum tamè scriptura testetur Deum misericordiam velle, & nō sacrificiū, Osee 6. Non ergo honorificat patrem, qui beneficia non præstat. Obserua: Multa olim templo inferebātur. Quædam scilicet iure diuino, ut decimæ, de quibus Exod. 33. & Malach. 3. Quædam spontè tantum, & voluntaria pietate, ut tempore Salomonis: quæ sanè cum ea discretione offerenda sunt, ut interim parentes & famelicos alamus, Osee 6. Misericordiā volo, ait Dominus: & 1. Reg. 15. Vult quippe ut obediatur voci eius, ut in Saule do cuit. Et qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris, Eccl. 34. Imò necessitate urgente, parentes & pauperes bonis omnibus Ecclesiæ alendi sunt: sicut David propositionum panibus pastus est, 1. Reg. 21. quod Christus approbat, Marc. 2.

Neque enim Christus simpliciter omnes traditiones damnat, peccaret enim alioqui Paulus, 2. Thess. 2. d. Itaque fratres state, & tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Proinde errant qui arbitrantur Christum simpliciter quascunq; damnare traditiones: damnat enim eas solùm traditiones, quæ ita sunt hominum, ut nullatenus Dei esse possint. i. solo ingenio humano excogitatae, sine vlla Spiritus sancti reuelatione, quæ tales sunt, ut Dei præceptis repugnent & contrarientur, & sicut Hieronymus dicit: Sæpe traditionibus hominum mandata Dei cedere debeant.

*Traditiones
quales dam-
nentur.*

Obseruandum, hîc esse quædam hominum mandata diuini contraria. Hæc sunt contemnenda, Act. 4. Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Act. 5. Obedire Deo oportet magis quàm hominibus: de quibus Isai. 10. Væ qui condunt leges iniquas, &c. Tales hic erant Pharisei & Scribæ, quorum avaritia & hypocrisis huiusmodi traditiones impias inuexerat.

*Mandata hominum tem-
nenda aut ser-
uanda quæ
sunt.*

Quædam diuini opitulantiã, utpote ieiunium, quo caro crucifigitur, Galat. 5. & dies festi, quibus colitur Deus, &c. In talibus obediendum, Heb. 13. Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis. Vide Act. 15. vbi Apostoli per Paulum man-

dara Apostolica obseruare docuerunt, confirmantes Ecclesias per Syriam & Ciliciam: quæ etiam tenere, & in illis stare Paulus admonet, 2. Theff. 2. Quæ qui abiicit, religionem etiã ipsam pessundat. Ridiculum quoque esset & abominabile, vt traditiones quas antiquitus à patribus accepimus, infringi patiamur, vt habetur distinct. 12. Ridiculum: Sed hæreticis est peruium eas euertere, vt docet D. Basilius epist. 61. ad Episcopos Occidēt. Hæreticis enim præualentibus, cõtemperta sunt patrum dogmata, inquit, Apostolicæ traditiones annihilatæ sunt: nouorum hominum inuenta in Ecclesiis regnant. Neque tamen nos qui Catholici sumus, transgrediamur terminos quos posuerunt patres nostri: siue hi scripto, siue traditione constant. Quid verò est hoc dictum? ait D. Thomas Aquinas in Matth. Ieiunare est doctrina hominum: & canones sunt traditiones hominum. Nunquid qui hæc docent, sine causa colunt Deum? Intelligendum est in præiudicium mandatorum Dei: Iob 32. Deum homini non æquabo.

Quædam communem politiam concernētia, diuinis non contraria, de quibus Prou. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Hinc Apost. Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

2. Secundò, Christus itaque vt falsam illis de iustitia operum, quam ex huiusmodi superstitionibus conceperant, laruam detraheret, acerrima Isaiæ sententia ipsos perstringit, quæ in eos grauissimos errores reprehendit: scilicet quòd labiis Deum honorarent, corde procul abessent ab eo, & docerent doctrinas & mādata hominum. Hæc enim propria sunt opera eorum, qui neglecta Dei iustitia, suam volunt statuerē, Rom. 10. quos proprio nomine vel hypocritas, vel duces cæcorum, vel sepulchra dealbata vocat Christus, Matth. 23. Hypocrita, inquit, bene prophetauit de uobis Esaias, ca. 29. Populus hic labiis me honorat. Vbi ratione clauum clauo retudit, idem agit auctoritate, vt conuincendos magis Pharisæos, quàm Apostolos doceat. Præuidit enim Esaias simulationem Iudæorum (ait Rabanus) qui dum se Dei cultores esse iactarent, filium inhonorarunt: dum decalogum in frontibus gestarent, eundem peruerterunt.

Isai. 29.

Labiis honorare qui dicuntur.

Sic dicuntur labiis honorare, qui legem verbo, non facto seruant: fictione, non veritate; qui tantum, vt Poëta ait, trutinanti verba labello sacra canunt, vocetenus solum submurmurantes, cum aliud longè animo versent, quàm verbis pronuntiant.

nuntient. Vt si quis orationem prolixam simulet, vt sic domos viduarum penetrare queat. Tali etiam modo Iudei Deū labiis honorabant, cum legem ab eo datam scrutarētur, psalmos etiam & diuinos hymnos modularentur: sed cor eorum longè erat ab eo, quia semper in malum proni ferebantur, cordibus idola colētes, de quibus scriptum erat: quod reuerſi sunt cordibus in Aegyptum. Honorabant insuper labiis Deum quando ad Christum subdola fraude dicebant, Matt. 22. Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces; sed cor eorum longè erat ab eo, quia ideo loquebātur ista, vt possent eum Cæsaris tradere potestati.

Cor autem eorum longè est à me. Dicuntur corde procul à Deo abesse, dum ita rerum terrenarum cogitatione & concupiscentia impediūtur, vt dum maximè coram hominibus pietatem simulat, nihil minus quàm de Deo cogitent, non Christo, sed suo ventri seruiētes. Cor longè erat à Deo, quando duces cæci dicebant miseris parentibus: Corban. Longè profus erant à Deo hæc dicentes. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Hoc etiam ex Esaiæ præconio est: cui interpretando vis faciēda, in dictione hominum. Scilicet exprimit Propheta doctrinam ab hominibus inuentam, hominumque vt hominum mandata, quæ nimirum à Deo inspirata non fuerint, sed à concupiscentia dictata, frustra ad Dei cultum assumi.

Dicuntur item docere doctrinas & mādāta hominum, qui contra Dei verbum ea quæ humano excogitarunt ingenio, quæstus causa, populo obtrudunt, tanquam diuinum foret oraculum. Cōtra quos B. Paulus, Coloss. 2. nos præmunit d. Videte ne quis vos decipiat per philosophiā, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

Hoc loco mirè sibi blandiuntur nostri temporis heretici, aliud nihil omnibus suis scriptis crepantes quàm hæc in monachos & papistas quadrare, dum velut seueri aristarchi sese orbis iudices, contra ordinem iuris, constituunt, quo nulli licet accusatori iudicis partes sibi sumere. Convincere enim prius debuerant veram religionem ex certo Dei verbo à patribus institutam, Deum labiis tantum honorare: quod certè nunquam poterunt, cum omnia ipsorum argumenta aliud nihil quàm abusus, qui passim temporis diuturnitate in religione irreperant, demonstrant: quos certè dissimulare, nec possum, nec volo. Sed quàm futilia talia sine argumēta, quæ ab abusu sumuntur, vel tyronibus dialectices notius est, quàm vt probatione egeat. Doceant itaque veram religionem, quæ in spiritu & veritate Deum adorat, labiis tantum

Corde qui
procul à Deo,
absint.

Heretici se-
ueri aristarchi.
& orbis iudi-
ces.

Argumentum
ab abusibus
non valet.

honorare. Doceant cœlibatum, continentiam, paupertatem voluntariam, veram humilitatem doctrinas esse hominum, & cum verbo Dei pugnare. Doceant, inquam, abſtinentiam, quæ carnis frenandæ cauſa ſuſcipitur, doctrinam eſſe dæmoniorum (vt illi loquuntur) & vtraque manu palmã dabimus. Sed nunquam poterunt, niſi magna impudentia velint, quod indies non verentur, adulterare verbum Dei, aliò ſcilicet trahendo, quàm à ſpiritu Chriſti ſit inſtitutum. Proinde nihil minus hic agit Chriſtus, quàm quòd veram religionẽ damnet: in quam ſi quæ irrepſerit ſuperſtitio, ea purgetur: ſi quæ licentia, cœrceatur: ſi quis error, eo ſublato, veritas reſtituatur. Vulgò enim à doctis dicitur: Abuſus non tollit rem.

3 Tertiò, Concionatur Chriſtus hoc Euangelio cõtra falſam opinionem Phariſæorum, quam in delectu ciborũ conceperant. Quia enim per Moſen varia illis Deus ciborum genera interdixerat, credebant ex natura ciborum inquinari manducantem, & reum apud Deum fieri. Atque eò ſpectabar & ipſorum traditio de frequenti manuum lotionẽ, contra quam hic peccarant Apoſtoli. Cũ enim per Prophetam munditiẽ præcipi audirent, vt eſt: Mundamini, qui fertis vaſa Domini, Iſai. 52. Item: Lauamini, mundi eſtote, Iſa. 1. credebant ex immunditiẽ ſordium corporearum animum inquinari poſſe. Quam ſententiã corrigit Chriſtus, oſtendens, vt ait Apoſtolus, omnem creaturam Dei bonam, & nihil reiſciendum quod cum gratiarum actione percipitur, 1. Timoth. 4. *Conuocatis enim ad ſe turbis, dixit: Audite & intelligite, ſcilicet quàm ſint friuola quæ præſcribunt Phariſæi, de minimis anxij, maxima negligentes. Quia enim obſtinata malitia ſeſe excæcarant Iudæi, vt allatam per Chriſtum veritatem non agnoſcerent, illis neglectis, conuocat Chriſtus turbas, quibus cœperat pater iam reuelare myſteria, Matth. 11. ſimul etiam indicans Publicanos & meretrices eos præceſſuros in regno Dei, Matth. 21. Ceterũ non tantũm ait: audite, ſed & intelligite, quòd verbum Dei nõ in ſono ſit quod aure percipitur, aut in litera aut cortice, ſed in ſenſu, quod intellectu concipitur. Item id ait, q. d. Iſtos quidem auſcultatiſtis hypocritas, nunc æquum eſt, vos & audire & intelligere quæ dico. *Non quod intrat in os, hoc coinquinat hominem.* Hoc eſt, non ſordes manuum illotarum, quæ vnã cum eſcis in os ingrediuntur, contaminant aut conſpurcant hominem, quia nec tangunt animam: ſolum namq; peccatum fœdum eſt, quod animæ nocet. *Sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem.* Impurus nimirum ſermo, qui cor pro fonte habet, coinquinat hominem, cũ non ſine peccato ſit. Vnde Phariſæos occultè perſtringit, vt quorum ſermones, murmura & cauilli ab inuidia*

Opinio Phariſæorum falſa de ciborum delectu.

nidia & hypocrisis emanarent: cum tamen quod loræ manus essent, se de munditia iactarent. Summatim docet quid hominem vel purum vel impurum reddat, scilicet, non quod intrat in os, non quod illotis manibus sumitur, sed quod procedit ex ore. Quia enim inquinata mens est, & conscientia, fit ut quicquid ex corrupto fonte cordis & oris procedat, impurum sit & immundum. Voluntas enim, quæ humanarum actionum origo est, semel corrupta, efficit, ut quicquid ab ea procedat, immundum sit. Proinde qui contra mandatum Dei, vel Ecclesiæ decretum cibum aliquem sine vlla necessitate, sed deliberata malitia & voluntate accipit, ut gulæ suæ fatis faciat, hunc non cibus, sed mala concupiscentia & voluntas reddunt immundum. Hieronymus: Ipsi quidē cibi & omnis creatura munda est per se, sed idolorum & dæmonum inuocatio, ea fecit immunda, ratione scilicet prohibitionis, nec non rebellio in præceptum, aut scandalum. Si esca (inquit Paulus) scandalizat fratrem meum, carnē non manducabo in æternum, 1. Cor. 3. Sic & immoderantiæ abusus coinquinat, 1. Corinth. 6. Neque ebriosis regnum Dei possidebunt. Cibus igitur omnes Catholici patres bonos esse censent naturā, nec tamen eorum vsū semper licitum esse docent. Non quod creatura Dei bona non sit, sed quia vsus creaturæ malus esse potest. Quis enim dubitat ebrium peccare? Non tamen id contingit, quasi vinū non bona sit Dei creatura, ut mentiti sunt aliquot hæretici, sed quod bono malē ebrius vitur. Sic abuti potest quis vxore, escis, potestate, liberis, amicis, fructibus, seruis, & ceteris quibuscunque: abuti anima & corpore, ratione, ingenio, fortunis, etsi tamē hæc secundum se bona sint. Cibus ergo ex sua natura non inquinat hominem, sed vsus illius vitiosus: Vnde nec pomum ex sua natura ipsi Adam mortem intulit, sed inobedientia.

4 Quartò, Succurrit infirmitati discipulorū, qui cælestem hanc philosophiam de tollendo Pharisaico supercilio quod ex ciborum delectu sumebant, nondum poterant intelligere, docens negligendum esse scandalum, quod impij sumere solent ex pia doctrina, qualis erat hæc Christi de natura ciborum. Nam accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt? Adhuc carnales erant discipuli, ut qui magnatum grauitate terreātur: vnde & Christum mitiorem esse postulant. At neque Christus scandali alicuius causa est: sed Phariseorum malitia, cum Christus peccatum non fecerit, nec inuentus fuerit dolus in ore eius, Esa. 53. Caveat etiā Catholicus omnis; ne ipsū Christi verbum offendant, ne ex eo rationem scandali educat. Beatus enim qui non fuerit scandalizatus in eo, Matth. 18. Beatus qui docilem præbet

Voluntas humanarū actionū origo quid efficiat.

Scandalum impiorū contemnendum.

aurem, nec quid Dei verbo impossibile credit, siue de Eucharistia, cæterisque sacramentis quærat.

At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauerit pater meus, eradicabitur. Id est, omnis doctrina aut traditio quæ Deo inspirate instituta non est, decidet. Quod autem Paulus dicat, 1. Cor. 4. Ego plantavi, Apollo rigauit, dicimus utique Paulum plantasse, sed negamus proinde patrem non plantasse. Plantauit enim Deus ut principalis & supremus: Paulus ut minister. Metaphora igitur utitur Christus à plantis, & hortulano seu agricola adeò perito, ut quod absque eius consilio plantatum est, firmas agere radices nequeat. Pater enim agricola est, Ioan. 15. & nos, omniaque nostra, palmites, seu plantationes. At nemo hic cum Seuerianis & Manichæis plantationem quandam sic à Deo, non esse arbitretur, ut quædam creatura à malo sit. Non enim naturam aut creationem alicuius intellige per plantationem, cum omnis creatura Deum factorem habeat: verum quæ à voluntatis institutione pendent, ut decreta, traditiones & similia.

Sinite illos, inquit, cæci sunt & duces cæcorum, id est, ne eorum vos scandalum remoretur, aut murmur offendat: imò nec eos timeatis aut vereamini: cæci enim sunt, & ego lux mundi, Ioan. 8. Sanctus Thomas Aquinas dicit dupliciter contrahi scandalum: vel ex certa malitia, vel ex infirmitate. Quod si ex infirmitate nascitur, curandum est, ut is qui scandalizatur, instruat. At sic non scandalizabantur Pharisei, sed certa malitia. Vnde Christus cæcos eos dicit. Et de his curam gerere, laterem lauare est. Proinde hæreticum deuita, ait Paulus, ad Tit. 3: ne tu idem dicas quod Angeli Hieremiæ cap. 51: Curauimus Babylonem, & non est curata. Et sic Christus monet sincere Phariseos.

Si autem cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt, q. d. Ut quid illos vobis in regulam præfigitis? An non intelligitis, quòd via illorum tenebræ & lubricum? Qui autem me sequitur, in luce ambulat. Quo verbo admonentur omnes, qui se nota aliqua aut crimine conspurcatos censent, alios ad lumen fidei, aut morum in quo cæcutiunt, hortari vereantur, dicam ne præsumant, Rom. 2.

Respondens autem Petrus dixit: Ediffere nobis parabolam istam. Petrus enim obseruantis legalibus assuetus erat, quæ nonnulla quæ in os intrant, immunda censebant: vnde Christum non aperte legalia abrogare, sed parabolicè loqui putabat; ut doctè commentatur Chrysost. adeò Dei verbum rudes discipulos obstupescit, ut hæc illis omnia in parabolis dicta arbitren-

arbitrentur. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Vt non attendatis hæc ad retundendam Phariseorum hypocrisis dicta, non ad interdicensam à cibis abstinenciam, & lorionis commendationem, quæ ad hoc tendit, vt vitia abdicentur?

Petro ergo roganti, interpretationem edisserit, post grauem comminationem, qua ipsorum ruditatem & hebetudinem arguit, quòd adhuc sine intellectu essent, docet cibum, potum, & vestitum ex sua natura neminem coram Deo polluere: sed solo peccato hominem coram Deo pollui, quòd hoc ex corde suam originem fumeret, vt sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemix. Propter hæc enim quia natura sua mala sunt, & verbo Dei prohibita, venit ira Dei super omnes qui iis inquinati sunt.

Non intelligitis, inquit, quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Hoc à maiori parte intelligit. Nam per guttur cibus & potus in ventriculum demittuntur tanquam in ollam aliquam: & quod crassum est, deorsum abit, quod autem tenue, in chylum mutatū innatat, quod singulis membris commutatur, ossibus in os, carni in carnem, medullæ in medullam. Nec enim Christus Physices ignarus fuit, vt ex hoc loco quidam intelligere voluerunt, ait Hieronymus. Nam certum est & carnem in carnem demutari, & partem quandam vaporis per poros emitti, sed ibi totam pro parte sumitur, vt aliquando per Synecdochen pars pro toto, vt soluit D. Thomas in Matthæum.

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt. Multa quidem ex ore procedunt, quæ è corde non emanant, vt sputa, vomitiones & similia. Hoc dictum igitur intellige de his quæ voluntatis sunt indicia. Sed & Augustinus libr. 15. de Trinit. & Thomas in Matth. duplex os obseruant, vnum mentis, alterum corporis: adeo vt quæ è mentis ore procedunt, inquinant. *Es ea coinquinant hominem*, id est, animam. Possunt enim hominem inquinare cibi per os sumpti, si per hominem corpus intelligas. Nam & venenis inficitur homo, & vomitu perfusus ex ore egresso scædatur.

De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemix. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Sicut enim aqua transit per fistulam, ait D. Macharius, homil. 15. ita peccatum per cor & cogitationes.

Conuincitur hic error Platonicus, qui dixit, principale Error Platonis ipsius animæ in cerebro esse, cum iuxta Domini sententiã, *nicus conuincitur* in corde sit: & arguendi sunt ex hac sententiã, qui cogitatio-

nes immitti à diabolo putant, & non ex propria nasci voluntate. Poteft enim diabolus incēfor esse malorum, non aētor; sed occulta rimatur, & ex corporis habitu, & ex signis motibusque quibusdam æstimate solet. Verbi gratia, Si nos viderit pulchram mulierē crebrò inspicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum, sicque pravis suggestionibus stimulat ad fornicandum. Si nos contra proximum rancorem vocis, vel trucem aspectum leuare conspexerit, intelligit cor inuidia tabescere, sicque per iram ad homicidiū facinus inflammat. Si ieiuniorum tempore viderit nos ad fenestrā crebrò respicere, & in solis radio curiosius horam denotare, gulæ vitio conuincit animum sauciatum. Si gemmarum vel auri vel quarumlibet rerum pulchritudinem nos ardentè intueri videat, intelligit in corde latere malum auaritiæ, & idcirco prouocat ad furta. Hæc aperta opera Saluator cogitationes appellat, quia primū concupiscentia corde concepta cogitationum fomitibus nutritur, & sic demū ad operationem perducitur. Ex malis enim cogitationibus proueniunt mala verba & opera. Hinc Dominus concludit; hæc sunt quæ immundum reddunt coram Deo, culpæ maculam inferendo. *Manducare autem manibus non lotis aut communibus, non coinquinat hominem, scilicet vbi nihil hoc factò à corde procedit, quod condemnationem mereatur.* Omnia enim mūda mundis, Tit. 1. Nec potest animus qui incorporeus est, defædari, nisi inquinamento & sordibus peccatorum. Sed si quis Eucharistiā sumpturus aut cibum, contēptu aut cibi aut Eucharisticæ, manus non lauat, hoc ipso peccat, quod à corde emanat. Sic qui cibum sumit contēptu præcepti aut consuetudinis, hoc ipso reprobatur & inquinatur, cum circumstantiæ adiaphoras actiones circumscribant, vt in ieiunio docet Basilius lib. de virginitate.

EPILOGVS.

In præsentī lectione Dominus Iesus nobis reliquit doctrinam, præcepta Dei cuius fidei maiori cura esse obseruanda, atque præcepta hominum: Omnem plantationem quam non plantauit Deus, eradicandam; hoc est; omnem institutionem perituram, quam homines ad suum questum & gloriam ex sese, non ad veram pietatem commenti sunt. Act. 5. Apostolicas tamen traditiones traduce sacra S. martyrum & pontificum ad nos translatas, Ecclesia in perpetuum seruabit. Sicut enim per Spiritum S. paracletum, per spiritum veritatis, apostolus sancti que patribus inspirate, & à tot chiliadibus sanctorum approbate, diuina diapason à synagogicis traditionibus differentes. Summa, Constitutiones humana & apostolica non superstitiosa, neque in onus deprimentes miseros, sed vitia & pertinaciam malignarum reprimentes, sunt obseruanda.

FERIA

Bonum quod
est perpetuan-
dam.

FERIA QUINTA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino, dicens: *Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, &c.* Finis Epistolæ: *Habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris à seculo & usque in seculum.* Hierem. 7.

HAC Epistola, in qua Propheta Dei iussu contra hypocritism Iudæorum acriter clamat, ad disciplinam sanctam, ad virtutum cultum, & ad charitatem ipsos identidem provocans; eo quod cultus diuinus cæremonialis non sufficiat ad perfectam religionem, agit præcipuè tria.

1. Primò, Iussu Domini Iudæos prætextu religionis impunitatem peccati sibi pollicentes, quod scilicet Deum verbis faterentur se nosse, factis verò negarent, grauiter arguit ac reprehendit, dam nans impiam hypocrisim, & quam imbibebant falsam superstitionem de Deo conceptam, quasi gentilium deorum more, aut solo sacrificiorum nidore, aut magnificis anathematibus, aut clamoris orationibus, 3. Reg. 18. quales erant Baalitarum, oblectaretur. Quæ opinio eorum est, qui ex suo ingenio naturam diuinam æstimant, nec aliud Deum esse somniât, quàm quod ratione assequi possunt. Itaque stans Hieremias in magna atque celebriori porta templi Hierosolymitani, docet aliter longè de Deo sentiendum, & alia ratione colendum, nempe sic; gratum Domino fore obsequium templi cæremoniales, si etiam accederet pietas cordis & operum bonorum: clamitat quoque cæremonialia obsequia sine religiosa conuersatione, nequicquam fieri; impiè viuere, & sedulò sacrificare, esse Deum exacerbare, non placare: Decalogum siue verba decem præuaricari, & Deum decalogi auctorem inuocare, Deo esse illudere, non Deum colere, &c.

*Obsequium
sacrificiorum
gratum Deo,
si accedat san-
ctus morum.*

Obseruandus est hic locus ab Episcopis, Pastoribus, & Prædicatoribus, quorù est stare in porta domus Domini accensos zelo Dei, instructos verbi cognitione, vitæ probitate, ne mès à lingua dissentiat, tum etiam eximere animis hominum falsas de Deo opiniones, Epicuream securitatem, & inanem fiduciam de sola fide conceptam. Vt enim impiè Iudæi credebant ob splendorem templi, quotidiana sacrificia, & orationes frequentes, tutos se esse in conscientia, etiam si interim turpi lasciuia, & moribus improbis distuerent, omni impietate & avaritia feruere: ita vereor, ne nunc quoque Christianorum magna pars, prætextu fidei aut religionis sibi impunitatem peccatorum polliceatur. Sunt hodie, vt ad litteram exèplum aptum afferamus, sacerdotes, qui lectis ho-
rarum

*Episcopis &
pastoribus
quid incubat.*

*Abusum ho-
die omnia ple-
na.*

rarum canonicarum precibus sese planè securos arbitrantur, tametsi peccatis innumeris, puta gulæ, libidinis, inuidiæ, auaritiæ impliciti, ad diaboli nutum teneantur. Sic etiam vsurarij, raptores, adulteri, & hoc genus flagitiosorum, vbi assidue sacrum auscultauerint, sic in flagitiosa vita se gerunt, quasi sacrû hoc patrociniû ferat vitijs. Principes quoque robusti venatores, vel missam vel concionem audiunt, interim plebe misera ad suam vanitatem tanquam canibus abutuntur. Taceo de exactiõibus, de rapinis, de pompa & voluptate, quibus omnes retrò seculorum ethnicos & tyrannos superant. Non hoc verbum Domini, neque Ecclesia est: Ecclesia specimen pietatis filiis suis præbet. Neque cum Ecclesia damnamus, sed summè approbamus: descendere in templum, precari, psallere, legere, conciones sacras audire, in terram se posternere, pectus suum tundere, sed leuiora hæc sunt respectu eorum, quæ grauiora vocantur; qualia sunt largè dare eleemosynas, ieiunare, corpus suum spiritui subigere, castè viuere, sine spe lucri mutuo dare, lites non sequi, iniuriam ferre, abstinere, temperantem & frugalem esse, voluntatem suam Deo offerre, &c. quæ grauiora legis dici possunt, respectu præcedètiû quæ carni sunt gratiora. Molestum enim est carni sua dare: molestius iniuriã perferre: molestissimum condonare, & vltionem non petere. Cæterum, vt Iohannes ait, præcepta Christi grauiora non sunt: Christus quoque ipse Matth. 11. onus suum leue, & iugum iucundum esse contestatur. Sunt itaque tam illa quæ leuiora vocantur, quam hæc que grauiora carnalibus habètur, præstanda. Neutrum citra culpam omittitur. Si negligis illud, peccas: si hoc, æquè delinquis. Nam Christus dicit Matth. 23. & Luc. 11. Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere. Stent ergo ministri in porta domus Domini, vt scilicet ipsius voluntatè annuntient, iuxta illud Isaïæ: Clama, ne cesses, &c.

2. Secundò, Ostendit quo cultu à fidelibus velit Deus coli & adorari, nimirum inuocatione ac cultu tam externo quam interno. Nam toto errant cælo, qui Christum Iohan. 4. abstulisse arbitrantur omnem cultum externum, quando tantum, vt hoc loco Propheta, hypocrisim & superstitionem tollat, docet omnem externum cultum, si animi pietate destituantur & vera fide, laruam esse tantum, quam homines admirantur, non quæ Deo placeat. Qualis enim quæso esse potest eorum oratio, eleemosyna, vel ieiunium, quibus non dico peccatum, sed ne ipse quidem affectus peccati displicet: qui eleemosyna sibi videntur velle immunitatem peccandi mercari: ad lites & contentiones ieiunant, percutiuntque pugno impiè: Isa. 58. & cum iuxta B. Hierony. in cap. 11.

Isaïæ,

*Cultus larua-
tus quis sit.*

Isaiæ, quotidianis operibus malis sanguine plenas habeant manus in oratione dies noctesque coniunctas; Ideo purgari animum vult Propheta, quod nequeat arbor mala bonos fructus facere, *Math. 7.* Ideo inquit; *Bonas facite vias vestras, & studia vestra.* Hoc est, vt loquitur *Isaias cap. 55.* Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Ergone cum cæco dices; Deum peccatorem non exaudire, *Iohan. 9.* quod August. damnat, & eâ opera contemnes quæ peccatores in statu peccati mortalis constituti agunt? Certè si dum agunt, nulla ducantur peccati pœnitidine, nec respiciendi propositum animo conceperint, nullius ego apud Deum meriti hæc arbitror, nisi fortasse temporalis alicuius mercedis præmium mereri apud Deum, vt probitas Naaman Syriæ meruit felicitatem, & Romanorû iustitia orbis imperium. Atqui nunquam merebuntur æternam gratiam vel gloriam, vt scilicet, nobiscum habitet Deus per spiritum diffusum in cordibus nostris. Effugit enim fictum, & non potest habitare in corpore subdito peccatis, *Sap 1.* Superest ergo vt vnusquisque vias suas & studia corrigat. Vana est enim spes hypocrisitarum, qui propter templi obsequium putant Deum dissimulare impietatem, & sinere populum impunè peccare. Stultitiam eam Propheta ore pleno confutabat. Hanc prophetæ Hieremiæ doctrinâ vides confirmari *Exod. 21. Esa. 1. Zachar. 7.* Sed tam Hieremias quàm alij prophetæ surdis fabulam enarrabant, vnde populus impius & pertinax datus est Assyrijs & Chaldæis vexandus, vt vel sic intelligere disceret. Vexatio enim, vt *Isaias* ait, dat intellectum.

3 Tertiò, Dissuadet inanem fiduciam, quam facile solet animus concipere ex obedientia religionis. Sic Iudæis non profuit circuncisio, quam docet Apostolus fuisse signaculum iustitiæ, nec sacrificiorum oblationes diuinitus instituta, nec cognitio promissionû diuinarum, nec tēpli cultus splendidissimus, denique nec prædicatio prophetarum. Prohibet enim Propheta ipsos confidere in verbis mēdacij, dicentes: *Templū Domini, Templum Domini;* putâtes tēpli ornatū ac promissiones, *3. Reg. 8.* ipsi templo factas, posse patrocinari ipsorum impietati: Ita vereor, vt nec nobis in seuro illo Dei iudicio prosint Christiani nominis professio, fidei prærogatiua, sacramentorû vsus, & cognitio scripturarû, quibus in hac vita cæteris gentibus præstamus: si mens à lingua dissentiat, si mores professioni non congruant; nihil quoque nobis proderit clamitare: *Ecclesia Domini, Ecclesia Domini.* Sed neque schismaticis: *Verbum Domini, Verbum Domini:* *Christus, Christus.* Nā *Apostolo* teste *Gala. 5.* nec circūcisio,

nec

*Isai. 26.**Fiducia inanis dissuadetur.*

nec præputium est aliquid, sed noua creatura, id est, verã vitæ nouitas, qua deponentes mendacium & omne circumstantans peccati pondus, loquimur veritatem cum proximo: & vt monet Propheta: iudicium facimus inter virum & virum, aduenæ pupillo & viduæ non facimus calumniam: nec sanguinem innocentem effundimus. Quibus verbis Propheta summam Christianæ perfectionis cõpsectitur, quam & Apostolus, 1. ad Thessal. 4. exprimit, dicens: Ne quis circumueniat in negotio fratrem suum, &c. Perstringit autem Propheta potissimum iudicium ertata, qui facillimè subuertebant iudicium, corrupti munerum largitionibus, cum quòd plerunque senatorum ac principum mores populus imitetur, Prouerb. 29. Ecclesiastici 10.

*Opera bona
saluaria.*

Tandè Propheta promittit hic pacem & omnia bona, hoc est, gratiam & gloriam, iustitiam & beatitudinem operibus fidei bonis; dicit enim: Operemini bonum in omnibus vjjs vestris, in omnibus consilijs & institutis vestris, &c. Et tunc Dominus erit vobiscum; Deus erit vobis propitius, & vester protector.

EPILOGVS.

Vult nos omninò Dominus Deus religionem sacram non verbis & hypocrisi simulare; sed opere & ipsa veritate exprimere. Simulationi & inobedientiæ spem aufert atque præcludit omnem. Profuisset Iudeis si hoc præstitissent quod templum Domini significabat. Sanctimoniam & concordiam templum Domini significabat. Ea si præstitissent frustra haud quaquam templum Domini, templum Domini, clamassent. Nos quoque tum demum rite Ecclesia Domini, Ecclesiam qui Ecclesia Domini clamauerimus, si ea qua Domini Ecclesia nobis facienda præuic appellat. scribit, præstiterimus. Rectè ad Ecclesiam appellat, qui sic, ne Ecclesia sit scandalo, viuunt: Insanit econtrà, qui citra penitentiam & pietatis amulationem sibi Ecclesia suffragia pollicetur. Vani quoque sunt qui superbe clamant: Verbum Domini, Verbum Domini; Euangelion, Euangelion, &c. & non iuxta Euangelij præscriptum viuunt. Audiamus B. Hieronymum: Præcepit, ait, & tunc populo Iudeorum, & hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constitui, ne fiduciam habeamus in adificiorum splendore, auratis que loquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis. Sequitur: Illud templum Domini est, in quo habitas fides, sancta conuersatio, omniumque virtutum chorus. Si quis hoc templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, .1. Corinth. 3.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAGESIMAE, EVANGELIUM.

Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis, &c. Finis Euangelij: Et erat predicans in synagoga Galilee.

*Iuc. 4.
Matth. 8.
Marc. 1.*

QUIA vitio primorum parentum humana natura vtrinque & in animo & in corpore grauiter est læsa, declarat hoc

hoc Euangelio Christus, sese à patre missum medicum non tantum animorum, sed & corporum: proinde ab ipso quacunque premamur infirmitate, salutem esse petendam. Hier. 17. Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero. Psal. 6. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me, quoniam conturbata sunt ossa mea. Item, sicut sol mundum perlustrans omnibus æquè se communicat, non magis regi quàm comiti, aut seruo aut sutori, & aëra hunc æquè omnes hauriunt: ita Christus, soli iustitiæ & publicè & priuatè curat, non viros tantum, sed & mulieres, nimirum socrum Petri, vt refertur in hodierno Euangelio, quo doceret se in omnes beneficium esse. Vult omnes homines saluos fieri, &c. 1. Tim. 2. Considera autem in hoc Euangelio tria.

1. Primò, Insignem Christi & ineffabilem mäsuetudinem, etiam erga omnes, qui, vt ægra hæc socrus Petri, magnis sese febribus diuersarum cupiditatum premi sentiunt, ac non in synagoga Pharisæica, aut in diatribis humanæ philosophiæ, vel in hereticorum conciliabulis conualescunt, sed in domo Simonis, quæ est vna, sancta, catholica, & Apostolica Ecclesia. In hac enim licet grauissimè premantur peccati ægritudine, vt lecto prauæ consuetudinis affixi adsurgere nequeant, aderit tamen sanctorum communio, cuius beneficio (vt soler aridus in vite palmes, donec in ea permanserit) tandem accipiant beneficium & auxilium gratiæ cælestis, quæ ardorem malarum cupiditatum, libidinis, auaritiæ, superbiæ, inuidiæ & iræ semel extinguat, atque ab hac dira tyrannide liberet: sed donec à corpore Christi, quod est Ecclesia, te ipse non abscideris. Ea enim vera est Noë arca, extra quam nulli salutem adsequi licuit, in qua tamen animalia, licet immunda, seruabantur, tum misericordia conditoris, tum iusti merito. Nequeunt enim irritæ apud Deum esse sanctorum preces, cum dixerit: Petite, & accipietis, Luc. 11. Ioan. 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc fiet vobis. Efficax ergo est fidelium oratio, quæ ex fide proficiscitur, sed in fidelium vnitate: à qua qui seiungitur, nec fide, nec oratione iuuabitur. Vide B. Ambrosium, & quid velit significari per febrem, qui etiam dicit, miraculum præseus de socru Simonis factum esse in domo Simonis & Andreæ, germanorum, præsentibus Iacobo & Ioannæ, ex Marc. cap. 1.

Socrus Simonis. i. mater uxoris eius.

1. Timoth. 3. Domus Simonis Ecclesia. Sanctorum communio in Ecclesia.

Ecclesia vera arca Noë. 1. Pet. 3.

Atque vt hoc operaretur, surrexit, inquit Lucas, de Synagoga. Synagoga quippe congregationem, vt & Ecclesia conuocationem designat. Atqui hoc nomine non cætus hominum tantum, sed & locus, quod verbum Dei audituri conueniebant, hinc insinuat. Surgere dicitur ab Euangelistis, cum præsentançum auxilium præstaturus est, vt Matth. 8. surgens impera-

imperauit ventis: Et Ioan. 13. surgit à cœna. Hinc Psal. 44. Exurge Domine adiuua nos. Qui enim opem fert, exurgere dicitur. Quod autem Synagogam reliquit corpore, etiam & miseratione se eam relicturum docuit, vt quæ indurefceret. Sic 2. Paralip. 24. Dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos. Et Hierem. 12. Reliqui domum meam.

Introiuit in domum Simonis. Domus hæc (vt præmissum est) Ecclesiæ Petro credita typum gessit. Ecclesiæ quippe domus Dei dicitur à Paulo, 1. Timoth. 3. Simon autem illi prælarus est, vt patet Matth. 16. & Ioan. 20. Item apud Chrysoft, hom. 55. in Matth. cap. 16: Hieronymum in Iouinian. Cyprianum lib. 4. epist. 9. ad Florentium & Pupianum: & Clementem epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

Myfterium verò habet Simonis significatio. Simon enim obedientem designat: Epithetum vtique fideli proprium, imò & omni Ecclesiæ, vt Christum caput suum æmuletur, qui patri factus est obediens vsque ad mortem, Philip. 2. vt tequamur vestigia eius, 1. Petr. 2. E contra Iudæi semper rebelles, vt testatur Christus, Matth. 23: & Stephanus, Act. 7.

Obseruabis ex hoc Christi introitu, doceri Parochum omnesque magistratus Ecclesiasticos, non publicis tantum personis, sed & priuatis, imò & infimæ conditionis hominibus curam adhibere. Proinde detestanda erit curionum avaritia, qui etiam sepulturam negant pauperibus, nisi numerata eis assignetur pecunia. Quod Decretum vetat. 13. quæst. 2. can. Quæst. Sed neque iudices, aut chirurgi, personarum acceptione, leges suæ disciplinæ infringant.

Socrus autem Petri tenebatur magnis febribus. Socrus vxoris aut mariti mater est. Magister historiarum Ecclesiasticarum dicit hanc Petro filiam vnicam nuptui tradidisse: ei que domum omniaque sua contulisse. Venit ergo Christus in domum Petri, quasi labore prædicationis peracto cibum sumpturus, sed verè quidem hanc curaturus. Quod verò Petrus soctum suam domum gram retinet, & illius sollicitus est, docet generos idem suis facere: & tanta in vxorum dilectione effervescente, vt eos qui coniugis parentes sunt, velut suos & honorent & excipiant. Sequitur:

Et rogauerunt illum pro illa, vt qui non rogatus expulerat de viro dæmonium, daret hoc amicorum precibus, vt affinem discipuli, quem inter primos habebat, leuaret febri. Sat est rogare ipsum qui nullum pretium expetit, sed sacrificium sibi vult fieri spiritus contribulati, Psal. 50. Et quidem oratione sua maximè pretium offerunt apostoli, cum ea se totos Christo addicant. Nouerant vtique Christum plures sanasse, ideoque rogant vt eius bene de se meritæ misereatur. Ex quo discimus

mus nostrum esse, auxilium Dei implorare pro infirmis fidelibus. Fundatur hic quod est apud S. Iacobum cap. 5. Infirmatur: aliquis in vobis? adducantur presbyteri, & orent pro infirmo, & oratio fidei seruabit infirmum, &c. Grata enim est Domino intercessio mutua; vnde & sanctorum inuocatio & intercessio solet esse efficax. Nam si viuentes in carne poruerunt orare pro cæteris, ait Hieron. epist. 2. ad Ripariū, quando pro se debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos? Et hoc vtique Chrysost. homil. vt. in epist. ad Roman. argumentum est, quod magna nobis à sanctis Romæ, maximè à diuis Petro & Paulo, etiam nunc promanet utilitas. Si enim Paulus (inquit) cum hic esset, vsq; adeò dilexit homines, vt cum dissolui ex animi proposito, & cum Christo esse cuperet, elegerit hic esse: multò magis illic feruentiorem amorem ostendet. Non ergo erubescamus (vt cum B. Ambrosio lib. de Viduis loquar) sanctos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiā cum viuerent, agnouerunt, & pro ea supplicarunt. Ecclesia itaque rogans pro infirmis, ritè Litaniam recitat, & post imploratam diuinam misericordiam, etiā sanctorum suffragia postulat.

2. Secundò, Admirandam considera Saluatoris misericordiam, qua facilem adeò sese exhibuit in admittendis priorū precibus, quas ex fide offerebant, vt omnibus ægis manus imponeret & nullum rejiceret. *Hinc stans supra illam, eleuauit eam apprehensa manu eius, imperauit febrī, & continuo dimisit illam.* Stat supra ægram, qui etiam si non stetisset, febrī imperare poterat: sed cæremoniis quibusdam vititur, vt ad spiritualia animum efferret. Sic & olim Heliseus, 4. Reg. 4. incubuit super filium Sunamitidis, vt cum vitæ restitueret. Stare hic dicitur supra febricitantem non secus atque gallina, quæ vt oua sua calefaciat & viuificet, alis ea obumbrat. Quod autem febrī imperat, docet se non tantum rerū creaturarum, sed & morborū pœnarumque quæ homini accidunt, dominum esse, omniaque suo verbo cedere. Quod verò etiam febris Christo obedit & morem gerit, obseruabis duriorem esse hominem omni creatura inanimata etiā & muta: imò & morbis ipsis crudeliorem. Mare enim efferuescens Dei verbo sedatur: & diuiditur per Mosen. Cælum Christo moriente obtenebratur. Sol stat sub Iosue; Ignis de cælo descendit. Reddit Helix & Heliseo infernus mortuos suos. Solus homo Dei verbum ridet & subsannat. Item potentiam Christi considera, qua ægram ita curauit, non vt lentè amissas corporis vires recipere, sed simul integram valetudinem & corporis robur redderet: vt etiam in momento Christum & eius verbū operari

*Charitatis
mutua est pro
infirmis ora-
te.*

intelligas. Imperauit, eleuauit, & sanauit, dominum vitæ & mortis se ostendens, 1. Reg. 2. Deut. 32. Apoc. 1. Et quo magis liqueret in eo fontem esse diuinæ virtutis, quæ non possit exhauriri, miracula miraculis succedunt; nam subito sic redierat vigor mulieri, vt obiens solita munia, ministraret Iesu cum discipulis suis, grata pro sua facultate beneficio, & alios suo lætificans spectaculo iucundo. Quo docemur exemplo, quòd si Deus nos quopiam leuarit morbo, dono vtamur ad sanctorum & Christi ministerium, & præsertim matronæ nostrates tam infimates quàm potentes ex hoc discere deberent fieri diaconissæ Christi, & Euangelij. Exhortatur ad hoc eas Apostolus omnes, 2. Corinth. 6. d. Seruiuit nobis dum adhuc perditam eramus. Par est ergo, vt illi vicissim seruiamus, sequentes eius vestigia in opere bono & patiētia. Item quoties à Domino delictorum veniam, quæ vera animarum curatio est, assequimur, tantò ad eius obsequium feruentiores simus, quātò prius, dum morbus peccati nos obsidebat, eramus tardiores.

Sacramenta
instrumenta
gratiæ.

Hæc etiam qui in Christo agnouerit, & per fidem fuerit professus, Roman. 10. vt se Christo subiiciat, præceptis ipsius obtemperet, & medicam eius manum admittat, is continuo surget, accepta peccatorum remissione, quam bona & præcedit & comitatur voluntas, adiuta per gratiam: sed per sacramenta, quæ tanquam gratiæ instrumenta, in Ecclesia sua reliquit Christus. In qua sola ea vult esse efficacia curandis & animorum & corporum morbis; sed non vt recuperata valetudine deses & otiosus persistas, sed vt Christo ministres, gratumque ei reddas obsequium, Roman. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Cumque sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.* Origenes occasum eos solis expectasse dicit, quòd timerent Phariseos, vel arbitrarentur die sabbati illicitum esse sanitatem alicui conferre. Quòd autem die ac nocte Christus ægrotos sanauit, docuit se omni tempore saluatorem esse, & quòd illi noctu suos ad eum ducunt, factò testantur omni hora & tempore, eos qui spiritualiter sanari volent, apud eum accessum habere, Ezech. 18. Ecce quomodo Christus nec priuatum otium nec intemperatam noctem prætexuit, quin ægris beneficeret: quo nos omni hora & tempore amico & fratri, aut corpore, aut animo languenti, curando, totos impendamus.

At ille singulis imponens manum, curabat eos. Hanc cæremoniã obseruat, vt doceat hanc curationem suæ potentis adscribendam. Manus enim in scripturis potentiam indicat. Quòd ergo manus

manus imponit, docet & potentia sua illos se sanare. Hinc impositio manuum vſitatiffima in Eccleſia, in ſignū diuinæ potētix. Docuit & hac impoſitione, carnem ſuam viuificam eſſe, vt obſeruat Chryſoſt. Demūm quōd Chriſtus curat in domo Simonis etiam quotquot illi noctu oblati ſunt, indicat ſuo exemplo quanta debeat eſſe prælatorum Eccleſiæ, cuius hæc domus typus erat, diligentia ſanandis & curandis infirmis, id eſt, peccatoribus; nullum ſcilicet, tempus intermittere eos debere, quin id muneris perficiant: maximè verò vt noctis intemperies eos non excuſet à viſitatione infirmorum, cum idem in Chriſto experiantur. Infirmatur quis in vobis, inducat præbyteros, &c. Iac. 5. Proinde canones iubent eos omni hora Euchariftiam paratam habere propter infirmos, de Conſec. diſtinct. 2. can. Præbyter. Imò & omnibus in morte pœnitentibus deferenda eſt, vt habetur 50. diſt. cap. pœnitentes. Proinde Serapion olim noctu etiam ad præbyterū miſit, vt Euchariftiam acciperet, vt refert Euſeb. hiſt. Eccleſ. libro.

3 Tertiò, Modestiam Chriſti conſiderare oportet, qua noluit ab improbis & malignis ſpiritibus ſuam virtutem prædicari, quos eiiciebat verbo, & omnes malè habentes curauit, Matth. 8. Exhibant namque dæmonia clamantia & dicentia quōd eſſet filius Dei. Hoc utique clamabant, non quōd certa eſſent, eſſe tunc Chriſtus Meſſias, ſed quōd aliquā coniecturā huius rei haberent, dum ſe eius verbo adeò cogi perſpicerēt. *Et increpans nō ſinebat ea loqui, quod ſciebāt ipſum eſſe Chriſtū.* 1 Ne Iudæorū inuidiā accēderet. 2 Ne diuina maieltate prædicata, paſſio differretur. 3 Ne glorię cupidus eſſe videatur. 4 Ne veritati mendaciū immiſcerent. 5 Ne verbis eorū authoritatē daret. 6 Quōd non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Siquidem non vult Chriſtus veritatis & fidei hoſtes audiri, nec quicquam cum illis commercij haberi. A pueris Hebræorum; & à piſcatoribus prædicari ſuſtinuit: à dæmonibus nullum recepit tēſtimonium. Licet enim verum ſubinde dicant, hoc ideo, vt poſt tutius decipiant, agunt. Transfert enim ſe in angelum lucis, 2. Corinth. 11. Porrò cum nullus ſit hoſtis nocentior Euangelio, fidei, Chriſto, fidelibus, & Eccleſiæ, ipſo dæmone: nulla enim conuentio luci ad tenebras, Chriſto ad Belial, 2. Cor. 6. idcirco Chriſtus acerrima comminatione ipſum increpat, fideles admonens, ne quid vel cum ipſo, aut ipſius membris, vt ſunt ſagæ, pythones, arioli, hæretici, & infideles, occultæ communicationis contrahant, nec veritatem ab iis quaerant, vt multi hodie ex libris hæreticorum veritatem verbi Dei quaerunt, neq̄ alibi ſeſe eam inuenire iactitant: quod non poteſt niſi maximi eſſe erroris &

*Veritas ex
diabolo et hæ-
reticorū libris
non quaerenda.*

Infantiæ argumētum. Audiendus Apostolus ad Ephes. 4. Nolite locum dare diabolo; & B. Iaco. cap. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Quamuis enim quid homine maius ex dictis & factis Domini in ipso colligerent aut coniecturarēt; ignorabāt tamen diuinitatis mysterium, incarnationis modum: multò minus intelligebant crucis victoriā, qua exspoliandi erant, 1. Cor. 2. Quam (scilicet sapiētiam) nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquā Dominum gloriæ crucifixissent. Hinc Augustinus: Tantum eis innotuit, quantum voluit; tātum voluit, quantum oportuit. Quod ergo Christus non finit dæmonia etiam verum dicentia loqui, suo docuit exemplo non permittendas hæreticis Sathanæ filii conciones, & verbi diuini interpretationes, etiam si quandoque vera dicant, nec eorum libros legendos, licet nonnunquam vera implicent. Protagoræ vtiq; Abderitis libri Athenis in concione cōbusti sunt (ait Lactant. lib. 2. de natura Deorum) quòd præfatus fuisset hæc de diis: Sint necne, non habeo dicere; quod hoc in quæstionem adferre videretur: illorumque finibus expulsus est. Quāto magis apud nos ablegandi sunt hæretici, & concremandi illorum libri? Sermo eorū serpit vt cancer, ait Paulus, 2. Tim. 2. at quāto citius poterit, cancro mederi oportet, & eius contagione membrum infectum abscindere, ne pars sincera trahatur. Proinde Constantinus Maximus decreto ad Episcopos & populum misso, præcepit conscriptiones ab Arrio factas igni tradi, ne qua possint illius remanere commenta: lib. 2. hist. tripart. cap. 15. Sic Act. 19. permulti qui fuerant curiosa sectati, libros suos combusserunt. Arbor enim quæ non fert fructū, extingui debet, & in ignem mitti, ait Christus, Matth. 7.

Sed cum idem hic profiteatur dæmones, quod apud Matt. Petrus, scilicet, quòd sit filius Dei, quorsum Petri fides laudatur, & dæmonis fides damnatur? Quia Petrus sincerè & amando; dæmon verò fraudulenter, & vt decipiat, confessionem edidit. *Facta autem die egressus ibat in desertum locum.* Sic nocte dieque pro nobis auxiliatorem se contestatur. Noctū enim ægrotos curarat, & nunc die illucente ad orationē se confert. Desertus autem locus orationi aptissimus est. Porro suo nos Christus, & omnes Ecclesiæ prælatos docuit exemplo, post collatam in alios beneficentiam, oportere secedere, ne præmium expectare videamur.

Et turba requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum. Non Pharisæi (vt Chrysofost. obseruat) non magnates, sed populus simplex. Adeò infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat, 1. Corinth. 1. Imitemur & nos eos, & iuxta consilium Christi,

Christi, efficiamur paruuli, vt intrare possimus in regnū cælorum, Matth. 18. Sequamur Christum in simplicitate cordis, Sap. 1. Sed quòd Christus non morem gerit turbæ, docet neque ad ostentationem, neque ad plebis arbitrium edenda miracula, sed quatenus hominum salus ac Dei gloria ea requirit. Hoc enim ipso miracula sathanæ à diuinis differunt, quòd aures populi captent, non autem illius salutem, imò detrimentum animæ attendant, & Dei gloriam auersentur. *Et detinebant eum ne discederes ab eis.* Adeò Christum amant, vt eius absentia carere vix possint. Sic in Cantic. sponsa dilecti ait cap. 3. Tenui eum, nec dimittam. Et Iacob, Genes. 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Tria igitur istius turbæ exemplo ad omne studiosum opus necessaria sunt. Inquisitio, assecutio, & perseuerantia. Nec enim satis est quærere, nisi id quod quærimus, assequamur: & frustra assequimur quod non retinemus. Hinc Isaias ca. 55. monet quærere Dominum dum inueniri potest. Et quidam discipuli (Ioan. 1.) cum inuenissent vbi Christus maneret, perseuerarunt apud eum.

Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei quia ideo missus sum. Non eos omninò ablegat, sed & alios se lucrari oportere docet. Missionis nomine, incarnationem hic intelligit, nec non Patris beneplacitum, qui misit filium suum in mundum, vt saluetur mundus per ipsum, Ioan. 3. Euangelizare dicuntur qui gratiam per Christum factā prædicant: hoc enim bonum nuntium est, quod nobis non timoris, vt olim in Sina cum lex daretur, Exod. 19. sed amoris spiritum conciliat, Regnum Dei gratia est & veritas per Christum facta, ceu reconciliatio hominum cum Deo. Vnde & illius summam Christus complexus est, dicēs, Luc. 24. Oportuit prædicari in nomine Christi pœnitentiam in remissionem peccatorum. Ciuitatum aliarum nomine etiam gentiles implicat, quibus hæc gratia non minus quàm Iudæis annuntiari debuerat.

Et erat prædicans in Synagogis Galilæa. Adeò apertè docet seductori se non esse, vt Iudæi improperabant: Nec enim veritas quærit angulos. Proinde publicè in Synagogis disputat & prædicat. Qui facit veritatem, venit ad lucem, &c. Ioan. 3.

Quia ex hoc loco occasionem captant aduersarij contra cælibatum & continētiam sacerdotum obgannendi, magna contentione asserentes, conjugatos fuisse Apostolos, ac proinde iuxta Pauli (vt scilicet illi volunt) doctrinam, Episcopum esse vnus vxoris virum debere, præstare enim honestum coniugium vagæ libidini, & flagitioso concubinatui, Paucis, quæ sit catholice Ecclesie doctrina, accipe; Nimirum

Cauium hæreticorū contra cælibatum sacerdotum.

rum omnia Apostolorū facta cum multa sint personalia, non debere ad commune exemplum trahi. Quosdam enim, & si coniugatos fuisse admittat; non omnes tamē, vt veteres Ecclesie patres ostendunt: neque quenquam Apostolorum demonstrabunt aduersarij, qui post Apostolatū à Christo acceptum, matrimonio sese copularit. Quòd honestum coniugium præstare turpi libidini clamitāt, nemo id catholicus negat, cum Ecclesie decreta in concubinarios, & libidinosos sacerdotes tam sint seuera, vt in nullos magis. Quòd asserunt Episcopū vnus vxoris virum esse debere, hoc catholici omnes non eò referunt, vt iam Episcopus consecratus cum vna contrahat, sed ad primitiue Ecclesie necessitatem, quæ bonorum virorum raritate laborabat, vt cogretur eos etiam promouere, qui matrimonio iuncti fuissent, aut etiam essent. Quem morem etiamnum Græcorum Ecclesia seruat, non autem eum, quem contra scripturas, contra iura tam ecclesiastica quàm ciuilia, contra denique tot annorum centenarijs in Ecclesia Christi seruata consuetudinem inuehunt aduersarij, vt scilicet sacerdotes, votifragi quas velint ducant vxores. Scilicet, hoc est verbum Dei purū, hæc veritas Evangelij, vt libidini indulgeas, ei que pro arbitrio frena laxes: ac non potius vt mundi sint, qui ferunt vasa Domini, vt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigant.

Nihil ergo sequitur ex Petri & aliorum aliquot Apostolorum coniugio in sacerdotes, cum illi antequam ad Apostolatū vocarentur, nupfissent, non autem quando vocati sunt. Vnde cum vocatio illorum sacerdotium eorundē præcesserit, sequitur eos nupfisse non sacerdotes, sed omnino laicos. Et quidem olim etiam cōiugati ad sacerdotia, ob paucitatem assumebantur, nunquam autem sacerdotes nuptiū traditi sunt. imò cōsiliū dabatur, vt quibus ante nupserāt, sacerdotes facti, sibi interdicerēt. Vnde deinceps inter Petrū & vxorem eius non fuit carnale coniugium, vt docet Leo 9. contra epist. Nicetæ Abbatis. Aequum enim est, vt qui vxores habent, abstineant propter orationem, 1. Cor. 7. quanto ergo magis ob sacrificium?

Articulus fidei cōmunionis sanctorum confirmatur.

Confirmat hoc Euangelium articulum fidei, quo profite-mur in Ecclesia esse sanctorum communionem, iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mādata tua. Cum enim fideles omnes sint vnus corporis membra, cuius caput Christus, à quo influxum gratiæ cælestis omnia membra recipiunt, sequitur (vt in rebus corporeis videmus) membrum membro iuuari, & pro se inuicem esse sollicita membra, 1. Corinth. 12.

EPILOGVS.

LECTIO hęc Evangelica subiicit nobis varia miracula potentissimarum manuum nostri seuatoris Iesu Christi, qui clementer omnium morborum generibus affectos miseros curauit, ad verbum suum declarandum. Ex miraculis siquidem euidentis fit, verbum Dei efficax esse, verbū Dei esse ipsum opus. Lucas tamen si genera morborum non exprimat, vnum tamen genus indicandum duxit, nempe hoc, quod demonia eiecerit multa. Potentie est solius Dei, quia supra omnem humanā virtutem est ferax, Iob. 40. Michael per virtutē Iesu viciū draconem, Apoc. 12. Sic Apostoli, Luc. 10. Marc. 16. Declarat ergo se verum Dei filium, verbū incarnatum, per quod Sathanas eieceretur, Luc. 11. Ioan. 12.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE
TERTIAE QVADRAGESIMAE,
EPISTOLA.

Cūque indigeret aqua populus, conueniunt aduersum Moſen & Aaron, Num. 20.
& versi in ſeditionem dixerunt, &c. Finis Epistolę: Hęc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Iſraël contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

CONSIDERANDA hęc in genere Iudæorum priscorū pertinax malitia occurrit, qua semper etiam contra ipsum Deum murmurare sunt ausi, impatientes, inficiatores, ad bonum tardi; imo bonum planè fastidientes, ad malum auidi. Hunc tam peruerfissimum populum, tanquam peculiarem sustinuit Deus & amauit, propter optimos proavos patriarchas, Abrahamum, Isaac, & Iacob, quorum amore tam pessimam posteritatem protexit, fouit, & in terram optimam perduxit, cæcis & extinctis Chananæis, Gergesæis, Euxæis, Gebusæis, & alijs populis idololatri, Deut. 6. Supra murmura blasphemia varia, etiam peccauerunt seditione ambitiosa, qua aut Moſen aut Aaronem à dignitate amouere præsumperunt. Quod quānt grauis fuerit culpæ, vel inde liqueſcit, quod tam horrenda pœna tale facinus puniuit atque expiauit, Exod. 32. Conqueritur Deus decies se sollicitatum siue tentatum ab Iſraële in deserto quod & David carmine prosequitur, Psal. 94. Propter tot, murmura & defectiones idololatricas extinxit eos Deus in deserto omnes præter Iosue & Caleb. In causâ quoque fuerunt, quod neque Moſes, neque Aaron in terram promissam peruenirēt. Continet autem præſens historia quatuor.

I Primò, Iudæorum erga Moſen & Aaron ſeditionem, ob inopiam aquarum concitatam, qua insignem suam, quam de Deo habebant, diffidētiā & incredulitatem prodebāt, dum toties illius potentiam experti, persistunt in incredulitate, cui sæuitiam adiungunt, vt semper est ad ſeditionem pro-

Posteritati
nonnunquam
prodest maior
religio.

*Vulgus belua
multorum ca-
pitum.*

pensus populus, siue vulgus clamorosum, instabile, & impetuofum, merito belua multorum capitum vocatum, ignorans quot incommoda seditionem sequi soleant, nimirum Reipubl. euersiones, regnorum depopulationes, principum cades, legum ac iuris oppressiones, incendia urbium, aliaque innumera mala; vt contra, pace ac concordia res parua crescant. Vbi enim populus Deo & magistratui paret, imperia florent, regna dilatantur, æquitas & iustitia viget, principes suauiter regunt, summa denique felicitate aguntur omnia. Parendum igitur superiori authoritati, siue politicæ, siue hieraticæ, non solum propter Deum, sed etiam propter conscientiam. Nam si multitudini moderator sapiens non contingat, perire est in procliu. Sic & nisi Sacramentum ordinis ritè secundum traducem institutionis Spiritus S. perpetuetur, sacerdotium fiet aulæ scabellum, idque tandè in aulæ & Reipubl. exitium. Vetat ergo Apostolus ne murmurem contra rectores, sed vt eos in pretio habeamus. Idem monet & S. Petrus, qui etiam vult vt dyscolis honorem deferamus, Ephes. 6. Colloss. 3. Tit. 2. Hebr. 13. 1. Pet. 2.

*Rom. 13.
Principibus
plebs obaudi-
re debet.*

*Gubernatorum
negligentia
non statim im-
putanda rei-
pub. calami-
tas.*

Neque statim gubernatorum negligentia imputandum si quæ calamitas Reipubl. accidar, sed voluntati diuinæ vel punienti peccata; vel exercenti nostram patientiam, vel probanti fidem & erga ipsum obedientiam. Sic enim solet Deus suos subinde exercere fame, peste, bellis & inopia. Quæ cum sint pijs exercitia virtutum, & impijs pœnæ peccatorum, nec præter Dei voluntatem accidant, nunquam possunt principum aut magistratuum negligentia imputari, nisi fortè quia ipsorum peccatis Deus irritatus statuit punire, vt de Dauide docet scriptura.

*Quid in re-
bus anxius a-
genium.*

2. Secundò, Continet quid in rebus dubijs agendum sit magistratui Ecclesiastico & ciuili, dum furit ignobile vulgus, nec vlla superesse ratio videtur prohibendi mali, sed periculum est augèdi potius quàm minuèdi, si obstitas. Tum enim hoc est residui, vt communi concordia orent in tabernaculo scæderis, Deum ex fide inuocent, & populi necessitatem exponant. Est enim in rebus afflictis vnica ex fide ancora orationis amplectenda, exemplo Moïsis, Aaronis, Davidis, 2. Reg. 24. Ezechia 4. Reg. 19. Quanquam enim non ignoret Deus nostras afflictiones, vult tamen à nobis sibi exponi ac declarari, vt iuxta August. epist. 121. cap. 8. exerceat desiderium nostrum, probet fidem, moneamur nostræ imbecillitatis, & agnoscamus illius potentiam.

Est autem obseruanda huius orationis, quam pro populo, Deo obtulerunt Moïses & Aaron, methodus. Neque enim vt erant clementissimi post murmur blasphemum, peccauerunt

tierunt rebellis populi interitum, perniciem & vindictam: Est enim hoc tyrannorum, qui ad quodcunque verbum, quod contra se dici animaduerrunt, protinus fulminant, Deum, Christi passionem, corpus & animam, cælum denique & terram ferali ore eiaculantur; non autem eorum qui Rempub. suam saluam cupiunt. Charitas enim compatitur, factus iurgatur & indignatur. Exigebat quidem ordo iustitiæ ut tantum facinus impune non fieret: At qui veri est principis ita mala punire, ut tamen seruet potius quam perdat subditos. Princeps enim pater est patriæ, unde nisi patris erga populum habeat affectum, non princeps aut rex aut imperator est, sed tyrannus. Neque irrita esse potest talium oratio, sicut neque Mosi & Aaronis fuit; de quibus textus habet: *Ingressi, dimissa turba, tabernaculū fœderis conuenerunt proni in terrâ, clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt. Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aque viue, ut satiati, cesset murmuratione eorum.* Sequitur: *Et apparuit gloria Domini super eos.* Quo ostendit, diuinam protectionem & auxilium cæleste omnem magistratum, si quando causam Dei gerit, tueri ac defendere, ut qui sit minister Dei, Rom. 13. Adeo bonum & iucundum est, habitare fratres in vnum, Psal. 132. Placet Deo mariti & vxoris consensus, Ecclesi. 25. plus tamen Deum afficit consensus Imperatoris & Pontificis. Gloria Domini apparuit, hoc est, splendor & signum aliquod Dei maiestatis, quo utramque administrationem approbavit, & quo vtriusque principis vota se exaudiuisse declarauit. Humiliū enim & mansuetorum illi placet deprecatio.

3 Tertiò, Fauorem continet, quem Deus legitimo magistratui, populari seditione oppresso, exhibere solet, dum tam repente audit orantem, consolatur in afflictione constitutū, & remedium præbet, quo necessitati succurratur. Tolle, inquit, *virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Quem locum quia B. Paulus ad sublimiorem, id est, allegoricum sensum traxit, age & illum sequamur. Docet enim hoc factò significatam fuisse gratiam noui testamenti per Christum allatam; virtutem sacramenti baptismi, quo regeneramur in spem viuam; & suauitatem scripturarum, qua sitibundus est consolatus, dum ait, 1. Corinth. 10. Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: Petra autem erat Christus. Huic præceptum erat, ut loqueretur Moses corā multitudine, id est, ut Iudæi crederent Christum esse verum Messiam in lege promissum, filium Dei viui, conditorē cæli & terræ, & redemptorē generis humani. Atqui dū Moses nō paret Dei verbo, sed ex incredulitate dubitat, nec petrā ut debebat, alloquitur, sed percutit,

primus

Princeps pater patria,
quid patria
debeat.

Concordia
vtriusque ordinis
optimum
Deo grata.

Allegoria in
xtra Pauli
mentem.

primus ictus irritus fuit; ita humilitate Christi offensi Iudæi, negant ipsum esse filium Dei, & dum incredulitati odium addunt, & prætextu legis ipsum legis authorem persequuntur, iusto Dei iudicio fit, ut finem legis iustitiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam non assequantur, quia offenderunt in lapidem offensionis & petram scandalali, Isai. 28. Roman. 9. Atqui ut secundo ictu egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & iumenta; ita factum est ut dum Christi humanitas crucifixa est, & factus est fons patens domui Iacob in ablutionem menstruatæ, copiosissimè sese in Iudæos & gentes effuderit plenitudo collecta ex vtrisque Ecclesia, in qua erit ipse Christus omnia in omnibus.

*Peccatū nullū
in sanctis a-
que deservatur
Deus atque
incredulitatē.*

*Deus quando
sanctificari
dicatur.*

4 Quartò, Continet iustum supplicium, quo est ob suam de Dei potentia & virtute diffidentiam punitus Moses. Nul- lum enim peccatum æquè solet Deus in sanctis detestari, quàm ipsam incredulitatē, propter quam, ut loquitur Apostolus, disceditur à Deo vivo, Hebr. 3. venit ira Dei super filios diffidentia, Ephes. 5. & pœnitam corporalibus quàm externis à Deo punimur. Hinc prædicit vtrumque in deserto moriturum. Rem sic euenisse vides hoc capite in fine, & Deuter. 34. indeque fit evidens, quid post iustum suum iudicium & pœnā transgressionis, dicitur sanctificari Deus, Leuit. 10. & Ezech. 28. Pœnitentiam itaque dignam agentes, se ipsos indicantes, à Domino non iudicantur: quia Deū sanctificant ipsi. Quanquam enim incredulitas fidem Dei euacuet, & credulitas eam magis confirmet (est enim Deus verax) vult tamen potissimè perfecta fidei protestatione à nobis coli, vult nos credere verbo ipsius, ex ipso pendere & sperare, & in ipsum fiduciam omnem collocare, non solum corde credendo, sed etiam ore confitendo & prædicando (maximè in tebus dubijs & aduersis) ipsius admirabile potentiam, maiestatem & gloriam: hæc qui non fecerit, gravissimum sustinebit iudicium. Sicut enim Moses exilio terræ sanctæ plectitur, ita, nisi pœnitentia subsequatur, æterna illa beatitudine nunquam potietur, qui coram multitudine Deum non sanctificauerit. Ergo caueamus ne tentemus Dominum, sed ipsum ut oportet, ex fide inuocemus, agnoscamus ipsum patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, laudemus cum Propheta dicentes: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Psal. 22. Præfectos Ecclesiæ cohonestemus, qui vigilant pro animabus nostris: dyscolos item feramus, 1. Pet. 2. sic fiet ut petræ aquas viuas accipiamus, spiritum nimirum gratiæ cælestis.

EPILOGVS.

Historia sacra veteris testamenti, in quo Dominus Deus populum Israel in vremo sitibundū potauit aqua ex petra emissa, id'que Moſis miniſterio & Aaronis, contra quos populus immerito murmurauit, quod in deſerto non fuit vllus locus humana prouidentia. Murmur habuiſſet excuſationem, ſi reſtores populi negligentia potuiſſent accuſari. Non ego contra Moſen & Aaronem murmurauerunt, ſed contra Dominum; quemadmodum ſupra Exod. 17. murmurauerant propter cibi penuriam: id'que tanta importunitate, vt Moſes ipſe diſceret ad Dominum: Parum abeſt, quin & me & fratrem meum lapidibus obruant. Murmur itaq; hoc, cum dubitatione Moſis & Aaronis de veritate verbi Dei, adeo graue fuit, arduum & myſteriorum plenum, vt etiam locus ipſe vbi hoc opus Dei peractum eſt, nomen inde ſortiretur. Nam quemadmodum prior petra qua percuffa aquam effudit, eſt appellata tentatio, & eadem quoque petra alias dicta eſt iurgium, Exod. 17. ſic præſens quoque petra vocitata eſt aqua iurgij, vel vt vetus translatio habet, aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra Dominum, &c. Numer. 20.

Murmur Iſraelis quàm graue fuerit.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Venit ergo in ciuitatem Samariae, qua dicitur Sichar, inſta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio ſuo: Erat autem ibi fons Iacob, &c. Finis Evangelij: ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt verè ſaluator mundi.

Ioan. 4.
Genef. 48.

TOTA præſens historia ſupra cognitionem Ieſu à Nazareth fundatur, in qua Chriſtus ſublimia religionis Chriſtianæ myſteria mulieri Samaritanæ communicat, quæ abſcondita à ſapientibus erant huius mundi. Sed quemadmodum impoſſibile eſt eos qui grauis ſaxi pondere detinentur, in cælum euolare: ita impoſſibile quoque eſt eos qui peccatorum grauitate deprimuntur, huicque mundo affixi ſunt, in Dei gratiam deuenire, ni prius onus hoc exuant: quod lucis ad tenebras nulla conuentio eſſe poſſit. Quod duobus hic docetur exemplis: Samaritidis nimirum quam Chriſtus ad reatus agnitionem adductam, ad ſpiritualem cultum euocat; quo nimirum à terrenis iis ad ſpiritualia rapti Domino ſeruitur, & mundi huius illecebræ deſeruntur. Deinde Samaritanorum, qui vrbe ſua relicta ad Chriſtū conuenerunt. Chriſtus igitur quod videret verbum ſuum malè audire apud Iudæos, iis velut ſterilibus relictiſ, in Samariam perrexit, vbi muliere velut fertili terra reperta, ſui verbi ſemen exeruit: adeo vt mulierem ſenſim ad ſui reatus agnitionem deduxerit. Reliquit, inquit Euāgelista, Ieſus Iudaëam, & abiit iterum in Galileam. Hoc vtique fecit, ait Ioānes, cum cognouiſſet Phariſeos audiviſſe, quod plures diſcipulos faceret, quàm Ioannes Bapt. & baptizaret.

baptizaret. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius, Hebr. 4. Tunc enim regiones circa Hierosolymam ubi commorabatur cū discipulis suis, scilicet, Ennom, reliquit, & venit in Galilæam, quò solitus fuerat se subtrahere, docens, vt nos non iniiciamus temerè in tentationē, sed præstolemur, donec insaniam conquiescat: deinde vt inimicis parcamus, ne quasi oleum igni addentes, eis demus inuidiæ occasionē: Item vt verbum Dei ab ingratis subtrahamus, ne eo abutantur. Nolite, inquit Matth. 7. sanctum dare canibus: Tandem vt reprobationem Iudæorum, & gentium vocationem prætexeret. Nam cū videret verbum suū malè audire apud Iudæos, iis velut sterilibus relictis in Samariam perrexit, ubi muliere, velut sterili terra reperta, sui verbi semen exeruit, adeò vt mulierem veluti perito dialogismo sensim ad sui reatus agnitionem deduxerit.

Oportuit autem eum transire per mediam Samariam. Causam suæ peregrinationis reddit, ne quis Christum temerè Samariam adisse putet, cū Apostolis prohibuerit, Matth. 10. in viam gentium abire: & ne ex verbo suo conuincatur, qui dixerit se non missum nisi ad oues Israël, Matth. 15. Hæc enim iter illi peragendum erat. Samaria quippe in monte Somer extructa, sita erat inter Iudæam & Galilæam. En Christus nisi necessitate quodammodo urgente, sese non iugerit in Samariam: quomodo verò tu vermis & peccator in conuentum hæreticorum prodire audes? Nescis quò aduersarius noster diabolus circuit quærens quem deuoret, 1. Pet. 5. nec tentandus Dominus Deus? Matth. 4. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea: & corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Venit ergo in ciuitatem Samaria que dicitur Sichar. Hæc etiam Sichem dicta est, præcipua inter omnes Samariae vrbes, vt testatur Iosephus. Hera Sichem Euzo dicta est qui Dinam Iacob filiam constuprauit, Genes. 34. *Iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* Quia habitatores Sichem ob ituprum Dinæ proximè interempti fuerant, Iacob reuersus Mesopotamiam emit partem illius agri à filiis Emor, & ibi ædificauit altare, vt habetur Genes. 23. Quòd autem prædium hoc acquisierat arcu suo, vltra sortem hæreditatis paternæ dedit eum Ioseph, Genes. 48.

Erat autem ibi fons Iacob. Vtique quem foderat Iacob, vt sibi suisque gregibus prouideret. Ex quo obseruandum, quòd fons iste Iacob, adhuc nomen retinebat ad eum vsque diē, quo Christus venit in Samariā illum quò; 1730. annis post Iacob reseruatam diuina prouidentia fuisse. Hoc utique, vt iuxta Chrysoft. in 2. Corin. in memoria æterna iustum esse, & venerabiles eorum reliquias discamus. Nam adhuc venerabilis

gabilis hic fons ex memoria Iacob, & si minus sit quam os aut corpus ipsius Iacob. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, & ex vnguento præstanti diffunditur odor, ait Basiliius lib. 1. homil. 19. in Gordonium martyrem, sic è sanctorum cõmemoratione gestorum, ad omnes prouenit utilitas. Nimirũ ex loco Deus sanctorum memorias honorari voluit, ait Euagrius lib. 1. histor. Eccles. ca. 16. Et Prudẽtius libro Peri Stephanũ, pluribus hymnis, loca memoriis & reliquiis sanctorum illustrata dicit.

Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Si firmiter credimus, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Ioan. 1. quando ea dixisse aut perpeffus fuisse dicitur, quæ naturæ nostræ conueniunt, humanitati hæc eius attribueret oportet, non diuinitati. Nec enim poteramus aliter, verbum Dei hominem factum esse cognoscere, nisi & loquutus & perpeffus aliqua vt homo fuisset. Hinc Augustinus tract. 15. in Ioan. ait: Iam incipiunt mysteria, non enim frustra fatigatur Iesus. Cõtemplare hĩc quomodo Dominus noster Dei filius ab omni fastu & rerum abundantia sit alienus: neque enim vitur iumentis aut mulis phaleratis. Attende vt laborum patient, qui tantum iter pedester, imò & famelicus confecerat. Sedebat quoque illic, vt se dabat locus, non super sede, sed aut super pavimento, aut duro lapide. En ipsa per se vita (ait Basiliius homil. 13. in Psal 48.) ipsa potentia defatigata est in hoc seculo. Memor igitur sis Iob dicentis cap. 5: homo nascitur ad laborem. Et Apost. 1. Corinth. 15. abundantius omnibus his laboraui. Et rursus, 2. Corinth. 11. In laboribus abundantius. Qui igitur laboribus fatigatus est in hoc seculo, hic viuet in finem. Qui verò in lautitiis & delitiis degit laborem fugiens, non viuet, Luc. 16.

Hora autem erat quasi sexta. Sexta apud Iudæos hora, meridies nobis est & duodecima. Circumstãtia igitur temporis docet Christum multum iter confecisse, & iam refectionis sumendæ horam adfuisse: sed & ad intensiorem laborem æstus calorem accessisse. Obserua verò (ait Cyrillus) vel in minimis non paruam veritatis curam Euangelistam habere, cum non sexta hora dixerit, sed quasi sexta. D. Augustinus in tract. 15. obseruat per horam sextam ætatem qua venit Christus, vt Ecclesiam ex gentibus cõgregaret. Sic vt prima sit ab Adam ad Noë. 2 A Noë ad Abraham. 3 Ab Abraham vsque ad Dauid. 4 A Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. 5 A transmigatione vsque ad baptismum Ioannis. Inde 6 Tempore prædicationis Christi.

Discipuli autem eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent. Adcò Christus

stus tabernas abhorrebat cum discipulis, quas etiam clericis adire illicitum est, nisi peregrinationis necessitate cogantur, vt habetur distinct. 44. cap. Clerici, ex Cōcilio Carthaginensi 3. sub pœna depositionis, ni cessent, vt habetur eadē distinct. Proinde 12. quæst. 1. cap. Necessaria res est, vt iuxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus sit vnum clericis refectorium. Quæret hic aliquis vnde pecunias habuerint discipuli, cum prius eos Christus prohibuerit, Matt. 10. d. Neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris habeatis. Respondet D. August. 12. quæst. cap. 1. Habebat Dominus loculos, à fidelibus sibi oblata conseruans & aliorum necessitatibus tribuens. Nihil ergo proprium habuit, qui ne quidem vbi caput reclinaret, possedit, Luc. 9: sed in commune quicquid habuit, rededit. Idem quoque Apostoli, & primi sub iis Christiani fecerunt, vt scribitur Act. 5. Idem quoque de prouentibus Ecclesiasticis faciendū esset, vt habetur 12. quæst. 2. cap. de redditibus. Et ex Concil. Toletano, c. Sanximus. Sed heu nunc qui Ecclesie redditus percipiunt, eos in ius patrimonij sibi vendicant. Quod verò discipulos fuit abire, ciuilitatis & māsuetudinis exemplum præbet iis, quorum est alios corripere, vt peccatoribus consulant solitudine. Nec enim diffamare eam voluit coram Apostolis, sed expectat donec abierint.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Huiusmodi scilicet officio assueta erat; & tamen Dei nutu fit, vt absentibus discipulis accedat, ne quid erubescat sui sceleris fateri, adeò illi doctrinæ rei tetendit. Historia de Samaria satis nota est, 4. Reg. 17. quomodo eam Salmanasar occuparit, Israël in Assyrios transfulerit, colonos in Samariam miserit: & vt eos leones irruentes occiderint, quòd ignorarent legitima Dei: & misso sacerdote qui eos de lege instruxit, hæc plaga cessauerit. Ex quo qui copiosius effundere velit, duo docebit. Primò Deum etiam per bruta animantia peccata hominum vindicare. Sic enim vrsi duo 42. pueros Bethel deuorant, 4. Reg. 2. Canes excitati in Iefabel, sanguinem eius lixerunt, 4. Reg. 9. Leones statim deuorant eos, qui Danieli insidiati fuerant, Danielis 7. Secundò vt sacerdote accepto cessat plaga in Samaria: ita excluso statu Ecclesiastico, multa imminere pericula, vt Dionysius Areopag. epist. ad Demophilum, Osiæ, & Mariæ sororis Mosi probat exemplo.

Dicit ei Iesus: Mulier, da mihi bibere. En prior mulierē alloquitur, quòd sciat nihil sibi cum illa sermonis futurū, nisi prior quid ab ea scisciteretur. Adeò bonus Dominus, vt mulierē prius alloqui non dedigneretur. Et vt olim Abrahæ seruus Rebeccam filio

filio Domini sui deberi vxorē expertus est in fonte, Genes. sic Christus hīc sibi deberi Samaritidem præuenit. Agnosce igitur ex hoc loco Dei gratiam qua nos nihil tale cogitantes præuenit: qui stat ad ostiū & pulsar, Apoc. 1. vt ad se erigar. Etiam Domini bonitatem agnosce, qui personarū acceptor non est, sed in omni gēte qui timet Deum & facit iustitiam, illi acceptus sit, Act. 10. Primū quoque Christus ab ea elemosynam petere videtur, vt primum consequendæ veniæ opus misericordiam esse doceat.

Dixit ei mulier: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me petis, que sum mulier Samaritana? q. d. Tu vir, ego mulier: minus autē colloquuntur hi duo sexus inuicem, nisi prior quædam necessitudo intercesserit. Tu quoque patria Iudæus, ego verò Samaritana. Hoc quippe illa agnouit & ex idiomate, & ex simbriis, quibus Deus Iudæos distingui iussit à cæteris, Num. 15. Vnde Matth. 14. rogabant infirmi, vt vel simbriam vestimēti Christi tangerent. Præcipitur quoque Iudæis, vt deserāt habitum à Christianis distinctum. Extra de Iudæis cap. In nonnullis, vt sibi cautius attendant ab illis. Hīc ergo præter habituum discretionem, vastus concionatori suppetit campus loquēdi de vitando hæreticorum congressu, quem Paulus ad Tit. 3. fugiendū docet: illi enim Samaritanis persimiles. 1 Quòd templa nostra contemnant. 2 Quòd scripturas deprauent. 3 Quòd vnus Dei cultui adulterinos deos & doctrinas immisceant. 4 Quòd populum Dei, vt olim Samaritæ Israëlēm, à suis sedibus profligant. *Non enim, inquit, conuenerunt Iudæi Samaritanis:* quia in cultu differunt, & idola adorant. Item quòd olim eos Samaritæ à sua terra extruserint, & eorum hæreditatem vi possideant, huc translati, 4. Reg. 17. Agit autem præcipuè hoc dialogismo consequēter Christus tria. 1 Primò, Occasione aquæ, quam sitibundus (nā hora erat quasi sexta, quæ nobis est meridies, in ipso æstu) & fatigatus scilicet ex itinere, quòd non curru aut equo vectus, nobiliū more, sed pedes, vt summam suam paupertatem demonstraret, transegerat; petit, vt ad colloquium Samaritanam inuiter, eamque venetur ad salutem, quæ à Iudæorum consuetudine abhorrebat. Nam hac præsertim de causa in duro silice ad vnum fontem Iacob sedit, quem non sibi soli, sed toti regioni illi fecerat fodi, cibum suū expectans, non eum quem discipuli ierant emptum, sed eum quem sibi nouerat à patre paratum, nempe mulierem peccatricem & Samaritanam; docens fore, vt gratia noui Testamenti in gentibus effunderetur. Sese enim ideo à patre esse missum sciuit, vt nouam hanc *Donū Dei* philosophiam ignotam mundo adferret: ideo inquit: *Si senes marita prius donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, absconditum.*

Hora sexta Iudæis erat, que nobis est meridies.

Et dedisset tibi aquam viuam; quasi dicat: Ignoras tu, vt etiam mundus, magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, &c. 1. Timoth. 3. Hoc donum qui ex lumine fidei agnoscit, expetitur suam inedia, sitim, necessitatem: Proinde petit ab eo & accipit aquam viuam, donum scilicet gratiæ cælestis, quæ mûdat ab omnibus inquinamentis, Ezech. 36. Ephes. 5. sitientes recreat, Apoc. 22. Isa. 55. laborantes & oneratos reficit & refrigerat, Matth. 11. Ioan. 7. & fecundat, Psalm. 1. Hierem. 17. Aqua hæc de petra fluit, scilicet Christo, 1. Cor. 10. Apoc. 22. hi sunt enim effectus Spiritus sancti, quem intelhgît Christus: Hunc qui acceperunt, flumina de ventre eorum fluent aquæ viuæ, Ioan. 7. His itaque verbis mulieris animû à terrenis ad cælestia eleuat: hoc enim modo lucrandi sunt infideles; cum fidelibus verò scripturis agendum, minus autem argumentis à natura sumptis, vt docet Damascenus lib. 1. de fide Orthod. cap. 1. Donum Dei oblatio spiritus est, & eius gratia; vt præmissum est; quæ & aqua dicitur Ezech. 36. 1. Quòd vt aqua plantæ; ita Spiritu s. omnia consistant, Psalm. 32. Spiritu oris Domini omnis virtus cælorum. 2. Quòd purificet, Ezech. 36. Effundam super vos, &c. & mundabimini, &c. 3. Refrigeret, Ioan. 7. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, &c. 4. Fecundet, Psalm. 1. Erit iustus tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, Hier. 17. Benedictus vir, &c. Psalm. 12. Super aquam refectionis educauit me, &c. 5. Quòd in typo aqua de petra fluens gratiam effusam à Christo ligno crucis percusso significarit, Num. 20. 1. Corinth. 10. Bibebant autem omnes de spiritali, consequente eos petra: Petra autem erat Christus, Hierem. 2.

Forsan, ait, non quasi futuri ignatus, sed vt relictum homini petendi aut non petendi arbitrium insinuet. *Petisses*, inquit, nam & orationis fune hæc aqua hauritur, Matth. 7. Petite & dabitur vobis, Luc. 11. Dabit spiritum bonum petentibus se. Et Isa. 55. *Querite Dominum dum inueniri potest. Et dedisset*, &c. Vtique quia promptior est ad largiendum, quam nos ad petendum. q. ergo dicat: Parum est hæc aqua quam hauris, ab ea quam habeo apud me. Tria ergo docet requiri ad obtinendam aquam viuam. 1. Nossè donum Dei & Spiritus s. virtutem: nimirum & ipsam à falsorum spirituum umbris discernere, cum angelus sathanæ transformet se in angelum lucis. Si enim hæretici spiritus discernere possent, nimirum qui per Ecclesiam & per suos loquatur, aquam viuam haurirét. Sed vt olim Propheta Domini à pseudo propheta;

*Aqua viuâ,
donum aut
gratia Spiritus
sancti.*

pheta, 3. Reg. 13: & Achab à Sedechia, 3. Reg. 22. seductus est, quod donum Dei in Michæa non nosset, ita & nunc permulti. 2 Nosse quis est, qui dicit: da mihi bibere, id est, Christum: nouimus autem eum, si in vna Ecclesia, fide, & veritate, non in factionibus hinc aut illic (Matth. 24.) quæsiuerimus. Si bonum, si iustum, & non factorem mali putemus.

3 Piis votis sequi, quod maximè sit per orationem: Vnde ait: Petisses, &c.

Porrò mulier quæ nondum sublimem hanc assequi poterat doctrinam, vt pote carnalis adhuc, sui fontis aquã commendat à dignitate personarum, qui ea sunt vsi, à copia, & ab antiquitate. q. d. Tu mihi polliceris aquam hac præstantiorem, vnde igitur supererit tibi aquæ viuæ copia, quã promittis, cum nec situlam in qua, nec chordam cum qua haurias, habeas? Nam Iacob pater noster ex hoc fonte bibit ob eius bonitatem, & filij ac pecora propter eius copiam. Iacob patrem nominat, vel quia sub lege vivebat, 4. Reg. 17. in qua magnæ reputationis fuerunt Abraham, Isaac, & Iacob; vel propter sanguinem, quo fortè genus traxit ab Israëlitis: Hieroboam siquidem primus rex Israëlitis, & idololatriæ author, naturã verus erat Israelita, 3. Reg. 12: vel propter exterrnam imitationem, qua in monte, in quo Iacob precabatur, ipsa quoque cum gente sua precari solebat. Paulatim proficit: nam quem Iudæam quasi per contemptum dixerat, nunc Dominum vocat. Errat tamen, quia ratiocinatur à contemptibili elemento ad gratiam diuinam & inestimabilẽ. Item quod Iacob patrem suum esse dicat, cum interim nec eius fidem, nec sanctitatẽ imitaretur. Item quod carnaliter hanc aquam intelligit. Tandem quod Christum Iacob comparat, quasi eo maior non sit. Eadẽ obseruanda in hæreticis. Primò proficere incipiunt cum fatentur Ecclesiam audiendam, & dociles se eius doctrine reddunt: non autem se dominos Ecclesiæ faciunt & magistros. At errant cum à rebus naturalibus & Physicis in fidem ratiocinantur, ait Tertull. libr. de præscript. contra hæretic. Item cum iactant Apostolorum se filios, imò Apostolos esse, cum interim nec scintilla quidem pietatis primorum Ecclesiæ patrum in illis reluceat. Item cum in verbis scripturarum Euangelium statuunt, & non in sensu: in cortice, & non in medulla. Tandem cum de potetia Dei & Christi disputant in Eucharistia, &c. quasi non sit maior quouis homine. Sed Christus plus quàm Iacob, quàm Moses, & quàm patres Israelitici generis omnes, vt hanc prorsus à rebus hisce caducis ad cælestem hanc philosophiam pertraheret, ostendit virtutem eius, quam pollicetur aquæ, esse, vt fideles in Christo regeneratos fide, spe, & charitate,

*Samaritis se
Iacob filiã cur
designauerit.*

iustitia, aliisque fructibus Spiritus ita exornet, vt tandē non sitiant in æternum: dum, scilicet, reuelata facie gloriam Domini contemplantur. Situs autem quatuor modis sumitur. Aut pro desiderio rei temporalis nondum habitæ, quod nusquam impleri potest, Eccles. 5. Auarus non implebitur pecunia. Sic Luc. 12. diues depingitur: Aut pro ardenti futurae gloriæ assequendæ affectu. Sic Psaltes: Sitiuit anima mea, &c. Et sitis hæc impletur in patria: Satiabor cum apparuerit gloria tua: Aut pro pleniori fruitione rei iam per gratiam habitæ, Eccles. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, &c. Aut pro feruentissimo rei presentis amore, excluso omni fastidio. Sic in Deum desiderant angeli prospicere, 1. Petr. 1. Hoc enim est quod ait: *Qui bibit ex hac aqua, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saluentis in vitam æternam.*

Vult ergo dicere: Si Iacob miraris, qui hunc vobis fodit puteum, multò magis obstupescere eum oportet, qui aquam longè fecundiores & meliores præbet. Hæc enim causam habet temporalem & deficientem: illa autem quam sitiienti porrigo, indeficientem & perpetuam, nimirum Spiritum s. qui facit animam transilire temporalia, & in æternam pertingere vitam. Est enim Spiritus s. per hanc aquam designatus, qui in principio ferebatur super aquas, pignus hæreditatis nostræ, Ephes. 1.

Per fontem quoque integritatem & perpetuitatem huius aquæ significauit. Age, scilicet, aquæ Iacob nomine, terrena omnia complectamur, quæ eam satietas consequitur, Proverb. 27. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu, Pro. 30. Tria sunt insaturabilia super terram, & quartum nunquam dicit sufficit. Tres sunt filix avaritiæ sanguisugæ. Ouid. 1. Fastorum: Sic, quibus intumuit suffusa venter ab vnda: Quo plus sunt potæ, plus siriuntur aquæ. At gratiæ & gloria hominem satiat: quòd in his sit rerum, quibus frui possumus, supremum. Dicit ad eum mulier: *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Consistere multo in labore pendit, quo aquam hauriat; oportere quippe se ex vrbe in hunc locum frequenter transferre. Rudis itaque mulier corporis relevamine mouetur, quasi corporalem hoc in mundo quietem Christus polliceatur. Ne ru verò idem cum hac Samaritide sentias. Qui enim non laborat, non manducet, ait Apost. Demùm per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, vt frequentibus exemplis & testimoniis probat Tertul. lib. ad martyres, & lib. de patientia.

Dicit ei Iesus: *Vade voca virum tuum, & veni huc.* Honestas enim ciuilis requirit, vt si quid magnum mulieri nuptæ dandum sit, detur viro præsentè. Interim tamen Christus sensim ad sui

sui reatus agnitionem eam euocabat , quo purificata mente Spiritus s. gratiam hauriret. *Respondit mulier: Non habeo virum.* Se ei ignotam putat, qui nouit omnia: & in modum primæ mulieris suum occulere peccatum, Genes. 3. *Dixit ei Iesus: Bene dixisti, non habeo virum: quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus.* Intercipit verbum eius, quo se propria confessione prodat. Quinque viros eam habuisse dicit, hoc scilicet quod mortuis maritis, cum continere non posset, clam illegitimum haberet, ait Athanas. quaest. 58. En vt homicidium & furtum, ita nec diu adulterium celari potest: vltio enim se pandit. Hoc in Dauide, cuius peccatum Nathan aperuit, 2. Reg. 12: in Herode cui vxorem fratris detinenti D. Ioannes in faciem restitit, Mar. 6. apparet. Item in eius scelere, quem palam tradi sathanæ iubet Paulus, 1. Corinth. 5.

Huiusmodi ergo occasione secreti, quod tanquam Deus & *hæc dicitur* Ierem. 17. potuit de conditione mulieris prodere, quo ostendit se nihil præter salutem humanæ naturæ spectare, eam autem nulli contingere posse, nisi præcedat sui ipsius cognitio, quam ignorantia Dei, peccati illecebræ, & terrenarum rerum cupiditates tollunt, donec restituarur per Christum: tunc enim (vt in hoc videre est) accrescit cognitio redemptoris, scientia rerum diuinarum & desiderium veritatis. Nam quem antè Iudæum contemptum appellauit, iam fide illustratâ, dominum, prophetam & Messiam appellat: *Domine, inquit, vt video, Prophetâ es tu: Vide vt proficiat, quem primum Iudæum, demum dominum vocat, nunc prophetam nuncupat.* Meminit enim Prophetas dictos olim videntes, quod illis cordis abstrusorum cognitio indulgeretur. Vnde cum idem experiatur in Christo Samaritis, non ægè fert, non tegit scelus, non stomachatur, quod secretum panderet, nempe quinque viros eam habuisse, & iam habere virum, non virum, hoc est, adulterium cõmittere, &c. sed honore afficit, & peccatum suum confitetur. Vtinam omnes eodem affectu increpationes exciperent quo hæc mulier. At impij cum Iuda inquirunt: Nunquid ego? &c. Proinde occasionem nacta, vehemens discendi studium prodit, vidensque Christum verum prophetam, cupit fieri eius discipula, penitentia modum discere cupit, vnde etiam solutionem petit agitata diu inter Iudæos & Samaritanos quæstionis: de vero scilicet cultu Dei, an scilicet in monte Garisim, vt Samaritani; an Hierosolymis, vt Iudæi, sit adorandû. Vtri- que autem sibi videbantur certi & securi de suo cultu. Nam Samaritani sequi se dicebant antiquâ patrum consuetudinē, scilicet sanctissimorum patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob,

*Cardiognoscaz
solutus Deus.*

*Samaritana
discipula cu-
pit fieri Chri-
sti.*

cob, qui in monte hoc adorauerunt, sicut in aliis montibus priusquam in terrā Chanaan peruenissent, Deut. 11. Iosue 8. Iudic. 9. Item Deut. 27. & 29. 3. Reg. 3. Samaritani isti qui fuerint, vide 4. Reg. 17. nempe Bābylonij & Medi, in Samariam, postquam esset à Chaldæis expugnata, translati: cum decem tribus, quæ Israhelitæ vocabantur, essent abductæ. Hi partem legis, id est, Pentateuchum, tantum admiserunt, & Idolomaniam cum vero Dei cultu adiunxerunt; Iudæi vero habebant expressum Dei verbum, & templum, 3. Reg. 8. 9. 2. Paral. 5. 6. 7. & testimonia prophetarum, Isai. 56. Deut. 12.

Patres, inquit, nostri adorauerunt in monte hoc: & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet. Hic illi scrupulus fuerat, melior ne cultus foret Iudæorum, qui Ierosolymis adorabant: an Samaritanorum, qui in monte. Vtrinque enim fortissima ratio se offerebat, in monte Garizim Mosen populum benedixisse, Deut. 11. & 17. Et tamē templum Ierosolymitanum commendasse, 3. Reg. 9. Esa. 56. Deut. 12. 2. Paral. 6. Obseruanda hic interim mulieris prudentia. Nec enim omnibus accipitem quæstionem dissoluendam proposuit: sed ei quem prophetam esse experta est. Hoc factō nos instruens, doctos Theologos de rebus fidei consulere, cum nauita de ventis, de bobus dicat arator: & tractent fabrilia fabri. Hieronymus ad Paulinū. Christus autē volens vtramq; opinionē cōfutare, docet Samaritanos & Iudæos errare, quia illi adorabant quod nescirēt, 1. Cor. 8. Scimus quia idolū nihil est: isti & si Deū adorarēt, quia tamen credebant nusquam eum q̄ Ierosolymis oratium preces audire, grauer hallucinabantur: nam Deus vbiq; est, Isa. 66. Cælum sedes mea, terra autē scabellū pedū meorū. & alio loco dicit: Cælū & terrā ego impleo.

Mulier, inquit, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis patrem. Ad quæstionem responsurus, primō sibi credi postulat: nisi enim credideritis, non intelligetis, Isai. 7. Cæterum videtur dictio, tantum, subaudiri: q. d. Christus: Non tantum Ierosolymis de cætero adorādus pater, aut in monte, sed vbiq;e. Siquidem & Ierosolymis adorarunt Christiani primitiue Ecclesiæ, quæ erat in monte Sion: & in Samaria, in qua tandem Petrus & Ioannes baptizarunt, Act. 3. 4. 5. & 8. Hæc Cyrillus & Athanasius. q. 59. Aut vt Chrysof. homil. 32. in Ioan. docet Christum loci nomine, cultum intellexisse, Iudaicum quidem per Ierosolymam: mixtum autem gentilismo per montem Samariæ. neutro enim eorum Deum colimus: nec vt Iudæi in vmbri & typis aut sacrificio vmbra, succedente veritate: nec vt Samaritani, patrem adoramus, cum illi Deū suo monte concludi putarent, cum apud Isa. 66. aliter cōstet. Demum illi

*Confutatio
erroris Sama-
ritanorum &
Iudæorum.*

illi etiam idola colebant, 4. Reg. 17. quæ Christiani detestantur. Frustra ergo ex hoc Domini verbo eliciunt hæretici nullam locorum ad orandum discretionem habendam: nisi orationem quidem priuatam vbique fieri posse intelligant, non autem publicas, seu ordinarias Ecclesiæ preces. Vt enim Ecclesia stans quibusdam locis congregatur, ita & iis adorat & precatur, licet domi quisque orare possit. Eodem quippe modo Ieremias in cæno orauit, Ierem. 38: Daniel in lacu, Daniel. 7: Iob in sterquilino, Iob 2: Ionas in ventre ceti, Ionæ 1: Ezechias in lectulo, Esa. 38: Christus in horto, Matt. 26: Latio in cruce, Luc. 23: Paulus in carcere, Act. 16: & si tamen tum quoque locus aliquis delectus esset ad verum vniuersi Dei cultum expediendum. Proinde Chrysof. homil. 79. ad populum Antioch. Et domi quidem orari potest (inquit) sic autem vt in Ecclesia non potest, vbi tâta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Si namque Petrum Ecclesiæ adimit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quomodo tu ipsius potentiam contemnis? *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* Iudaicum cultum tantò potior docet, quanto Iudæis, non autem gentibus, promissus erat Christus ex eorum stirpe oriundus: eiusque mysteria sua reuelarat. Nesciebant autem Samaritæ id quod adorabant, sicut & de Atheniensibus legitur Act. 17: quod aut eum suo monte concludi putarent; aut simul cum eo idola colerent: quod Deum ignorare est; cum gloriam suam nunquam sit alteri daturus, Isai. 42. Cæterum se Iudæis adorantibus connumerat, in signum suæ humilitatis & in patrem obsequij.

2. Secundò, Confutat falsam Samaritanorum & Iudæorum superstitionem, quam vtrique de adorandi loco imberant: docens quod neque in Hierosolymis, neque in monte Garizin, sed in omni loco, iuxta illud Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis; sed in omni loco nomini meo offerretur oblatio munda. Non enim ad certa loca Deus est alligatus, nec loco concluditur, Act. 17. sed vbique adest, cordium gemitus audit, & orantes videt, iuxta illud Psal. 102. In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino; si tamen, vt docet hic Christus, veri sint adoratores, hoc est, si patrem in spiritu & veritate, hoc est, non rebus corporeis tantum, sed in quadam spiritus & mentis erectione & inflammatione, Rom. 8. nec in typis & vmbis adorent; quia Iudaicarum obseruationum finis. August. Forte queris aliquem locum altum & sanctum; intus exhibe te templum Deo: In templo vis orare Deum; In te ora, sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo audit orantem: vbi-

Deus vbique est, & exaudit veros adoratores.

cunq̄ue ergo vota cœlestia, preces puræ, cogitationes sanctæ, ibi victimæ quibus litatur Deo, Psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, sed in veritate. Patrem, inquit August. in veritate adorat, qui patrem æternum in nomine filij inuocat, petendo quæ salutis sunt, Ioan. 14. *Nam & pater tales quærit adoratores, nō qui labijs sic adorant, vt cor procul absit; horum enim mens sine fructu est, 1. Corinth. 14. neque qui in multiloquio se putant exaudiri, Matth. 6. Hos enim detestatur Isa. 29. Populus hic labijs me honorat, &c. sed qui corde credant ad iustitiam, & ore confiteantur ad salutem, vt scilicet psallant spiritu, psallant & mēte, 1 Corinth. 14. Nouerunt hoc ethnici, dicentes: Si Deus est animus, nobis vt carminā dicunt, Hic tibi præcipuè pura sit mente colendus. Et Cicero ait 1. de legibus: Ad diuos adeunto castè, pietatem tenento, opes etiam amouento: Si quis fecus faxit, Deus ipse vindex erit. Hæc ethnici sciuerunt, & Ecclesia Dei ignorabit?*

Vult ergo dicere: Tēpus est vt falsa religio Gentium quæ Deum localem & corporalem sibi effingit, cedat Christianæ quæ cum spiritu apprehendit & colit: & vmbra legis cedant luci Euangelicæ, quæ non typis sed veritate iam impleta Deum adorat. Item: Venit hora qua fideles longè perfectius Deum agnoscent, etiam quàm Iudæi; illi enim mysterium Trinitatis ignorarunt: at veri adoratores adorabunt patrem in spiritu s. & veritate filio, id est, trinitatem in vnitate, & vnitatem in trinitate. Quod autem Dominus ait adorādum patrem in spiritu & veritate, non proinde tamen externum cultum abstulit, sed internum ei prædominari voluit. Nec enim ait adorandum eum in spiritu tantum: sed oportere in spiritu adorari, quasi quouis externo cultu posito, nihil adhuc perfecti sit, nisi & is internum concomitetur. Efferrī scilicet mentem oportet in Deum, & summa charitate illū amplecti, si ieiunia, preces, pernoctationes, hymnos, pectoris contusiones, genuflexiones, gratiarum actiones, &c. id genus externa Deo accepta reddere volumus. Perfectum ergo cultum depingit cui internus non deficit. Sic Paulus licet, 1. Corinth. 14. inquit: orabo spiritu, orabo & mēte, non excludit tamen orationem vocalem. Non enim dixit se tantum spiritu oraturum. imò & tandem vocalem Dei laudem in adificationem Ecclesiæ vtique externam commendat. d. Vnusquisque Psalmum habet, Apocalypsim habet, &c. Sed & Christus ipse vocaliter nos orare docuit, Matt. 6. Et idem orauit, Ioan. 12: & in horto, Matth. 26: & in cruce, Luc. 23. Sed etiam cæremonias quæ in cordis & affectus testimoniū eduntur, obseruauit positis genibus, procidens in terram in faciem

Cato.

Cicero.

faciem suam: sublatis aliquando in cælum oculis, Ioan. 17. Luc. 22. Matt. 26. Hinc & Paulus puras ad Deum leuare manus admonet.

3 Tertiò, Docet quare veram fidelium orationem oporteat esse in spiritu & veritate. *Quia*, inquit Christus, *Deus spiritus est*, scilicet increatus, immentus, cuius maiestas nulla ratione humana, imò ne angelica, comprehendi potest, totus ubique præsens. Ergo & in spiritu colendus est, venerandus, & adorandus, neque in spiritu tantùm, sed veritate, in corde perfecto, in iustitia, & sanctitate veritatis. Opponit autem Christus cultum, quem vult æterno patri exhiberi, Iudæorũ ceremoniis, quales erant typica holocausta, sacrificia: Samaritanorum ceremoniis, quales erant superstitiosæ in certo loco orationes & vota: & gentiliũ ceremoniis, quales erant eorum impia sacra, victimæ ex hominum carnibus, & cultus dæmonibus exhibitus; non autẽ (vt impiè volunt Synefeldiani, Anabaptistæ, & Enthusiastæ) Christianæ religionis ceremoniis, quæ ex fide scilicet & charitate Deo offeruntur. Si quidem in ea quacunq; sunt externæ ceremoniæ, vel scripturis, vel Apostolorum aut patrum traditione institutæ, ad fidei, spei, charitatis, & religionis Deo exhibendæ spectant promotionẽ, aded vt si adferri possint quæ ad hũc scopum referri nequeãt, aut saltem ad proximi edificatiõem promovendam, has ego nulla ratione ferendas putarem.

*Cultus Dei
tristis opponitur
ceremoniis Iu-
dæorũ, Sama-
ritanorum, &
gentiliũ.*

*Ceremonia
Ecclesie ad
quid spectent.*

Præsertim hoc dicit in cultum Samaritanorum, quo eos multum à Dei cognitione deciscere doceat: dum & corporalem & localem eum putant. Est enim incomprehensibilis, in mundo, circa mundum, supra mundum supercælestem: omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ sunt, vt habet D. Dionysius lib. de diuinis nominibus cap. 1.

Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Vix capiens quæstionis suæ decisionem remittit omnia Messie, quem aduenisse cognouerat: aut ex oraculo Patriarchæ Jacob quem verebatur. Is enim dixerat, Genes. 49. non auferendum sceptrum de Iuda, donec veniret qui mittendus esset: aut ex celeberrimo Ioannis testimonio, Ioan. 1: aut fama tum inter Iudæos communi de eius aduentu.

Tandem quia studiosa erat, manifestè se ei reuelat, non sic autem Iudæis, qui non discendi causa, sed calumniandi inquirebant. *Expectas*, inquit, *Messiam venturum: hunc scito venisse, iamque vides illum; nam ego sum qui loquor tecum.* O humanitatem clementem, ô diuinitatem omnipotentem nostri Domini & seruatoris Iesu Christi! Mulierculæ tam vili, pauperculæ, adulteræ, tantam gazam diuinæ sapientiæ, tot

prophetis & regibus absconditam, dignatus est aperire, ac tantis sue clementiæ officiis decorare, vt se illi penitus declararet. Peditentim & modestè nactus occasionem, omni se suspitione absoluit; & quod Iudeis frequenter rogantibus negarat, mulieri Samaritanæ palâ professus est, inquit Chrysoft. homil. 32. in Ioannem. Felix vtique, quam Christus ad cōgratiosis excipit verbis. Multi enim reges tantum videre cupierant (Luc. 10.) quem hæc videt & affatur. Ego sum: ad diuinitatem pertinet; Qui loquor tecum: ad humanitatem. Vides itaque, qua benignitate & qua maiestate se Christus verum Deum, & verum hominē Samaritidi declarauit. Nemo ergo desperet de bonitate Dei. Mulier è qua septem eiecit dæmonia, facta est Apostolorum omnium apostola. Paulus Ecclesiæ persecutor præcipuus, Ecclesiæ factus est rector. Hæc est mutatio dextræ excelsi.

Et continuo venerunt discipuli eius, qui conspicati illum cum muliercula Samaritana collocutum, mirabantur illius tantam humanitatem, & quod contra morem cum alienigena sermonem misceret. Carnales adhuc erant, vt & Pharisei, qui Christo improperebant quod cum Publicanis manducaret; sicut & Simon qui ait Luc. 7. Hic vtique si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis, &c. Non intelligētes Christum venisse in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Tim. 1. nec vllam apud eum esse, aut sexus, aut nationis, aut personarum acceptionem. Scientes verò non esse otiosum, non interrogauerunt. Christum vtique suum magistrū verebantur, nec quid ei exprobrare audent, suo vtique nos exemplo instruētes, ne statim è temerario iudicio verba profunda: neque diis nimirum prælatis detrahamus, Exod. 22. Act. 23. Mulier ergo relicta apud puteum hydria, iam enim aquæ sitis exciderat, gustata aqua quam promiserat Christus, properat in ciuitatem, quo etiam alios ad fidem adduceret. Augustinus: Mulier, audito à Christo, ego sum, & ipso recepto in cor, proiecit cupiditatem, & properauit annuntiare veritatem. Et sicut Apostoli à Christo vocati dimiserūt retia, sic ista hydriā, inquit Chrysoft. & Euangelistarū opus fecit: & non tantum vnum, sed totam aduocat ciuitatem. Et ne quid desit eius officio, palam reatum suum fatetur, & aduocata ciuitate, omnibus bonum quod acceperat, communicat, satisfaciens pro peccato, Dei nominis celebratione. Ita & nos hoc exemplo, si quid boni in concione vel alias acceperimus, proximis communicare studeamus. Nam mandauit Deus vnicuique de proximo suo, Eccli. 17. 1. Petr. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrātes. Itē ex illius factō duq; nobis, imò & omni peccatori

*Euangelistarū
opus fecit Sa-
maritana.*

catori necessaria obseruanda sunt quæ etiã regius Psaltes Dauid, Pl. 50. annotat. Vnũ quidem delicta propria fateri, imò etiam publicè, si modò peccatũ publicũ sit. Proinde Ecclef. 4. dicitur: Non confundaris pro anima tua dicere verũ. Et Psal. Tibi soli, inquit, peccaui, & malũ corã te feci. Hæc autẽ Samaritis publicè quæ cõmiserat delicta, fateri videtur, dũ ait: *Venite, videte hominẽ, qui dixit mihi quæcumq; feci.* &c. Alterũ est in Dei laudes protũpere & alios docere, vt reparatione quadã, ea quæ destruxeris, extinguas. Sic Dauid: Docebo, inquit, iniquos vias tuas. Et hæc omnẽ ciuitatẽ instruit, & ad Christũ adducit.

Interim quòd ad vnus mulieris vocem Samaritæ ad Christum accurrunt, & credunt, confusio Iudæis est, qui tot Prophetis perlectis, & audito Ioannis præconio, visis miraculis, & audita Christi doctrina, cum tamen non receperint, imò in eius mortem conspirarint: insuper cordis Iudaici durities retunditur, vt & exemplo Niuitarum, Matth. 12: nec non eorum quos tot admonitiones, scripturæ, & inspirationes non excitãt, obstinatio. At discamus nos illorum exemplo toties facilem aurem præbere, quoties nobis & Christus & salus nostra annuntiatur.

Interea aiunt discipuli: *Rabbi manduca.* Illi compatientes, quòd iam & longo defessus itinere, nec quidem die ad vesperum tendente cibum sumpsisse videretur. Quibus ille: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Hominũ salutem indicans cibum suum esse, & quanto desiderio nostram auebat salutem, maiori quidem quàm nos cibum corporalem, Prou. 8. Delitiæ meæ esse cum filiis hominum. Sciebat enim Dominus ad eum statim Samaritas properaturos, & verbum suum excepturos, in quorum salute vt famelicus in cibo sibi complaceret. *dicebant ergo discipuli ad inuicem: nunquid aliquis attulit ei manducare?* Non intellexerunt discipuli verba Domini: atque ideo ab aliquo meliorem forsã illi allatum cibum cogitabant: adeò animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt, 1. Cor. 2. Hinc quod obscure dixerat, apertius dicit, quis cibus præcipuè illi curæ sit: *Meus,* inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Nudè rem ipsam pronuntiat. Nam quoniã futuri erant orbis magistri, suo eos formare volebat exemplo, vt subditorum salutem & patris voluntatem potius implerent, quàm seipsos pascere delicatis cibis. Nimirum militem Christi oportet ventris curam abicere: se autem Deo & proximis totum deuouere. Habendi sunt igitur ex aduerso Christi, sarcophagi hæretici: illi enim potius de corporali cibo quàm spiritali solliciti sunt. Immo neque verentur cibo suo fractes perdere, & carniũ voracitate illis scandalum iniicere,

pro

pro quibus Christus mortuus est, 1. Cor. 8. Rom. 14. Adeo illorum Deus venter est, Philip. 3. & suo ventri potius quam Christo Iesu Domino nostro seruiunt, Ro. 16. suamque potius animalem quam Dei voluntatem complere nituntur. Voluntas patris est (ait Gregor. Nyssen. libr. de beatitudinibus, quod omnes homines velit seruari, & ad agnitionem veritatis venire. Hic enim est cibus animæ, ut nostram ipsorum salutem esuriamus, & sitiamus diuinam voluntatem, sicut habetur Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

Voluntas & opus Dei patris.

Voluntas item patris est, ut credatur in eum quem misit, Ioan. 6. Hæc est voluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Opus eius, nostra redemptio, quam per passionem consummauit, Ioan. 17. Opus consummaui, quod dedisti mihi. Hoc docet discipulos & pastores, ut minoris faciant cibum corporalem, omneque delictum eò transferant, ut saluent homines. Omnibus quippe delictis voluntas Dei præponenda & diuitiis, quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. Sed heu, omnes quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi, Phil. 2. Hinc Ezech. 34. Væ pastoribus qui pascebant semetipsos. Imitandus Apostolus, 1. Cor. 10. Non querens quod mihi vtile est, sed quod multis, ut salui fiant.

Similitudine messis instantis, docebat hominum mentes pronas ad Euangelicam fidem, quodque auide flagitarent operam prædicatorum, q. d. Si vos qui rei corporum studetis, nostis instare tempus metendi postquam à semente facta quatuor menses præterierint, quâto magis oportet nos non negligere spiritualis nostræ messis tempus? Quod si fructus spes facile prouocat messorem ad operam, quantò magis oportet nos alacres esse ad hanc messem patri colligendam, quæ & messori præmium amplissimum in cælis parabit, & Deo colliget, non triticum in horrea, sed animas hominum in vitam æternam? Sed heu heu miserum & peruersum hunc mundum, in quo verius Christus diceret: Regiones iam nigræ sunt ad hæresim, quàm ad messem albe. Iam potissimè mentes hominum pronæ sunt ad infidelitatem, perfidiam, cædes, seditiones, libidines, rapinas, & ad omnia denique flagitia. Omnis caro corruptit viam suam, vnde nihil restat quàm furor diuini iudicij. Apoc. 21. Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis & fornicatoribus & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Summatim docere voluit spiritualem messem terrena maturiorem esse, qua nimirum Samaritani velut sata herbescētia ad integram

Regiones iam nigrae, & non albae ad messem.

fidei

fidei confessionem velut maturitatem proponit. q. d. ait Cyrillus. Si aliquantulum mentis oculos à rebus terrenis in altum leuabitis, ac spiritualia sata considerabitis, messem iam adesse videbitis.

Est autem duplex Ecclesiæ messis. Altera, qua per gratiam colliguntur in Ecclesiam militantem, Matth. 9 Videns Iesus turbas, misertus est eis qui erant vexati, & iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Huius messis sata spiritualia, & spicæ intellectuales, sunt qui prophetarum voce culti, ad fidem Christi perueniunt. Quæ tegetes albescit, cum iam maturus, hoc est, promptus animus est ad suscipiendam fidem, & Christi religionem. Messoria falx, Apostolorum est prædicatio, quæ ab idolis gentes, & à legalibus figuris Iudæos abscindens, in aream, hoc est, Ecclesiam Dei transponit, vbi labore virtutis contriti, fulgens triticum, & diuino dignum horreo efficiuntur: hoc est, gloria & felicitate æterna. Altera, qua boni à malis discernentur, Matth. 13. Messis consummatio est seculi. Sicut ergo colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, Galat. 6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, Prouerb. 22. Qui seminat iniquitatem, metet mala, Osee 10. Arastis impietatem, & iniquitatem messuistis. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Psal. 125 Euntes iabant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Procurrit igitur multitudo Samaritanorum è ciuitate, vt oculis cernerent de quo tanto affectu prædicauerat muliercula: qui fidem operibus monstrantes, obsecrabant eum valde, vt apud se maneret quem explodebant Iudæi; & mansit illic biduum duntaxat, calumniam declinans, & nihilominus humanitatem ostendens, & haud dubiè diuina quædam docens, & corda illorum illustrans, ob quæ plures crediderunt. Vnde mulieri dixerunt. Tu parcius de illo prædicaras quàm res haber, nos enim iam non tuis verbis adducti, credimus hunc esse Messiam, sed ipsi ex eius sermonibus admirandis certum habemus, quod hic est verè Messias ille Iudæis expectatus, qui salutem adferet toti mundo. En Christi cohabitatio-

Messis Ecclesiæ duplex.

Falx messoria.

habitationis eius. Adeò quippe formatur fides in his, ut certò protestentur illum verè Messiam esse. Hic quoque intelligere fideles oportet, quòd Christus longè ab offendentibus eum recedit: habitat autem in his qui humili obedientia & sincera fide sibi coniunguntur.

E P I L O G V S.

Festivum planè & salutarem dialogum ex Evangelio S. Ioannis nobis sancta mater hic proponit Ecclesia. Argumentum dialogi est de Messia & aliis rebus religionis sanctæ. Colloutores sunt Christus & Samaritana. Multi Samaritani per colloquium hoc Evangelicum ad fidem Christi sunt conversi, nostrum erit horum exèplo ex auctu verbi Dei converteri ad Dominum Deum nostrum, & abrenuntiare relictisque omnibus quæ huius sunt mundi & principis eius, sequi Christum. Sic reliquerunt Apostoli omnia quæ habuerunt, & secuti sunt Christum, Matt. 4. & 19. Helizæus item mactavit boues, & omnia postea reliquit, Helia factus discipulus.

S A B B A T O H E B D O M A D A E T E R T I A E
Q V A D R A G E S I M A E , E P I S T O L A .

Dan. 13.

Et erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioachim: & accepit uxorem nomine Susannam filiã Helchie, &c. Finis Epistolæ: Daniel autem factus est magnus in conspectu populi à die illa, & deinceps.

HI S T O R I A Susannæ gesta est in Babylone Chaldeorū, tempore captivitatis duarum tribuum, Iudæ & Beniamin. Commendat autem castimoniam & alias virtutes: libidines verò, proditoriam fraudem, & temeraria iudicia condemnat. Complectitur præsertim quatuor.

I Primò, Libidinosorum senum intemperantiã, qua æstu libidinis perciti, Susannæ sanctissimæ, castissimæ, formosissimæ, & ditissimæ, freti ea quam sustinebant, dignitatem, pudicitiam tentant: vnde agnoscere licet quàm sunt Dei dona, ut sunt potentia, autoritas, diuitiæ, & dignitas, periculosa iis qui Dei sunt destituti cognitione & timore. Facillimè enim eis in grauissimam sui perniciem abutitur caro, dum videt posse impunè se suam explere libidinem. Nam remota Dei ac hominū reuerentia & timore, quibus ceu frenis humana coërcetur audacia, mox cæca in præceps ruit, & pro affectus varietate vel ad libidinem, vel avaritiam, vel dominatum, vel superbiam, vel invidiam trahitur animus, iudicio ita sopito, ut ne vestigium illius superesse videatur. Facile namque rationem superat animi perturbatio, quo fit, ut honestum, decorum, iustitiam & æquum negligat, quemadmodum hi impij senes, libidine iam ebullientem animum circumferentes, deposita personæ ac dignitatis quam gerebant,

Dona Dei periculosa destituti Dei cognitione & timore.

bant, consideratione, exarserunt in concupiscentia, euerterunt sensum, declinauerunt oculos suos ne viderent calum, neque recordarentur iudiciorum istorum. Hos namque tristissimos fructus parit hoc malum. Obserua hinc quæ ex illicito alienæ formæ aspectu homini accidant mala: vide Eccli. 26. 23. Item formam bonum esse periculosum. Castitas & pulchritudo ægrè in eodem corpore conueniunt. Est enim hæc illi præcipuè contraria. Vnde ait ille: Lis est cum forma magna pudicitia. Et alius: Rara est concordia formæ, atque pudicitia. Tria igitur vides in Susanna sibi admodum contraria conuenire; pudicitiam, formam & diuitias: sed inter hæc primū maiori periculo custoditur.

Proterbium scriptura hinc quoque celebrat perquam horrendum: *A senioribus egressa est iniquitas.* Seniores & iidem fenatores quantam turbam dederunt in Israël? Prouerbiū an hoc velit, quod Dauid 1. Reg. 24. vult, dicens; Ex iniustis egressa est iniquitas: siue hoc quod Hieremias cap. 29. dicit in reges Achab & Sedechiam, alij iudicent. Obseruatu item dignum, scripturam non dicere, hos duos viros rexisse populum: sed qui videbantur regere vel gubernare. Si veri fuissent rectores populi, etiam se rectè gessissent. Quis ex hoc non colliget, eos sub prætextu iustitiæ, moderationis iustitiam maximè suppressisse? Prædones fuerunt, non prætores; raptores, non rectores. Proh pudor, de principibus viris talia dici posse, talemque furiam regnare etiam in senibus. Merito tales pereunt: Maledictus puer centum annorum, Isa. 65. Senes hi bis pueri, in quos rectè dixerim hoc Poëtæ: Turpe senilis amor. Cerui texcentorum annorum, hinnientes ad vxorem proximi, Hier. 5. Duo riuales contra vnam mulierculam conspirant, statuunt vel violètia, vel minis, vel blanditiis eius pudicitiam attentare. Sed non cognouerunt castis suos custodes esse angelos sanctos Dei. Virtus germana angelis castitas, vnde castas mentes non deserunt.

2. Secundò, Complectitur Susannæ in sua pudicitia tuenda ad extremum vsque mortis periculum constantiam: quam non nihil offēderit solitaria deambulatione, & corporis parum licita denudatione. Est enim vbique vitandum non tantum malum, sed mali occasio; quia cum in hostili versemur solo, continuus est opus excubiis; aduersarius etenim noster, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem denoter, 1. Pet. 5. Pudica ergo nuda & sola, cum impudicæ habeatur simillima, cauere debet cupidinis irritamenta. Casta (vt S. Hieronymus ad Lætam ait) etiam seipsam nudam erubescit. Casta etiam rutissima veretur. Excusari tamen potest Susanna, quia nō voluptati, sed corporis tantum necessitati

Senes iniquitatis caput nonnunquam esse solent.

Senatores impij raro populum bene gubernant.

Castitas angelis germana est virtus. Susanna pudicitia et constantia.

Susanna coniugatis exemplar pudicitiae data.

tati inferuuit. Si dicas eam non adhibuisse eam prouidentiam, quam decet honestam matronam in eo casu adhibere; ego id potius Dei ordinationi & cōsilio imputarim, volentis tantum pudicitiae exemplar omnibus praesertim cōiugatis ad imitationē proponere, quibus hodie, pro dolor, penē iocus est thori fidem violare. Atqui non sic Susanna, quae adulterij grauitatem exactius per solam perspexit legem, quam multae Christianae gratia fidei sibi blandientes. Nam oppressa inopinato insultu eorum qui dignitate, officio, & auctoritate caeteris omnibus praestarent, fortiter pudicitiam tuetur, & tanquam adamantino pectore foret, ipsorum impudentiam superat, cōcepta de diuino adiutorio fide, qua credidit illum non deserere sperantes in se: ipsorum preces spernit, & comminationes superat, non ut Romana Lucretia, admissum scelus ultore ferro vindicat, flagitium flagitio puniens: sed clamore fiduciae in Deum pleno, animi dolorem testata: *Angustia, inquit, mihi sunt quidique. Si hoc egero, mors mihi est, Leuit. 20. Si non egero, non effugiam manus vestras*, qui vestris calumniis malum exitum mihi intentabitis. Vide quibus ærumnis, periculis, & molestiis suos exercere Deus soleat: quos ira subinde deserit, quasi omnem ipsorum curam abiicisset, sed omnia potius sustinet electi, quam ut hanc fiduciam animo suo deponant. Est enim iustus quasi leo confidens, Prouerb. 28. Atque ideo sanctissima nostra Susanna elegit potius absque opere incidere in manus hominum, integraque mori, quam peccare in conspectu Domini, quo velut forti ariete libidinosos vicir senes, & suam mundo testatur innocentiam & pudicitiam.

Aerūnis mulieris et molestiis Christus suos exercet.

Susanna clamitans legis praecepto satis fecit.

Insuper videns se inhonestè à libidinoso atrectari, hoc fecit quod lex iubet. Vult lex ut vel clamitando mulier & virgo violentiam sibi fieri significet, Deut. 22. Dina Iacob filia si clamauisset, in tantam suae gentis infamiam non peruenisset, Genes. 34. Rectè ergo Susanna vociferabatur. Obseruent huiusmodi Susannae verba & mores, matronae sanctae. Pudicitia maximus thesaurus est. Ait enim Ecclesiasticus cap. 26. Omnis ponderatio non est condigna continentis animae. Idem ibidem: Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Norunt hoc etiam ethnici, apud quos, quibusdam, ut Naso fingit, gloriosum fuit incontaminatas mori. Faxint ergo matronae in Christi corpus receptae, Spiritus sancti templum factae, ne pudicitiam rem vilem ducant.

Calumniarum Babylonicum aduersum S. Susannam.

3 Tertio. Calumniam complectitur, qua opprimere nituntur iniquissimi iudices falsa accusatione, testibus corruptis, & iudicibus peruersis, innocentissimam Susannam. Etenim contra ordinē iuris sibi qui aduersarij fuerant, testium, iudicumque

enimque partes vendicant, sistitur rea iudicio, patrono destituitur, criminis, ut putatur, magnitudine patrociniū reuente, omnium calculis, quæ ex odio & inuidia erat concepta, mortis sententiā comprobatur; utpote ab iis prolata, quorum sacrosancta semper fuerat apud homines religio, pietas, & pudicitia. Tanti enim est concepta semel probitatis opinio, ut auctoritatem consecuta quiduis penè possit impunè coram mūdo, quo fit ut nulla sit nequitia derestabiliior, quàm quæ sanctimonix prætextu velatur, ut nec hostis est perniciosior, quàm qui sub amici specie latitat. Summa est, legum moderatores nonnunquam maximos omnium esse legum præuicatores. Putant sibi licere omnia; dij teræ, miseris autem subditis nihil.

Legum moderatores per sapè legū peruersores.

Sed hocine potest ferre Dei prouidentia, ut adulteri, libidinosi, perfidi, impij, & sacrilegi iuris prætextu opprimant ipsam castitatem, pudicitiam, fidem, pietatem, & religionē? Neque profecto quin hic exclamem illud propheticum Abacuc 1. Quare taces Domine cōculcante impio iustiorē se? Et ut est Ecclesiast. 4. Innocentis lachrymæ non habent consolatorē: innocentia Susannæ violentiæ iudicium non potest resistere, & castitatem luxuria opprimit. Certè huius quæstionis difficultate Dauid expauit Psal. 72. Hieremias cap. 12. Atqui apertissimè docet hic locus impiorum felicitatem non fore diuturnam, nec innocentium calumniam fore apud Deum insultam.

4. Quarto, Admirabilem Dei potentiam complectitur, quæ eam, quæ per calumniam impiorum iudicium opprimebatur, non potenter tantum, sed seruata iuris æquitate, iustoque factō examine liberauit, tali iudice substituto, qui ab affectibus, amore, odio, & maleuolentia animum haberet liberum: siquidē omnis corruptus iudex malè examinat verum. Atque ideo excitauit spiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel, qui ex auctoritate diuina pro rea instituto patrociniō, appellat à lata sententiā ad exactiorem causæ cognitionem, testium productionem, & circumstantiarum inquisitionem. Ex his enim rei veritas deprehendit in iudiciis solet. Puer animi generosi, animo suo concepit hoc quod Prou. 24. est: Eripe eum qui ducitur ad mortem, hoc, inquam, mente concepit, & egregiè hoc ipsum executus est. Corruptus namque à Spiritu S. exclamauit puer voce magna: *Mundus ego sum à sanguine huius: Sicine fatui filij Israël non indicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël? Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam.* Itaque diuulsis ab iniuriam impiis iudicibus, ne communicare sua consilia possent, prudenti examine calumniam deprehendit, dum hic

Potentia Dei admirabilis, qua Susannā liberauit.

schinum, id est, lentiscum, & alius prinum, id est, ilicem (sic enim verit S. Hieronymus ex Origine) describeret arborem, ad perpetrati facinoris locum designandum: ex qua discordia iusto Dei iudicio salutate deprehensa, abfoluta Susanna est, talionis sententia impiis irrogata. Tanta enim est Dei aequitas iustitiæque, ut veritatem, iustitiam & innocentiam nunquam omnino deserat, & si quandoque videatur eam prorsus neglexisse. Sic enim solet Deus electos suos quâdoque ad extrema quæque, imò ad ipsas vsque portas mortis demittere, ut Danielis 3. tres pueros in fornace; ipsum Daniele in lacu, cap. 14. ut dum potenti virtute, & præter expectationem liberantur, agnoscant potentiam & virtutem Dei, nec suæ tribuant aut industriæ, aut prudentiæ, sed soli Deo reddant gloriam, laudem, & honorem.

Notari dignum & sciri necessarium.

Deus cur electos suos perimit ad extrema pericula deuenire.

Presbyteri, Susanna infidiatores non fuerit liturgi, sed decuriones.

Sunt qui volut hosce senatores, pessimos sacerdotes fuisse stirpis Leuiticæ, propterea quòd presbyteri vocantur, sed hallucinantur, non videntes presbyteri vocabulū non semper significare mysten, maximè in veteri testamento, vbi sacerdotes quodammodo nascebantur, hoc est, vbi sacerdotium ad vnā tribum pertinuit, & plerunque etiam iuvenes ad eius dignitatis officia admittebantur. Circumstantias omnes si ritè spectes, videbis non liturgos eos fuisse, sed populi iudices. Sic habet textus: *Et constituti sunt duo iudices senes in illo anno.* Et statim infra: *Isti frequentabant domum Ioachim, & veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia.* Vides non sacerdotes fuisse, sed decuriones, principes & populi duces, ætate graues. Alioqui si mystas eos fuisse contēdas, ratione vocabuli presbyter, facies etiam sacerdotes fuisse cæteros iudices, qui Danieli locum honestiorem sedenti concesserant: nam & hi presbyteri dicuntur.

EPILOGVS.

Ecclesia mater sancta nobis hic proponit iudicium Dei aduersus adulteros & falsos testes. Adulterium verò hoc immundis cogitationibus & concupiscentia mala est commissum. Ostenditur etiam hic, ut Deus insontes solet semper liberare. solet hoc semper, fecit hoc semper. facturus hoc semper. Quod si eos è tyrannorum manibus aliquando non eripuerit, si veri innocentes, simplices & recti fuerint, etiam sic benedicent Domino, atque dicent: Fiat voluntas tua semper. Sic Susanna nostra sancta in Babylone velut rosa inter spinas (interpretatur enim rosa) inter saxum & sacrum erat constituta, periculis undique circumvallata, sed nutu Dei tandem liberata. Susannam predicant B. Cyprianus de bono pudicitia: S. Augustinus super Ioannem tractat. 36: Idem in libro de bono coniugali: S. Ambrosius sermone 49. quem habuit ad populum: idem serm. 50.

Susanna rosa inter spinas.

339

SABBATO HEBDOMADAE TERTIAE
 QUADRAGESIMAE, EVANGELIUM.

*Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in tem- Ioan. 8.
 plum, &c. Finis Euangelij: Vade, & iam amplius noli peccare.*

CHRISTVS imperitus astutijs Pharisæorum magna
 arte elabatur, sed ita vt falsam eorū hypocrisim prodar,
 feriendo ipsorum conscientias; simulque opere præclaro
 ostendit se se non venisse cōdemnare peccatores, sed saluare
 per resipiscentiam, Ioan. 3. Luc. 19. Matth. 9. 1. Timoth. 1.
 Nam sicut is non semper bonus iudex est, qui ad vnguem
 noxios condemnat: sed qui pensata personarum, locorum, &
 temporum ratione, quæ videntur ad republicam & iustitię
 stabilitatem facere, sancit & decernit: ita quoq; Christus hoc
 se Scribis & Phariseis præferendum docet, quod infirmi se-
 xus necnon temporis gratiæ ratione habita, adulteram ab-
 soluit: ita tamen vt in priora peccata relapsum prohibeat.
 Tria agit in hoc Euangelio. Nam perrexit Iesus in montem, vt
 solebat, quemadmodum Luc. 22. Marc. 11. & Matth. 21, re-
 fertur: oraturus scilicet, vt Marc. 6. & Luc. 6. consueuisse di-
 citur. Quod verò montem ascendit vt orer, mente & spiritu
 orandum docet. Quod autem nocte, quieto pectore ab om-
 nibus terrenis preces faciendas insinuat, seque semper ho-
 minis saluti consuluisse. Occumenius noctū secessisse dicit,
 vt nocturnas insidias declinaret. *Oliueti*, addit Euangelista.
 D. August. & Beda obseruant montem Oliuarum non abs-
 re Christum potius conscendisse, quàm cæteros mōtes: quod
 mons Oliueti altitudinem & copiam diuinæ significet mi-
 sericordiæ. Nam olei nomine in scripturis Dei misericor-
 dia sæpius exprimitur, multis de causis. 1 Vt quę plagas
 animæ nostræ curet: 2 Omnem depellat languorem:
 3 Fortem reddat athletam contra aëreas potestates pugna-
 turum. Vnde, ait August. sicut Chrisma vnctio, ita nos Chri-
 stus vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.

Et diluculo iterum. Quo exortum mundo nouę gratiæ lumen,
 per incarnationem exhibitum, designaret, Psalm. 111. Isa. 9.
 Roman. 13: & insinuaret se verbum illuminans oculos an-
 nuntiarurum. *Venit in templum*, vt ibi aggregatam multitudinē
 facilius doceret: vt suam doctrinam palam faceret, cum nec
 angulos quærat veritas: vtque illo in templo quo vetera per-
 seruos suos, noua Deus per filium suum doceret.

Et omnis populus venit ad eum. Quod omni populo. i. à minimo
 ad maximū pateret ad Christū aditus: quod libera quoq; po-
 pulo & patens omnibus prædicatio esse debeat: & quod ser-
 uore quoq; suæ salutis ducti, omnē verbo diligentia impen-
 dere

dere debeant. Venit, inquit, ad eum, vt oues ad pastorem, discipuli ad magistrum; vt redderet figuram templi umbratilis & sacrificiorum eius veritati & prototypo. *Et sedens docebat eos: vt doctrinæ suæ maiestatem signo aperiret & gestu: vt pacis amicam Euangelicam doctrinam doceret: vtq̄: quieta mēte ab omni carnis affectu proferendam ostenderet.*

*Differentia
legis et Euan-
gelij.*

1 Primò, Discernit Christus hoc loco inter legem, quæ terret seueritate pœnarum, qua peccata & flagitia punit; & Euangelium, quod pœnitentes in gratiam recipit, sed ita vt vtrique suum forum relinquat. Neque enim vt falsò volunt Anabaptistæ, tollit hîc Christus omnem civilem & politicam authoritatem: nam patienter audit accusatores, ream non statim absoluit, & sententiam ex lege prolatam non damnat vt iniquam, dum Scribæ & Pharisæi ex templo Dei senaculum, atque curiam faciētes, mulierem in adulterio deprehensam adducunt, hanc in medio statuunt, & lapidandâ ex Mose pronuntiant, *Leuit. 20. Deut. 22.*

*Adducunt autem Scriba & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam. Rationem cur adduxerint ostēdet statim. Adducunt vt zelo legis permoti, sed intus pleni dolo & rapina. Carnifices esse volunt mulieri occidendæ, qui filij Dei mortem moliebantur: adeò manus eorum plenæ erant sanguine. Et statuerūt eam in medio, veluti ream, & iuxta sententiam legis condemnandam: quod impiè tamen factum conuicitur, quòd hanc accusando se iustificare tantum conentur: Christumque in sermone capere: quodque velut aliquo trophæo exultent, gaudentque mulierculam hanc trabât, cui compati & misereri deberent. Et dixerunt ei: Magister. Statim occurrunt verbis Christi, ne ipse scilicet eis dicat, sicut & aliis: Quis me constituit iudicem super vos? Magistrū enim vocant, quasi qui sensum legis facillè dissoluere posset. Et verè quidem poterat, sed eius nolunt esse discipuli, fingunt tamen paratos se esse ad audiendam eius de hac re sententiam, vt promptius dicat quid sentiat. *Hæc mulier*, inquiunt, *modò deprehensa est in adulterio*. Timent ne si tantum suspectam esse de adulterio dicant, à se iudiciū reiciat, vtpote re nondum probata. Ideo non tantum conuictam, sed & deprehensam esse dicunt, vt nihil de re ambigatur, sed in promptu sententia offeratur. Habent enim vim hæc omnia: modò deprehensa, & in adulterio, id est, cōcubitu, quo fides thori maritalis violatur *Moses autem in lege mandauit nobis huiusmodi lapidare*. Mosen per emphasim nominant, vt Dei amicum, *Exod. 33*: legistorem, fidelē seruum in domo Dei. Huiusmodi, dicitur per contemptum, q. d. tam grande nefas & piaculum. Lapidare, genus dicit supplicij, quod apertè explicitum est, *Leuit. 20*. Quod addunt, nobis, faciunt, vt hoc glorien-*

glorietur sibi commissam legem, & vindictam, nec non omnium reformationem.

Siquidem in omni lege hoc adulterij malum semper gravissimè punitum est, etiam apud eos qui Dei cognitionem non habebant. Nam Aegyptij adulteros virgis caedebant, mulieres naso mutilabant. Arabes adulteros capite plecebant. Graeci mœchum in adulterio deprehensum impunè permittunt necari. Idem sentit B. Hieronymus scribens contra Sabinianum hominem admodum libidinofum. Romanis licuit olim vxores suas in adulterio deprehensas occidere, vt videre est apud Gellium lib. 10. cap. 23. Saxones olim adulteros strangulauerunt, & postea cadauera eorum combusserunt, vt habet epistola Bonifacij ad Edeobaldum regem Angliæ. Iudæi ante legem datam igne puniebant, Genes. 38. de Thamar. In Lenitico mors tantum decernitur: huc pertinet sacrificium zelotypiæ, Num. 5. Adulteriū est, cum quoquomodo disiunctis duobus, quos Deus iunxit in vnam carnē, alia caro, imò aliena miscetur, de qua dici non possit: hæc est caro de carne mea, & hoc os ex ossibus meis. Gen. 2. Adulterum autem propriè censet Tertull. lib. de pœnit. & Basilius lib. de virginitate, qui aspersus concupiscentia ma rimonij contaminauit. Radices huius peccati statuit Tertull. libr. de patientia: nimirum impatientiam libidinis, & pretium in feminis venditionis pudicitiae. Vindicata adulteria testatur diluuiū ea de re immissum: & conclusa vulua omnis domus Abimelech, Genes. 20. quòd is Saræ castitati insidiaretur: & quòd Nathan prædixit Dauid, 2. Reg. 12. non recessurū gladium de domo eius, quia Uriæ vxorem constuprasset. Imò olim cōiuncta de adulterio, aquis maledictis haustis computrescebat, Num. 5. Causas cur tam graue sit adulterium, examinat Philo lib. de decalogo. 1 Quòd non solum corpus, sed & malis moribus animus corrumpitur. 2 Quòd mulier adultera auerfetur maritum, & odio prosequatur. 3 Quòd etiam malum multò leuius esset, si non dissimularetur. 4 Quòd postquam illusa muliere dispumauit adulter in libidinem, abit ridens læsi mariti ignorantiam. 5 Quòd verus maritus velut cæcus, ignarus fraudis domesticæ, ex insensissimis hominibus prolem vt propriam habiturus sit. Qui ea de causa lib. de specialibus legibus, adulteros capite plectendos dicit, vt publicos humani generis hostes, ne impunè plures domos cōtaminent. Ideo non mirum si tot leges in hoc peccatum editæ sunt, etiam, vt præmissum est, à Paganis, ad eò vt varia illis supplicia decernerent.

At nunc proh dolor, apud solos Christianos tantum nunc ludus est, qui nec legibus ciuilibus, nec horrendis excommuni-

*Adulterium
semper gra-
uissimè puni-
tum etiam
apud ethnico-
cos.*

tionibus verbi Dei, 1. Corinth. 6. Galat. 5. Ephes. 5. Heb. 13. Prou. 6. & 26. Eccli. 23. à tam enormi facinore quod etiã ratio humana execratur, deterrentur, imò post tot præcepta, mundus adulterorũ & adulterarum iam est plenus, Hier. 23. quamuis adulterium fiat in naturæ iniuriam, vt ait S. Ambr. Adulterium olim totam subuertit Asiam. Quis ergo nos manet exitus, qui tanquam iusum tantum dissimulamus facinus? Voluit autem Deus hoc malum, vt etiam cætera, quæ publicam pacem perturbant, morte puniri, non quòd ea pœna esse posset satisfactoria, quia Christi morti hoc seruabatur, delere, scilicet, peccatum; sed ne populus, malum exemplum securus, mala impunita non putaret esse mala, Pro. 19. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

Mala publicam pacem turbantia cur morte puniri voluit Deus.

Id enim tantum agit hoc Euangelio Christus, vt discernat suum regnum à regnis prophanis, quorum est actiones ciuiles, capitales sententias, forensia negotia, & politicam iurisdictionem cognoscere, ac pro Reipublicæ pace eas tractare, Roman. 13. Regnum autem Christi est tantum spectare salutem animarum, eamque promouere, prædicatione verbi, fide, spe, charitate, Sacramentorum administratione, &c. quibus pœnitentes in gratiam recipit.

Cornuta igitur questione Dominum pulsant, existimantes elabi ipsum non posse. Tu ergo quid dicis? q. d. Et si nobis magnus est Moses, tu tamen maior, qui & Mosen, legem, nosque reformes. Impingunt enim his verbis occultam Christo arrogantiam & blasphemiam, vt putat: cum interim ipse verè maior sit Mose. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Paulo ante dixerat se mitem, & ad hoc à patre missum, vt peccata remitteret, nõ vt peccatores dånaret, Ioan. 3. Si ergo pronuntiaffer agendum secũdum legem, habuissent occasionem eius auctoritatẽ apud populum eneruãdi, quasi secus ageret quàm doceret; sicque statim riderent, vt qui misericordiam in proximum prædicet, & accedentes ad se Publicanos & peccatores admittat: qui etiam apud populum boni & mansueti nomẽ assecutus esset, alioqui immitis. Si verò absoluendam iudicasset, quod futurum sperabant, haberent quòd intentarent crimen, legis violationem. Sed Prou. 1. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipse comprehendit astutos in astutia eorum, Iob 5. Cornutam namque eorum quæstionem sapienter expediuit, sic vt & legem Moisaicam & gratiam Euangelicam declararet, & noceret nemini, prodesset verò omnibus. Notemus ergo nos hoc têtationis genus, vt ab eo fugiamus. Tentat suos Deus, sed in bonum. Tentat diabolus: tentant & inimici, sed in malum & vt perdant. Ecce nimirum vt Pharisæi patrem suum diabolum sequun-

sequuntur. Tentant Iesum non vt admoneant, sed accusent & condemnent.

2. Secundò, Dum sese inclinat, & digito scribit in terram, quòdnam veri iudicis sit officium, exprimit, nempe, vt Seneca inquit: Cito cognoscere, & tardè iudicare, ac cum propriè naturè consideratione sententiã ferre. Iob 29. Causam quam ignorabam, diligentissimè inuestigabam, contrebam molas iniqui, & de dentibus illius aufereram prædam. Prou. 1. Deterne quod iustum est, vindica inopem & pauperem. D. Cyrillus Alexandr. exponens locum præsentem de inclinatione Christi, monet inde iudices, ne statim in quoslibet sententiã proferant, animum primò inclinandum ad causam æstimandam, & tanquam in lance appensam ponderare, exactè legem scriptam percurrere, veritatem inuestigare, digito discretionis singula ad rem propositam pertinentia examinare; denique legem non rigidè semper, sed aliquando pro loco, tempore, & persona, moderandam. Nam summum ius, summa iniuria. Quod etiam probat ex eo quòd Genes. 11. Dominus descendisse dicitur, vt videret turrim quam ædificabant filij Adam: Et Genes. 18. flagitia Sodomitarum vindicaturus dixit ad Abraham: Descendam, & video vtrum clamorem qui venit ad me, compleuerint an non, vt sciam. Vnde Nicodemus Ioan. 7. Nunquid lex nostra iudicat hominè, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Iudex ergo primò trabem in oculo non habeat, festucam ex oculo fratris sui exempturus. Qui manicæ eius quam in tergo gestat, in quam sua ipsius crimina conicit, contempletur, dicit cum Apostolo, se omnium peccatorum esse maximum, 1. Tim. 1. Item inclinando se deorsum digito scribebat in terra, vt se legis reformatorem doceat, cum eiusdem cõditor fuerit: qui sicut nunc in terra, sic digito in lapideis tabulis mãdata sculpsit: & iuxta B. August. assertionem in tractatu huius historiar, ostenderit quantum distaret Euangelium à lege. Hoc nimirum maximè, quòd lex in tabulis lapideis, Euangelium verò in tabulis cordis carnalibus scriptum sit. Item vt sua cum inclinatione per incarnationem venisse doceret, quo in tabulis cordis carnalibus doceret. Demum vt se in stylo ferreo, & plumbi lamina, imò ad æternam memoriam peccata omnium aliquando reuelanda obseruare insinuat.

Deinde Scribarum & Phariseorum singularem hypocrisim notat, quòd scilicet falsò præferant zelum iustitiæ, cum interim ipsi nõ minus essent coram Deo rei ac dånati, quàm hæc misera: quia viuebant sine metu iudicij diuini, quòd non publica tantum peccata, sed etiam occulta puniet. Hinc admonerat illos qui ream ad pœnam crudellem pertrahebãt,

Iudicis veri officium.

Iudex in proferenda sententiã nõ sit præceps.

Ius summum summa iniuria.

vt in se descenderent, & iuxta diuinam legem suam excuterent conscientiam, ac talem se quisque exhiberet erga proximum lapsum, qualem experiri vellet Deum iudicem erga se. q. d. Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus, impleatur lex quam allegatis, sed non à trãsgressoribus legis, Deut. 16. Iustè quod iustū est exequeris. Nam vt Gregor. ait, qui prius semetipsum non iudicat, quid in alio rectum iudicem ignorat. Iudicet ergo ille, inquit Ambr. de alterius errore, qui non habet quod in semetipso cõdemnet: iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cum de aliis iudicat, in semetipsum sententiam ferat.

Rom. 2.

In terram autem scribendo significat, quale futurum sit de impiis, sceleratis, & peccatoribus iudicium, quod scilicet Hier. cap. 17. exprimit: Recedentes à te in terra scribantur. Terra enim impiorum liber est, sicut cælum electorū & prædestinatorum, Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Item Psal. 68. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.

Terra impiorum liber & cælum electorum.

Quid verò Seruator scripserit, Euangelista memoriæ non tradidit. S. Ambr. libr. 7. epistolarum, epist. 58. multa de hac Christi scriptura agit. Coniicit Dominum scripsisse sententiam Hier. cap. 22. Terra terra, scribe virum istum sterilem, &c. quod contra regem Iechoniam est dictum. Complectitur tamen hæc sententia omnes steriles operum bonorum & fidei; Iudæos potissimum, quorum nomina in terram sunt ascripta. S. Hieron. tractans præsentem locum contra Pelagianos libr. 2. ait, Dominum Iesum terræ inscripsisse peccata accusantium, & omnium peccata mortaliū, secūdum quod scriptum est in propheta Hier. 17. Relinquentes te, in terram scribentur, vt videntes ea, in se irent, & respiscentes, peccatricem minoris criminis dimitterent. Vnde Cyrillus Alexandrinus ait quosdam affirmare Dominum notas quasdã terræ inscripsisse, quibus quisque accusantium sua oculis coram conspiciebat peccata, & mentis obiecta cernebat. Erat igitur scriptura hæc, vt & speculum quo vultus omnis dignoscitur. Alij quidam piè credunt, quòd scripserit hæc verba: Terra iudicat terram, peccator peccatorem. q. d. In quo alium iudicas, teipsum condemnas. Vide etiã de hac scriptura B. August. in Ioan. tract 33.

Terra quid Christus inscripserit.

Cum ergo perseverarent interrogantes eum: aut quasi silentio Christi insolentiores: aut ad scopum & sententiam expectandã proniores, quàm ad suorum agnitionem peccatorum: *erexit se*, ad defendendam mulierculã, qui in satanam se erigit, ad tuendos peccatores, ad retundendam eorum impudentiam, hypocrisim & audaciam: & vt se tutorē & protectorem infirmorū assereret.

assereret. Quo exemplo nos docet ad tuēdos eos quos mundus persequitur, & reducendos supportando: quē peccatores, faciles esse debere: imò & ad vindicandum eos contra sycophantas promptissimos. & dixit eis: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Foris enim calumniabatur: seipsum intrinsecus non perscrutabatur. Adulteram videbant, se non perticipiebant. Quasi velit dicere, ait Cyrilus. Iussit Moyses adulteras lapidari, secundum legem, sed ab his duntaxat qui sunt observatores legis, non pręvaricatores. Neque enim fas est transgressionem legis ab eiusdem transgressoribus vindicari. Et iterum *se inclinans, scribebat in terra.* Vt & denuò illos signis conuincat: vt dum ipse in eos non respiceret, erubescerent leniùs redarguri: vt quē ita illo in scribendo occupato, liceret eis sensim abscedere, antequam manifestius condemnarentur. Nam sua summa benignitate etiam ipsi parcebat.

Dum verò se erigendo, ita sententiam profert, dicendo: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat,* non hoc agit, vt ream non prorsus absoluat, legem qua huiusmodi malum punitur, enervet, & iudicariam potestatem damnet, quasi ministros iustitię prorsus impeccabiles esse velit, sed tantum suam functionem discernit ab officio ciuili politię. Quasi dicat: Meum munus est de pœna corporali nihil statuere. O homo quis me cõstituit iudicem super vos? Luc. 12. Est enim spirituale, ideoquē iubeo vos audire legem. Sed politici magistratus est, pœnas irrogare, non enim sine causa gladium portat, Roman. 13. 2. Paral. 19. Item hoc verbo eorum omnium percussit conscientiam, & consuetudinem perumpendi legem, quibus lex erat tela aranæacea, quę capit & detinet muscas; vesperæ verò & crabrones eam perumpunt. Lex enim persæpe diuitibus & potētibus est nasus cereus, quem quando volunt, in suam rem quoquò vertunt. Sic & respondit eis qui nuntiauerunt de nece Galilæorum, Luc. 13. Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus aliis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

*Lex Pharisæis
tela aranæ-
cea, & poten-
tibus nasus
cereus.*

Errant tamen vehementer qui ex hoc loco putant nemini licere fontes punire, nisi qui sine peccato sit. Qui ergo essent legis ministri, cum nemo sine peccato sit? Sed cum magistratus minister Dei sit, vindex in iram ei qui malè agit, sequitur priuatorum vitia publicæ eorum non derogare functioni. Ideoque rectè magistratus, vel adulteros, vel quoscunquē fontes punit: etiam si is qui publicam personam gerit, nec pius sit, nec reprehensione careat, & si tamen omninò deceret vt lex iusta secundum August. ministros haberet innocentes, ne

*Magistratum
tamesi im-
pius velle pu-
nit fontes.*

dum alios iudicant, seipfos condemnent, Rom. 2. Vnde his & verbis & inclinationibus Dominus docet (ait Cyrillus Alexandr.) nos antequam peccantem fratrem corripiamus, & postquam corripuerimus, ad intima cordis nostri inclinari debere, vt & bis inclinauit se in terram. Siquidem viderimus nos simili morbo laborare quo frater, prius id in nobis castigemus, vt cum mansuetudine tandem fratrem corripiamus, iuxta D. Pauli admonitionem ad Galat. 6. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, corripite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerantes vosmetipsos, ne & ipsi tentemini. Omni quippe vitio debet carere, qui in alterum paratus est dicere.

Euangelij effectus varij.

3 Tertiò, Proponit varios Euangelij effectus, quod non secus ac sol, pro conditione materię in quam agit vel obdurat, vel liquefacit. Sic Christi sententia falsos hypocritas & accusatores qui in occulto agebant quod publicè arguebant, condemnat. Cùm enim debuissent respicere, & oblatam ab ipso gratiam amplecti, excæcati & obdurati propria malitia, & accusantes ipsos conscientia ipsorum, quæ non permisit ipsos coram se uero ac iusto iudice Christo, qui cordium ipsorum penetralia intuetur, diu consistere: sed vt fugit impius nemine persequente, Prou. 28. ita malè sibi conscij, metuentes que ne proderet ipsorum flagitia, vnus post alterum exhibant, incipientes à senioribus. Sic mendacium veritatem perferre nequit; & vt nix vel cera calore solis vel ignis liquefcit, sic mendacium iuxta veritatem euanescit. Conantur enim impij fuga & occultatione peccatorum euadere iudicium Dei, Sapient. 17. Cùm enim sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem; semper enim præsumit seua perturbata conscientia.

Mendacium veritatē perferre nequit.

Ita impleta est figura Goliath funda Dauidis percussus, humi prostrati, & demum obruncati, 1. Reg. 17. Nam Pharisei gladio verbi Dei percussus animo consternati sunt: nullus enim seipsum immunem à peccato dicere poterat, imò nec à grauioribus excusare. *Incipientes, inquit, à senioribus.* Siquidem à senioribus egressa fuerat iniquitas: & qui seniores erāt, cum non haberent quod responderent, hic diutius morari erubescabant. Audierant quoq; talem respõsionem (ait Rupertus) vt de ea nullam spem accusationis habere possent: ideo confusi sunt, nec potuerūt stare. Obserua post terrores læsę conscientię, post sathanę in nos assultus, post mille diabolicas accusationes, quæ in peccatorem stare possunt, dissolui hoc vniuersum nostrorum inimicorum theatrum & euanescere, si modò constanter Christo adhæserimus, nec de eius bonitate diffidamus, vt accusatores huius mulieris abeunt in fumum: illa vero absoluitur. Hanc fiduciam Iob in se explicat.

d. cap.

d. cap. 17: Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Et Dauid: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.

Sic eadem Christi sententia miseram hanc & ream, quam peccati cognitio, quæ prima salutis adipiscendæ pars est, & fiducia misericordiæ, apud Christum continebant (neque enim alibi remissio peccatorum obrinēda est) absoluit, non legem, quæ publica facinora punit soluēdo, sed tanquam imperator & legis author gratiam concedendo. Remanserāt ergo simul in templo Iesus, vt peccatorum expurgator, vt gratiæ collator, & mulier in medio stans, iudex & rea, misericordia & miseria, vt Augustinus ait: *Erigens autem se Iesus, vt sententiā ferret: vt quæ mulierem admoneret, dicit misericordia: Mulier ubi sunt qui te accusabant?* non quod ignorauerit ipsos discessisse, sed vt exemplum daret his, qui in iudicio quenquam absolutori sunt ab aliquo crimine obiecto, ipsos liberum debere concedere accusantibus audiendis locum, quo dilucidius constet eius qui liberatur, innocentia & integritas. Cyrillus. *Quis te conuincit mulier?* Responder misera: *Nemo Domine.* Quomodo ergo misericordia condemnaret eam, à cuius accusatione destitit inclementia? Subdit ergo: *Nec ego futurus sum illis inclementior, vt qui seruandis omnibus venerim; non enim veni iudicium, sed misericordiam facere, Matth. 9. & vocare peccatores ad pœnitentiam.* Nam venit filius hominis saluare quod perierat, Luc. 19. Ezech. 18. Nunquid volūtatis meæ est mors impij, &c.

Neque in tribunali sedebat, neque in senaculo stabat, sed in templo, orationi & sacrificiis pro peccatoribus cōsecrato. Ideo ait: *Nec ego te condemnabo, cum nouerim te satis contritam, misericordiam expectare.* Absoluit ream, cōdonauit noxam, *Christus adulteram clemē-* sed non hic finiuit sententiam. *Quid verò? Nunquid ait sē-* *teram clemē-* *uus: Vade ad furcam? abi ad malam crucem? haudquaquam. ter absoluit, et* Sed quā benignus condemnare noluit, benignè qua via con- *prudenter pœ-* *demnationem fugeret, docuit, dicens: Vade, & iam amplius noli nitentia ad-* *peccare.* Ne medicina per incontinentiam subsequētem non *monuit.* *proflit, sed obsit.* Quandoquidem propositum melioris vitæ exigendum est à pœnitente, ne velut canis redeat ad vomitū, & sus lota in volutabrum lui. Caue ergo ne recidas in idipsum, sed magis cura vt viuas iustitiæ, radices peccati eradicet, occasiones fugias, vide Rom. 6. ad longum. Vides hic clementiam Dei, & æquitatem in Christo. Illa absoluit, hac ad satisfactionem obstringit. *Vade, habet virtutem remittendis;* *Noli amplius peccare, est ad satisfactionem obligare. Iritor est, Christus ad-* non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: nec videtur *ulterā diuis-* Deum pōscere subditus, sed subsannare superbus, canis *tens satisfactio-* *reuersus*

ditionem pro peccatis non abrogauit, sed confirmauit.

reuerfus ad suum vomitum, Prouerb. 26. 2. Pet. 2. Hæc Ignorantia; & habentur de pœnit. dist. 3. cap. Irrisor Sed huius sententiæ etiam annectenda est sententia D. Augustini de pœnit. dist. 1. ca. Non sufficit: Non sufficit, ait, mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfaciatur Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per cõtriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis & ieiuniis. hæc ille.

Significat enim hoc factò Christus, se verum esse Messiam, cui pater omne iudicium dederit, vt possit cui velit, misereri, & quem vult, iusto iudicio obdurare. Quibus autem miseretur, hos nemo condemnat, Roman. 8. Quis enim accusabit aduersus electos? Idcirco mulier hæc, quia iam per fidem senserat se iustificatã, & habere pacem cum Deo, Roman. 5. securã consistit: quia accusatores, aduersarij, & iudices quanquã potentissimi, cesserãt. Quis enim est qui cõdemnet, illo absolvente, qui vitæ & mortis habet imperium? Exhibet ergo hîc Christus exẽplum gratiæ, & misericordiæ pronuntiata sēntentia condonationis iis qui ex lege peccati merito damnantur: sed ita vt perpetuam ab iis requirat obedientiam mandatorum, dum ait: *Nec ego te condemnabo, vade in pace, & amplius noli peccare.* Neque enim satis est semel iustificationem accepisse, nisi magna cautione obserueat, ne acceptam gratiam perdant, in eadem impingendo. Neceffe est enim eos qui conuersi sunt, obsequi Spiritui sancto, bonis operibus inhærendo, vt certam suam vocationem faciant.

Hoc vltimo Christi verbo acriter disputat contra Nouatianos D. Cyrillus Alexand. qui dicerent decidentibus in vitia post susceptum baptisma, denegandã pœnitentiam. Nunquid, inquit, hæc mulier in Iudæorum numerum fuerat coaptata, sicut & tandem per baptisma inter Christianos numeratur? Et ramen ecce absoluit peccatam. Num Petro, qui postquam in Christi discipulum assumptus fuerat, peccauit, pœnitentiæ locus superfuit? Et rursus: Peccauerãt Israëliti in vituli adoratione, orauit Moses Dominum, & præuaricationis huius veniam obtinuit, Exod. 32. Flagrauit desiderio carniū populus, & murmurauit, Num. 11. qui rursus deprecante Mose placatus est. Attonitus exploratorum narratione, conquestus in Dominum: iterum Moses Deum placauit, Num. 14. Adducit demum varias scripturas, sententias & exempla ex Numer. 22: Iudic. 2: 2. Reg. 12. & 24: 2. Paral. 33. Psal. 40. 145. 102: Isai. 43: Ezech. 18: Prouerb. 24: Matth. 18: Galat. 4: Apoc. 1: Denique exemplum prodigi filij excepti à patre, Luc. 15: Publicani iustificati, Luc. 18. Postremò huius mulieris adulteræ, quæ à condemnatione liberatur. Docet quoque

quoque Dominus hoc facto mulieri adulteræ non denegandam penitentiam: vt habetur extra de penit. & remissionibus. c. Officij. De hac Nouatianorum hæresi habes apud Nicephor. libr. 11. histor. Ecclesiast.

EPILOGVS.

Historia de adultera est in adulterio deprehensa, quam Pharisei adultera generatio coram Christo ream egit. sed non perexit. Christus enim sua benignitate, qua venit peccatores saluos facere. peccatricem è manibus peccatorum liberauit, monens vt à peccato sibi princeps caueret. Quo exemplo docuit eos, qui se pastores populi & Evangelicos doctores profiterentur, quanta lenitate, quanta que mansuetudine debeant vti aduersus eos qui per infirmitatem prolabantur in peccatum, cum ipsi nonnunquam magis egeant Dei clementia, quam illi in quorum errata seuiunt: aut si non tenentur paribus vitiis, certe non sunt omnino puri ab omni vite macula, Prouerb. 20. Quis potest dicere, purus est cor meum: purus sum à peccato? aut certe per humanam imbecillitatem in omne vitium prolabi possunt, Gala. 6. Fratres & si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Christus exemplum lenitatis est prelatiis erga subditos.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE, QUAE EST LAETARE, EPISTOLA.

Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit; vnum de ancilla & vnum de libera. &c. Finis Epistolæ: qua libertate Christus nos liberauit. Galat. 4. Genes. 16.

IN HAC Epistola Apostolus insignem admodum introducit allegoriam, qua nihil aliud efficere conatur, quam vt discrimen ostendar inter vetus testamentum & nouum, inter legem & Euangelium, inter opera & fidem, inter veterem populum & nouum; multisque argumentis contra pseudoapostolos Galatas Iudæo-Christianos facere nitentes, euincit, onus & caeremonias legis Mosi per Euangelium prorsus esse ablata, ac nullo modo cum hoc consentire posse, ideoque legem Euangelio, & vetus testamentum cedere debere nouo. Id autem proponit, & allegoricòs probat, ex historia de duabus Abrahamæ vxoribus, earundemque filiis. Agit autem Apostolus tria.

1 Primò, Eleganter exprimit naturam legis terrentis, & gratiæ adiuantis. Legis terrentis naturam exprimit sub ænigmate Agar, & Ismaelis, qui, per allegoriam, qua aliud ex alio intelligitur, iuxta August. lib. 15. de Trinit. cap. 9. exprimunt legis per Mosén datæ imperfectionem, vt propter transgressionem positæ. Quemadmodum enim ancilla & filius ancillæ nihil iuris in ipsam Abrahamæ hæreditatem

Legis imperfecio.

tem

tem sibi vendicare potuerunt (nam illa timore tantum, & spe temporalis mercedis serutens, dum procaciter Saram irridet, ex præcepto diuino domo protruditur: & Ismaël, qui illicito ludo Isaac illufit, abiiciebatur, ne esset hæres cum filio liberæ) ita & illos ostendit Apostolus, qui suis viribus se iustificari posse credunt, propriam iustitiam statuere volunt, & in lege iustificari præsumunt, à gratia excidisse, nec posse iustitiæ Christi subiici, Rom. 10. Neque enim qui ex operibus, sed qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Manifestum est enim, quia ex lege nemo iustificabitur apud Deum. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset hæreditas. Abrahæ autem per repromissionem

*Repromissio
Abrahæ facta
non Ismaeli.*

promisit Deus. Non enim Ismaëli, quem virtute seminis genuit Abraham, & iuxta naturam peperit mater, facta est promissio. Siquidem ut est ^{et iure} iuris, partus sequitur vterum; ut aliud nihil nisi seruus esse possit, qui ex ancilla nascitur: nisi fortè principis beneuolentia hæreditario iure donetur. Qua analogia pulchrè demonstrat Apostolus Iudæorum opinionem de carnali generatione, qua se iactabāt filios Abrahæ, esse futilem & inanem, atque aded carnalem generationem ipsis non prodesse, nisi sequantur vestigia fidei; quod ut possent, solius esse gratiæ Dei, Rom 12. 1. Cor. 12.

Gratiæ præuenientis & adiuuantis naturam exprimit, quæ vult intelligi sub nominibus Saræ & Isaac. Ut enim Sara non virtute naturali, aut carnis, sed solius gratiæ beneficio, iuxta promissionem, quæ merè gratuita fuit, concepit & peperit: ita & electi à Deo ab æterno secundum propositum gratiæ, in adoptionem filiorum, nullis operum meritis vocati sunt (ipsa enim prædestinatio & vocatio omne meritum præcedunt hominum ut gratia Dei cognoscatur; quæ si operibus redderetur, gratia non esset, Roman. 11. Ei enim qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam, Roman. 4. Rectè igitur fides omnia merita præcedit humana. Nam intellectum, voluntatem, & rationem sola fides dirigit, quæ Augustino teste, prima datur; per quam cætera impetrantur, quæ rectè opera nuncupantur, Epist. 105. Atque hoc est quod hac analogia docet Apostolus, promissionem Abrahæ & semini eius factam, non esse per legem aut per naturam, sed per iustitiam fidei, quæ nullo merito paratur humano, sed sola Dei gratuita misericordia, quemadmodum quod Abraham contra spem in spem credidit, Deo peregrinationem præcipienti obediuit, & filium in altari offerre paratus fuit, aliisque admiranda opera fecerit, singularem in ipso commendat gratiam Dei,

*Fides omnia
merita præce-
dit humana.*

Dei, & animi promptitudinem, per quam, Apostolo teste, iustificatus est, Iaco. 1.

Summa: Ostendit Apostolus quemadmodum Agar & Ismaël propter seruitutem reiecti sunt ab hereditate Abraham, & solus Isaac ea potitus est: ita lex & qui huic seruiunt, ab hereditate cælesti reiiciuntur, & illi admittuntur solùm, qui ex Euangelio nati sunt, hoc est, qui in Christum credunt, siue Iudæi sint, siue gentiles. Item quemadmodum Isaac citra meritum & opera per solam reppromissionem liber natus est, & hereditatem paternam adeptus, quod ita nos quoque citra meritum & opera, per solam gratiam & fidem in Christum libertate Euangelica donemur, & hereditatem conseruatam in cælis consequamur, Ephes. 2. Non tamen hinc sequitur, opera fidelium reijci, aut nos iis non debere incumbere, nam de illis sic Apost. non loquitur. Debemus non minus bene operari quàm Abraham, quàm Isaac fecit, qui utriusque vitam traduxit vitam: sed hoc cauendum nobis, ne nostris aut meritis, aut operibus imputemus salutem, sed potius cogitemus, quòd serui inutiles simus, &c. Luc. 17. & quòd lex non destruat per fidem, sed statuatur, Rom. 2.

Hæc non abs re ita diuinam voluisse peragi potentiam, indicat Apostolus, cum ea per allegoriam dicta esse asserit. Allegoria est, quæ aliud quàm litera præfert, præfert. Talis est qualem adumbrat ænëus serpens, Ioan. 3: Ionam deuorans cere, Matth. 12. Ionæ 3: Arca Noë, 1. Pet. 4. & hoc genus plurima, quæ aliud designant, quàm prima literæ vel historie facies promittit. Vides hinc præscos Theologos per Spiritum S. vetus testamentum ferè allegoricòs esse interpretatos. Hæc in re apud Græcos excelluit Origenes, apud Latinos Gregorius: Hieronymus, siue (vt alij volunt) Ambrosius ferè totum Marcum allegorizat.

2. Secundò, Ostendit miseriam eorum, qui oblationibus, victimis, & sacrificiis, aliisque innumeris legis operibus, & præceptis iustificari voluerunt. Quamquam enim innumera essent præcepta, utpote secundum Rabinos 613. nimirum affirmatiua, 248. & negatiua, 365. nulla tamen eorum ad perfectum adducere quenuquam potuerunt: quia omnia, vt Agar, in seruitutem generabant. Omnes enim quibus lex dominabatur, sub maledicto legis erant constituti: siquidem euacuati erant à Christo, & à gratia exciderant, qui per legem iustificari se posse confidunt: quando legis officium erat, dare peccati cognitionem, iram operari, transgressionem cohibere, vt non immeritò eam prædago comparat Apostolus, eò quòd ad perfectum neminem adduxerit, sed terrendo & iubendo dura seruitute presserit, ea præcipiendo quæ sine gratia

gratia impleri non possunt, hominiquè suam imbecillitatem ostendendo, vt agnita infirmitate quærat redemptorem, qui in nobis perficiat quod impossibile est legi; scilicet, adimere spiritum seruitutis, & dare spiritum adoptionis: siue vt loquitur propheta Ezech. cap. 36. auferre cor lapideum, & dare cor carneum. Quo fiat, vt lex quæ dura est cupiditati, lenis fiat amori, qui per Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris, Rom. 8.

Sed neque hic vxoris & ancillæ conueniunt solùm typi, sed & loca sibi consentiunt. Vbi lex est data in spiritu timoris, & vbi Euangelium est prædicatum, & Spiritus S. acceptus, spiritus puta amoris. Legem datam esse in spiritu timoris in monte Sina, vides Exod. 19. Sinam iuxta desertam Arabiæ sitam, in regione Madianitarum, Arabes quoque sua lingua Agar vocant, sic vt secundum idiomaticon varietatem, Sina & Agar vnum sint vocabulum. Legem autem Euangelicam quæ continet veram libertatem, atque docet charitatem, effusam videre licet in Hierusalem atque Sione; hoc est, in Dei spiritus illustratione, & in gratiæ abundantia, cuius administratio est in Ecclesia, quæ nõ ex terra: siue ex carne carnalis est siue terrena, sed ex Dei spiritu spiritualis & cælestis intercedit; quæ ramenti spiritualis sit, non tamen est inuisibilis, quatenus ex veris hominibus conflatur, sed verè visibilis est & audibilis, spiritu in cælis agens, corpore simul & spiritu in hoc mundo Deum colens: hæc ciuitas in monte sita, nulli, nisi cæco, inuisibilis est, Matth. 5.

3 Tertiò, Docet quanta sit felicitas fidelium, qui de libera per repromissionem renati sunt, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, nimirum per verbum Dei viuì, & fidem Iesu Christi. Est enim fides, quæ regenerat, ac filios Dei efficit, sed per verbum & elementum, iuxta illud Galat. 3. Omnes vos filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu, qui dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, Ioan. 1. Tantam autem ostendit Apostolus hanc esse gratiam, vt suos eximat à seruitute legis Mosaicæ, peccati diaboli, & corruptionis; ac transferat in veram libertatem, non carnis, qua seruiant concupiscentiis propriis, sed in libertatem spiritus, quæ nullo pacto iustis ac piis maiorum decretis repugnat, aut etiam magistratus Ecclesiastici aut ciuilibus constitutionibus, vt apertè docent scripturæ, ad Tit. 3. 1. Pet. 2. Rom. 13. quanquam hodie plures hæretici secus doceant, atque adeò vi & armis, cum scripturis nequeant, demonstrant.

Paulus verò cum docet nos non esse filios ancillæ, sed libere, significat nos verè esse ereptos de maledicto legis, mortuos legi per corpus Christi, & translatos nos esse in libertatem

*Sina mons
Arabum lin-
gua etiam
Agar.*

*Ecclesia tamen
est spiritua-
lis, non tamen
inuisibilis.*

*Felicitas fide-
lium quanta
sit.*

*Libertas Eu-
angelica.*

tem gloriæ filiorum Dei, eleganter exprimens diferimen legis & Euangelij. Vti enim ancilla, ita & lex seruos genuit: atque vt Sara, ita & gratia Euangelij filios & hæredes Dei per Spiritum sanctum produxit. Merito ergo dignitatem suam agnoscere debent fideles, & ad quantum honorem sint euecti: Insignes quippe gaudendi causas hinc videmus. Lætemur itaque vnà cum matre nostra Hierusalem, conueniamus nos qui diligimus eam, gaudētes, inquam, gaudeamus, vt repleamur nimirum ab vberibus consolationis eius, vt delitiis affluamus ab omnimoda gloria eius, Isa. 64. Verum interim patri nostro Deo grati simus, caueamus ne à nostra religione vel ad Iudaismum, Galat. 3. vel ad hæreticismum deflectamus: sed permaneamus in ea libertate spiritus, qua donauit nos Christus, ambulemusque in domo eius Ecclesia, vt filij charissimi in dilectione, innocentiaque, quo sic tandem ad cæleste perueniamus tabernaculum, im mortalitatemque in cælis erga nos conseruatam læti apprehendamus.

Sed quemadmodum Ismaël secundum carnem natus, persecutus est Isaac fratrem suum secundum spiritum natum; ita & Iudæi cum semper persecuti sunt, tum hodierna adhuc die persequuntur Christianos, si non iam publicè, certè secretò: idque tam scènore quàm blasphemis horrendis; ita etiam indies isti nostri hominæ schismatici, hæretici præsertim, hoc nostro calamitoso tempore Calvinistæ, sanguinarij sacrilegi, & Anabaptistæ hypocritici iustitiarij, persequuntur Ecclesiam Catholicam; Romanam matrem nostram liberam, eiusque traditiones & alias doctrinas Apostolicas, quæ tamen neminem vnquam persecuta est, nec persequitur, tamen licitè & laudabiliter nonnunquã contra hostes fidei religionisque Catholicæ sese defendat, munit, & aliquando etiam eosdem puniat. Vide de hac re B. Augustinū epist. 48. contra Vincentium Donatistam, & epist. 50. ad Bonifacium Milit.

Ecclesia persequuntur Iudæi & hæretici sed ipsa eorum neminem.

- EPILOGVS.

In hac Epistola D. Paulus per omnia sic agit, atque h̄ solent, qui conantur rem quampiam alicui exosam facere. Quemadmodum enim hi turpissimum ac nocentissimum quodq; eius rei proponūt, quo videlicet homo ex huius turpitudinis seu vilitatis consideratione adamata illi rei tam fiat infensus, quàm antè additus: sic & Apostolus hinc Galatis (ad Iudaismum nempe dilapsis) summa Iudaismi incommoda ac vilitatem maximam statuit ob oculos, quo nihil vtrumque tam insensu eidem fiat, quàm antè additū, sicque ad Christianismum redeant, & in eo perseuerent, tanquam veri libera filij. Ob id nimirum allegoriam præfigit illis hanc, de duobus Abraha filiis Ismaele & Isaac.

Z

DOMI-

Ioan. 6.

Matth. 14.

Marc. 6.

Luc. 9.

*Post hæc abiit Iesus trans mare Galilee, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, &c. Finitus Euangelij: Quia hic est verè Prophe-
ta, qui venturus est in mundum.*

EVANGELIUM hodiernum S. Ecclesia ter in anno re-
petit, quò eius admonitù toties animaremur contra no-
xiam ventris curam, eò quòd inter innumera morborù ani-
mi genera nullus planè nos frequentius sollicitet atque ven-
tris cura; contra quam efficax remedium est præsens Euan-
gelium, in quo Christus verum se exhibet patrem familias,
cuius est non tantùm filiis, sed & seruis providere, adeò vt
quid manducaturi sunt sollicitus sit, cibumque exhibeat.
Deus quoque opt. max. cum sit omnium opifex & pater, dat
escam omni carni: dat etiam fœnum iumentis: adeò vt om-
nia eius impleantur bonitate. Quamobrem securè iactare in
eum omnem nostram curam debemus, vt ipse nos enutriat:
in Christum quoque omnem nostram confidentiam iactare,
& illi adhærere necessum est, cum suos & sacro verbo & Eu-
charistia pascat, nec deserturus sit, quin egenis succurrat, vt
ex hoc præclaro Euangelij factò elicitur: è quo etiam Atha-
nasius eum verum Deum esse colligit, lib. de incarnat. verbi.

Abiit Iesus trans mare Galilee, quod est Tyberiadis. More Hebræo
hoc stagnum Euangelista mare vocat, Genes. 1: quod à Galilæa
nomen sumpsit, quia à Iordane intumescens per eam la-
beretur: à Tyberiaide autem, quod eius oppidi littori affide-
ret. Abiit ergo per hunc lacum in desertum locum secus Ior-
danis ripam vsque ad montem Thabor, parcens inimicis, in-
quit Hieron. ne homicidium homicidio iungerent: vel in
diem Paschæ suum interitum differens, in quo propter sa-
cramentum immolanda erat agnus, & postea credentiù san-
guine respergendi. In figuram vtique Ecclesiæ fugit persecu-
tionibus vrgentibus, quòd ea vltimis temporibus (vt Chry-
sost. homil. 49. in Matth. cap. 24. dicit) se in solitudines reci-
pere debeat: adeò vt non sit qui in locis publicis aut Ecclesiã
intret, aut oblationem offerat Deo. Quod & obseruare licet
in Iudæis, qui sub Antiocho Antichristi figura, tempore Ma-
chabeorum in solitudines fugerunt. Cui consonat illud Apo-
calypseo cap. 12: Mulier fugit in solitudinem à facie dra-
conis, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam
diebus mille ducentis sexaginta. Obserua licitum quandoq;
in persecutione fugere, non timiditatis causa, sed quòd nec
proficudè nos inimicis obiciamus, imo cum detrimento Ec-
clesiæ aut familiæ, vt docet Athanasius apologia de fuga sua,
idq; ue

idque pluribus argumentis: Iacob, qui à fratre suo fugit, Genes. 28: Moſis, qui metu Pharaonis ad Madianitas tranſiit, Exod. 2: Dauidis, qui ſæpius Saulis iram fuga vitauit, 1. Reg. Helix, qui Iſabel furente abſconſus & fugitiuus tandem in Oreb venit: Prophetarum, quos tum abſconditos in ſpeluncis Abdias paut, 3. Reg. 19: Pauli, qui vt præfecti regis Aretæ minas declinaret, in ſporta per murum Damafci demifſus eſt. Act. 9. Immo & ex verbis & factis Chriſti colligit; ex verbis Matth. 10. Cum vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Et cap. 24: Cum videritis abominationem deſolationis, & c. tum qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes. Immo & factis, vt qui puer trãſlatus eſt in Aegyptũ, Mat. 2: fugit manus Nazaræorum cum præcipitare volentiũ, Luc. 4: & Iudæorum ſæpius, quòd nondum veniſſet hora eius.

Et ſequatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna que faciebat ſuper his qui infirmabantur. Adeò ſignis ſuam doctrinam confirmabat, vt præter gratiam quæ diſfuſa erat in labiis eius, operibus ſe Meſſiam eſſe conteſtaretur. Vtque magnes ferrum, ita Chriſtus rudem plebem vi & verborum & operum ſuorum ad ſe pellexit. Obſerua verò hïc iſtius populi feruorem: neque enim Ioannis audita morte terrentur (inquit Chryſoſt. homil. 50. in Matth.) quin Chriſtum præoptis animis ſequantur. Hoc ipſo nos edocetes, ne quis humanus furor à Chriſto nos reuocet, Rom. 8. Quis enim nos ſeparabit à charitate Dei, que eſt in Chriſto Ieſu? Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Et ſi quis hominum Eccleſiã ſequi prohibet, dicamus cum Apoſtolis, Act. 5. Obedire nos oportet Deo magis, quam hominibus. Sed neque turbæ iſtæ itineris difficultate terrentur, imò ſecutæ ſunt Chriſtum pedẽſtres, vt notat Matthæus & Marcus, non in iumẽtis, non in vehiculis, vt labore multo Chriſtus à viris fidelibus ſequẽdus inſinuaretur. Nec eos cura rei domeſticæ, nec ciborum penuria, cæteraquẽ ſimilia remorantur; quin vt olim Regina Saba ad Salomonẽ, ita ad Chriſtum procurrant. Sic nemo noſtrum aliquod ſuæ incuriæ aut infidelitatis ſpecimen à re domeſtica nanciſcatur: nec enim excuſati ſunt in Chriſti parabola, qui ob vilam emptam, aut quinque iuga bouum, aut vxorem ductam, ad cœnam conuenire contempſerunt, Luc. 14. Grandis vtiq; nobis cœna, & pabulum verbum Domini eſt. At quantus hïc fuerit ſtupor & incogitantia, ſi dum citharædus, vel ſaltator, vel quiſpiam alius eiufmodi hominum nos vocet, ſtudioſè omnes nos currimus: interim & gratiam ipſi quòd nos vocant, habemus, totumque diem, vel certè dimidiũ conſumimus, illi ſoli animũ aduertentes. Deo verò per prophetas & Apoſtolos nobiſcum loquẽte, oſcitamus, torpemus & æſtuamus,

mus, ait Chrysoſt. homil. de non contemnenda Chriſti Eccleſia. Vide quæ ſo, vt plebs iſta ne loci quidem ſolitudine retardetur à verbo Dei audiendo. Diſce igitur nihil prætexere, imò neque metu feruorem tuum remorari. Nam vt palma viget perſtantibus Euris, intus contuſa incaleſcit, & aurum fornace probatum nitidius liqueſcit: ſic dum Chriſtus fugit, tantò feruentior deuotio populum inter deſerta ferarum luſtra trahit. Adeò auiditas populi excreſcit in Chriſti verbū. Sic olim quantò pluribus tyrannorum decretis Chriſtianismus prohibebatur, tantò liberiore animo & ad conciones & martyria Chriſtiani conuolabant.

Subit ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis: & loquebatur eis de regno Dei, addit Lucas. Mos verò Chriſto fuit ſatis frequens in monte docere, quo apicem Euangelicæ doctrinæ legis umbras longè excedere doceat: imò tantò magis quantò filius liberæ dignior eſt filio ancillæ. Vtriuſque enim prætextu, vtrumque teſtamentum præfigurabatur, vt Paulus ad Galat. 4. in epiſt. hodierna docuit. Ceu excelſum ſcandit, vt humilia nimirum & terrena deſpicere doceat: non iuxta viâ Balaam ambulare, Numer. 22: aut concupiſcentia, inſtar Salomonis, in mulieres exardeſcere, 3. Reg. 11. cum vinum & mulieres apoſtatare faciant ſapientem: Sed cum qui veritatem aſſerere contendit, idem quod Ioseph facere inſinuet, qui amplexus vxoris Putipharis fugit, Genef. 39: idem quod Moſes, qui dignitatem regiam ſub Pharaone contempſit, Hebr. 11: idem quod Heliceus, qui præmium à Naaman accipere renuit. 4. Reg. 5.

Porro quod Chriſtus ſedet cum diſcipulis, indicat & ſe poſtmodum in medio eorum, ceu totius Eccleſiæ per gratiâ ſeſſurum, Matth. 18. Loquitur de regno Dei peregrinantibus hiſce populis, quo nos doceat hac in via ſemper futura illa bona meditari, & cum Pſaltē dicere: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Corporali verò reſeſtioni ſpiritua-lem præmittit, quòd anima plus ſit quàm eſca, Matth. 6. Nec prætereundus ordo quem Chriſtus obſeruat. Relicta quippe in valle multitudine, diſcipulos ſuos in montem ducit: quò ſicut loco, ita & auctoritate eos eminentiores cæteris oſtēdat.

Erant autem proximum Paſcha, dies feſtiſsima Iudaorum. Euangelista hoc addit, vt fides fiat tantæ multitudinis Ieſum ſequentis, quæ ſcilicet ad diem feſtum Hieruſalem aſcenſura eſſet: Et vt ratio miraculi reddatur in panibus, cum ſanctificatum azyma comeſturi eſſent: & nos in Paſchate Euchariftiam commun-icari. Nimirum hoc miraculo Dei virtutē in pane Euchariftico cōcipimus, nam poſtea in Capernaum de ſacramento corporis ſui diſſeruit. Senſibilibus ergò argumētis, diuina & ſpiritualia

spiritualia miracula in Eucharistia, obseruata vtroque panis specie, comprobant. Nam sciebat infidelibus familiare esse, dicere: quomodo? proinde de eius potentia penes Eucharisticum panem dubituros permultos, inò statim in Capernaum Iudæos dicturos: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Quare prius illius potentiae infinitae irrefragabile argumentum proponit, dum virtute naturæ incomprehensibili, quinque panibus & duobus piscibus, quinque hominum millia paut.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus. & vidisset quia multitudo magna uenit ad eum. Non abs re dicitur sustulisse oculos (inquit Theophylact.) sed ut discamus quòd non solitus sit hinc & inde vagari oculis, sed compositus & attentus sedere, Ecclesiasticis omnibus modestiæ exemplum præbens, 1. Timoth. 3. Subleuat ergo oculos, & nunc eos nunc illos attentè respicit: docens non auertendam faciem ab ullo paupere, Tob. 4. Proinde multitudinem hanc magnam vidit, oculis nimirum misericordiae suae. Oculi quidem Domini in omni loco cõtemplantur bonos & malos, Prouerb. 15. maxime tamen eos respicere dicitur, quorum vult misereri. Sic Thren. cap. 5. Respice Domine afflictionem nostram. Hinc est quod Marcus cap. 6. hanc enarrans historiam, exiens (ait) vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem. Et post hoc præludium complectitur quinque. 1. Primò, Consolationem contra tentationem de victu, de arte parandi vitæ necessaria, & honestate vitæ, complectitur, quum dixit ad Philippum: Unde ememus panes, &c. Quem maxime interrogat, quòd de vico Bethsaida esset, huic solitudini satis vicino, adeò ut cæteris commodius pecuniis comparare posset quæ emenda essent, ut habet Abdias Apostolicæ histor. lib. 10. Vel hunc præ cæteris interrogat, quòd doctrina indigere videretur, inquit Chrysostr. homil. 4. in Ioan. Hic enim est qui tandè ait, Domine, ostende nobis patrem, Ioan. 14. Manifesto siquidè exemplo docet, omnibus quæretibus Dei regnum, iustitiam & gloriam, nunquam defore vitæ necessaria, Math. 6. Hinc incepit de cibo facere mentionem, d. Unde ememus panes, ut manducent hi? Discipulis interim nihil tale cogitantibus, nec turba quicquam tale expectante. Quo declarauit se sua cura præuenire omnem nostram indigentiam, ac planè etiam nobis dormientibus patrem familias agere. Signanter autem ostendit, se curare pro his, qui vocationi suæ innigilant, ac bonis operibus insistent. Hinc dicit, Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore, &c. Ipse quidè escam dat omni carni, ipse beneficia etiam præstat malis hominibus, sed maxime curat

Cura sua
Deus omnem
nostram indigentiam præuenit.

pro se sequētib; & verbum suum amantibus, quibus nihil deerit. Quanquam enim inter istos Christi sectatores multi essent, quibus dispar fuit sequendi ratio: nam alij ex curiositate, vt scilicet viderēt insolita: alij ex ignauia & socordia, vt otiosi feliciter viuerent: alij verò ex maleuelo affectu, vt calumniandi occasionem nanciscerentur, sequebantur: quos tamen nō omninò deserit Christus, & si nolit nos aut se aut suo verbo abuti ad carnis voluptates. Non enim Deus pater proposuit filiū suū, vt sit carnalis ac terrenus tantū, sed vt sit spiritalis, & qui remissionem peccatorum & iustitiam largiatur. Potuisset quidem Christus ineffabili sua potentia sustentare ipsos, vt olim Mosen & Eliam. Atqui vt doceret externa subsidia non esse reiicienda, quando haberi possunt, idcirco adhibuit, tum etiam vt tam Apostolis, quā turbis perspecta fieret eius diuina virtus. Neque verò statim succurrit, sed dissimulatione quadam vitur, vt doceret patris sui æterni consuetudinem, qui solet quandoque surdus ad priorum preces videri, vt dilatione in afflictō exciter maiorem ardorem inuocandi, vel tentatione sibi ipsi innotescat. Sic tentatur hic Philippus, vt fides eius exploretur, num credat Christum posse in necessitate subuenire, nec ne. Sic cū tibi ob oculos ponitur numerosa proles, & promptuarium pane vacuum, & bursa ære carens, dicitur etiam tunc tibi; *Vnde ememus panes, &c.* Hoc autem Deus ad te dicit, non vt te perdat, sed vt probet fidem tuam, num velis ipsum pro patrefamilias suscipere & venerari. Esuries enim, & panis defectus, non sunt perditionis, sed duntaxat tentationis officia. Nam Salomon ait, Prouer. 10. Non perdet Dominus fame animam iusti: Et Psal. 36. Iunior fui & senui, nec vidi iustum derelictum, &c.

Hinc Euangelista addit: *Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturum.* Tentat Christus in bonum, vt probet, & habita ignorantia & infidelitatis confessione eum instruat. Sic & magister discipulum tentare dicitur, cū eius animi vires & doctrinam interrogatione experitur. Obseruandum hęc tentationem esse duplicem, vnā quæ decipit, de qua B. Iacobus agit cap. 1. Deus neminem tentat: alteram quæ probat, de qua hic, & Deut. 13. Tētat vos Dominus Deus vester, &c. Rursus ea qua Deus tentat iustos, duplex est. Prima quæ ob probationem est: Sic Abraham & Iob tentauit Dominus, & permultos sanctorum. Imò & Israëlem, Deut. 8. Adduxit te Deus tuus 40. annis per desertum, vt affligeret te atq; tentaret, virum custodires mandata illius, an non. Et Psal. 80. Probauit te apud aquā contradictionis. Secunda fit ob emendationem, qua tentat Deus etiam iustos pro leuibus culpis. Sic

*Dissimulatio
Dei & ten-
tatio quò ten-
tans.*

Sic scribitur Isa. 1. Excoquam ad purū scoriā tuā, Pſal. 33. Multæ tribulationes iuſtorum. Hebr. 12. Quem diligit Deus flagellat. Apoc. 3. Ego, quos amo, arguo. Ierem. 30. Caſtigabo te in iudicio, vt non videaris innoxius. Pro qua ſalutari emendatione orat Dauid, Pſal. 52. Proba me Domine & tenta me: vre renes meos & cor meum.

Hæc autem Dei operatio magnos in nobis fructus parit, ſcilicet tolerantiam paſſionum, obedientiam eorū officiorum, quæ Deo & proximo debemus, & conſtantiam in oratione.

Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eiſ, &c. Adeo virtutis omnipotentia que Chriſti non meminit Philippus, ſed trepidus ad ſolam pecuniarum viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi poſſe exiſtimās. Tales quidem ſunt, qui res diuinas non pluris faciunt, quàm humanas, imò neque alio modo fieri eas arbitrantur, quàm naturæ familiaris: aut ſi quid naturæ ordinem excedere vident, protinus ad infidelitatem labuntur. *Dicit ei vnus ex diſcipulis eiſ, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Carnalis Andreas, vt & Philippus, non aduertit Chriſti potentiam, cum mari & ventis imperaſſe: incurabiles morbos ſanaſſe: etiam & mortuos ſuſcitari: imò neque meminit mirabilium quæ fecit per Moſen ſeruū ſuum: qui māna & coturnices eduxit de cælo, Exod. 16: aquam è rupe, Num. 20: Imò neque eorum per magnum illum Helifeum, qui fecit vt lecythus olei, & hydria farinae Sareptanæ viduę non deficeret. Saltem debuiffent aduertiffe, Deum nunquam ſeruos ſuos famelicos impaſtos deſeruiſſe: imò Abacuc capillis ab angelo in lacum leonum Babylonie, cum eo quod meſſoribus ferebat prandio, deportatum, adeo vt nec Daniel à leonibus deuoratus, nec ipſe fame deperierit. Dicam etiam magis coruos Eliæ carnes & panes, 3. Reg. 17. & eidem angelum panem & vas aquæ detuliſſe, 3. Reg. 19. non ſecus ac Paulo heremita in nouo teſt. demittebat Dominus panem in ſolitudine, vt refert Hieron. in vita eiſ. At nos melius edocti audiamus Pſaltem: *Iacta in Domino curam tuam, inquit, & ipſe te enutriet; nec carnalem Philippum aut Andream ſequamur.*

Viderur tamē Andreas quid amplius Philippo credere; hæret ſiquidē, poſſit ne Chriſtus tot turbas paucis panibus & piſculis paſcere. Legerat forſan Helifeum in Samaria 100. viros viginti panibus pauiffe: ſed quid centū cum 5000. quinque panes cum viginti? Porrò ne hæſitationē iſtam in Apoſtoliſ demiremur, ſimilem quoq; in Moſe legimus, Num. 11. Plente enim & murmurante populo, quòd carniū deſiderio tenere, Moſes Dominum acceſſit clamās: *Sexcenta milia*

hic sunt, & tu dixisti: dabo eis mense vno carnes ad saturitatem, &c. Idem quoque, Numer. 20. cum pro aqua iurgaretur populus, hæsitauit. Vnde neque introduxit populum in terram promissionis. Caueamus igitur nos, ne de diuina illa potentia diffidamus, sed semper in ore & in corde nostro sit illud Domini verbum: Luc. 18. *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*

Obserua multiplicem ex scripturis panem colligi. Primus est cõmunis, qualis à Paganis & infidelibus etiã manducatur. Secundus est benedictus, quales Iudæis erant panes propositionis: & hi quos Christus accipiẽs, gratiarum actione meliori virtute imbuit. 3 Sacramentalis Eucharistia, corpus scilicet Christi. 4 Spiritualis, & is aut verbum Dei est, aut gloria illa cęlestis, quam Raphaël apud Thobiam cibum & panem inuisibilem vocat. Panem igitur benedictũ ex hoc Christi facto colligimus. Quis enim non fateatur, eum gratiarum actione sanctificatum, nec non maiori virtute imbutum, cum eo 5000. hominum pasti fuerint? Potior vtique eius virtus, quàm panis communis, nec tamen adeo dignus est vt Eucharisticus, sub cuius speciebus verum Christi corpus & datur & sumitur. Panem quoque benedictum probãt antiqui. Abdias lib. 2. histor. Apost. refert B. Petrum panem benedictum canibus sathanicis, quos Simon magus excitarat, porrexisse: & sic eos disparuisse. D. Hieronymus in vita s. Hilarionis hoc se mirari dicit, quod cuiusque status personę, iudices & magnates ab Hilarione benedictum panem & oleum in tutelam acciperent. Testantur & antiqui patres hunc panem porrectum Catechumenis, quod digniorem panem Eucharisticum sumere nõ possent. Quod patet ex Concil Africano. 3. cap 3. vbi sic habetur: Placuit vt per sollemnissimos dies Paschales sacramentum Catechumenis non datur, nisi solum sal, & panis benedictus. q. d. August. lib. de catechizandis rudibus etiam confirmat. Et libr. 2. de baptis. paruulorum cap. 26. hanc panem à communi, & Eucharistico distinguit. Quod enim, inquit, accipiunt Catechumeni, quãuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur. Panis hic benedictus olim distribuebatur Catechumenis, in significationem vnionis Christianę, ad quã suspirabant, & quod adhuc indispositi & indigni essent pane Eucharistico, qui iam à nobis fidelibus sumitur, vt nostrę cum Christo vnionis meminerimus, Ioan. 6.

Ceremonia Christi in hoc miraculo quid contineant.

Sunt autem studio Eccllesiastę obseruandę ceremonię, quibus in hoc miraculo vitur Christus; plus enim in recessu continent, quàm fronte promittunt. Dicit ergo Iesus: *Facite homines discumbere. Non multis moratur verbis, sed statim ad opus accingitur,*

accingitur, vt detestandos loquaces doceret, de quibus Horatius: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Ceterum iubet homines ministerio discipulorum discumbere: non tam vt facilius illis refectio corporalis administraretur, quam vt insinuaret Apostolorum & eorum successorum, sacerdotum scilicet & concionatorum ministerio persuaderi homines oportere, qui mensa Domini excipi volunt, vt discumbant per quietem conscientiae, & fidem firmissimam; quod ea oporteat preparare, Chrysof. homil. in Psal. 21.

Erat autem sanum multum in loco. Propter veris temperiem: agebatur enim tum mensis Aprilis. Hoc igitur accessit propter rei commoditatem, vt melius discumberent; & ad insinuandum mysterium, scilicet vt ad mensam Domini accessurus discubat in sceno mortalitatis suae. Omnis enim caro foenum, Isa. 40. Consideret nimirum & pendat indignitatem suam, & Domini liberalitatem. Vnde d. Thomas Aquinas ingenti admiratione ductus scripsit. d. O res mirabilis, māducat Dominum pauper, seruus, & humilis.

Discubuerunt ergo viri quasi quinque millia, absque mulieribus & paruulis, ita vt cuique millenario vnus tantum adesset panis. Obserua verò promptam magnae istius, & ideo confusa forsitan multitudinis obedientiam. Nec enim moratur causam sciscitando, vt doceamur rebus non agnitis etiā, sed mandato accepto, Deo & Ecclesiae praelatis morem gerere, Hebr. 13.

Accipit ergo Iesus panes. Vt authorem se miraculi comprobaret; vt contactu sui corporis omnia sanctificari doceret: & vt instruat se esse qui ait Gen. 1. Germinet terra herbam, &c. *Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Gratias agit, vt doceat cum gratiarum actione cibum sumendum, quod is sanctificetur per verbum Dei, vt ait Paulus, 1. Tim. 4. Item vt doceat non laborem humanum, sed Domini gratiam omnia multiplicare. Summatim, quod patri gratias agit, quod panes frangit, quod Apostolis distribuit; significat se eundem esse cum patre, à quo omne donum descendit, Iaco. 1. atque adeo omnia beneficia ex summi patris voluntate contingere, ac multiplicari gratiarum actione, ac fractione, quando scilicet in vsum pauperum partimur, Prouerb. 11. & 19. *Similiter & ex piscibus quantum volebant:* hoc nimirum per Apostolos.

2. Secundò, Exemplo Apostolorum veluti typo quodam *Praelatorum* docet pastores, concionatores, & Episcopos, quos scilicet *Ecclesia officium est non* Spiritus S. voluit regere Ecclesiam, quam acquisiuit Christus *animas, sed* sanguine suo, Act. 20. atq; etiā prodesse aut praesse, 1. Cor. 4. *etiam corpora* vel spiritu mansuetudinis vel virga supplicij, quomodo sci- *subditorum.* licet forma facti gregis ex animo etiam debeant rationē habere, non tantum sanæ doctrinae, Christi quæ corpus fidelibus

*Aurum habet
Ecclesia, non
ut seruet, sed
ut erogat.*

adminiftrandi, quibus fubditorum animi pascantur; sed etiã fubfidiorum corporalium. Idcirco enim, vt rectè monet D. Ambrosius 2. Offic. cap. 28. aurum habet Ecclesia, non vt feruet, sed vt erogat, & fubueniat neceffitatribus. Item 2. q. ca. 1. Gloria est, inquit, Epifcopi, pauperibus prouidere. Et Apoftolus Paulus Epifcopum hofpitalem eſſe debere commonet, 1. ad Timoth. 3. Tit. 1.

Quamquam hic de ratione doctrinæ potiffimum agatur, vt ea fit pura, fana, & Catholica, continens eum qui fecundum veritatem eſt fidelem fermonem, ad Tit. 1. qualem ſcilicet ipſe à Chriſto, Apoftolis, ſcripturis, & Eccleſiæ diſtinctionibus accepit. Huic officio, ſi (vt oportuit) non deſuiſſent proh dolor multi, non tantas vires iam obtinuiffent hæreſes & ſchiſmata, quæ miſerè Eccleſiã labefactant. Sed miſerebitur aliquando Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, eamq; eripiet è faucibus furum, latronum & mercenariorum, ſubſtitutis veris paſtoribus, qui famelicos paſcent verbo & exẽplo, Hiere. 3. ſi tamen quod bonarum ouium eſt, præſtent fideles, hoc eſt, obtemperent rectè imperantibus. Vt enim Chriſtum miſit pater, vt eſſet rex & ſacerdos: ita ipſe Apoftolos miſit cum plenitudine poteſtatis ligandi & ſoluendi, Ioan. 20. quos qui ſpreuerit, non hominem, ſed Deum ſpernit, 1. Theſſ. 4.

3. Tertio, Superfluitas fragmentorum demonſtrat bona per eleemoſynas erogata fidelibus augeri, & multiplicari. Licet enim ad miraculi confirmationem potiffimum voluerit Chriſtus fragmẽta ſuperreſſe, quia tamẽ omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio, altiùs paulò hic nos aſſurgere voluit, atque ad eò, ſi allegoriam ſpectemus, inſinuare ſe vnicum eſſe animarum paſtorem, qui ſcripturarum panes (quo ſaluantur animæ) nobis frangit, dũ ſcilicet aperit nobis ſenſum, vt intelligamus eas, Luc. 24. Vel (ſi ethica magis placet doctrina) ſignificat, quæ ſit eleemoſynæ, non ex triſtitia, vel ex neceſſitate, ſed hilari corde (vt monet Apoft. 2. Corinth. 9.) proficiſcentis, energia: nimirum eos qui non ex raptò aut illicitis, ſed cum Zachæo de propriis iuſtè partis eleemoſynas diſtribuunt, veram iuſticiam conſequi, abundare in omne opus bonum. Siquidem Deus ipſis panem ad manducandum præſtat, multiplicat ſemen, & auget incrementa iuſtitiæ, vt in omnibus locupletati abundant in omnem ſimplicitatem, 2. Corinth. 9. Vide B. Cyprianũ ſerm. de eleemoſyna.

*Paſtor animarum
Chriſtus panes ſcripturarum
nobis frangens.*

Eleemoſyna iuſta dicit reſponſaliter & ſpiritualiter.

Præſidentes Eccleſiæ pauperũ eleemoſynarij eſſe debent.

Quòd verò fragmenta apud Apoftolos eſſe vult, non obſcure quoque ſignificat, Epifcoporum, & eorum qui præſunt Eccleſiis, eſſe munus, vt eleemoſynarum ſint diſpenſatores, nec non pauperum, egenorum, & mendicorum ita

rationem

rationē habeant, vt sciant eos quoque ad se pertinere, Act. 6.

4 Quarto, Dum colligi fragmenta iubet, prodigalitem prohibet, & turpem parimoniam prohibet. Non minor est virtus, quā quærere parva tueri, ait poëta. Vult enim Deus nos reuerēter vti donis quæ nobis concedit, scilicet ad vsus vitæ necessarios, & ab ipso ordinatos. Vnde nec minima aspèrnanda ostendit, ne micæ quidem. Sic Tertull. lib. de corona militis, hunc Ecclesiæ morem assignat. Panis nostri, ait, aliquid decuti in terram anxie patimur. Grauius contra hoc præceptum peccant, cum prodigi, qui illicitè profundūt, turpiter helluantur, aleis, scortationibus, cōmestationibus substantiam omnem abliguriunt, more filij prodigi, Luc. 15. tum auari, qui prætexu parimonix argentum & aurum æruginè corrumpi sinunt, Jac. 5. vestes à tuncis todī patiuntur, imò genium suum defraudant miserè.

*Prodigalitas
prohibetur, et
indiscreta
parimonia.*

Solet enim subinde Deus hæc mala grauissimè punire, dū patitur Respublicas (alioqui florentissimas) imò quandoque vrbes & regna, inopia, fame, & bellis exhauriri: siquidem plerunque luxus comes sit egestas, vt auaritiæ & cupiditatis miseria & sordes, Isa. 5. Væ qui confurgitis manè ad sectandam ebrietatem, &c. Siquidem scriptura teste Eccles. 14. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia. Vide etiam Eccles. 10. *Vt autem impleti sunt*, ait Euangelista, multiplicatis nimirum eadem virtute panibus, qua costa Adæ ad formationē Eux, Genes. 2: & ex vno grano segetes, dixit discip. *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* vt nō phantasticè facti viderentur: vt nihil amitti in cleemosyna doceret: vt quæ de reliquiis mensarum instruantur omnes pauperes pascere. *Et collegerunt & implerunt 12. cophinas fragmentorum.* Vniuersique suus est cophinus, quia vniuscuiusque est & scripturæ fragmentis, & doctrinæ Domini reliquiis pauperem Christi gregem pascere. Item æqua omnibus superest portio, quia æqualem omnes in consecrando Christi corpore, & prædicandi verbi munere potestatem erant assecuturi.

Observandum maximè ex eo occurrit, quòd dum 5000. pascuntur quinq; panibus, nec panis ille diminuitur, rerundi Neochristianorum argumentum in augustissimum panem Eucharisticum: hoc scilicet, quòd aiunt, impossibile esse quin Christi corpus diminueretur, si omnes illud manducarēt. Dic porro impie & blaspheme sacramentarie: Num verè isti facti & nutriti sunt? An phantasticè & spiritualiter: nō autè te ipsa? Re ipsa sanè. Et tamen quid? Panis ne decreuit? Minimè vtique, cum duodecim cophini è reliquiis superferint. Pari quoque modo verè & re ipsa alimur corpore Christi, & id manducamus, nec tamè minuitur. Sumit vnus, sumūt mille, quantum

quantum isti tantum ille, nec sumptus absumitur, scribit B. Thomas Aquinas. Hoc enim consultò in hisce panibus miraculum Christus præmisit; & statim de pane Eucharistico disseruit; ut quod in vno, etiam & in altero fateare. Sed & habes 3. Reg. 17. hydriam farinæ & lecythum olei non defecisse viduæ, & filia & filius eius his quotidie alerentur.

Illi ergo homines cum vidissent signum quod fecerat Iesus, dicebant: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ad cò meliores sunt Scribis & Pharisæis, qui signa videntes, tantò abest ut Christum glorificarent, quòd eum & conuitiis prosciderunt, & in eum lapides iecerunt, Ioan. 8.

5 Quintò, Quòd factò miraculo fugit Christus, significat quantæ virtutis sit, opes, diuitias, & potentiam fugere, non quòd omninò mala sint, sunt enim bona Dei dona, ut ostendit D. August. epistola 89. non enim est potestas nisi à Deo, Rom. 13. Atque docere voluit Christus, se à patre non esse missum, ut armorum potentia, populi multitudine, & regio fastu politicam administrationem gubernaret (ut etiam adhuc somniât cæci Iudæi) sed ut fieret victima & sacrificium pro peccato, ut in cordibus fidelium dominaretur fide, spe, & charitate, quibus perfecta consistit iustitia & remissio peccatorum obtinetur per Christum, qui solus iustificat impium. Hæc enim longè sublimiora erant illis externis quæ admirari solet mundus. Atque ad hæc ut se venisse demonstraret Christus, ad crucem eum rapientibus vltro occurrit, Ioan. 18. & ad regnum vocantibus clanculum subduxit sese, ac fugit in desertum: ipso factò evidens exemplar exhibens his qui vices ipsius essent gesturi, atque demonstrans, quantum sit ambitio, superbia, & iactantia cauenda. Ea est enim industria dæmonis, ut noñt his artibus etiam optimas virtutes corrumpere. Quare hæc vitia semper omnibus piis sunt metuenda, & pro re nihili æstimanda, quæ maxima putantur in hoc mundo. Quærentibus gloriam in cælis mundi gloria fugienda est Humilitatis ergo decor amplectendus, Phil. 2. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. Si quempiam huius historiæ allegoria delectet, inquirat eam apud B. Hieronymum: Augustinum lib. 83. quæst. Bedam in Ioan. Thomam nostrum Aquinatem. Anselmum in Matth. Alcuinum, & Remigium.

EPILOGVS.

Habemus hoc Euangelio duo miracula, vel miraculum in miraculo, quia ex naturali sua clementia quinque millia hominum exiguo obsonio saturat Christus Iesus, & quòd eiusdem providentia supersuerint duodecim cophini.

Vsus miracu- Quorum precipuus vsus est, ut muniant nos contra sollicitudinem de victu, ut quæ

ut qui cibum corporis habent, sciant donum Dei esse, & agant gratias: & qui non habent, confidant se de manu Domini accepturos, Psal 103. Atque ob hanc rem, sicut miraculum de sanatione languidi confirmat eos qui infirmitate corporis laborant, sic hoc miraculum de quinque panibus confirmat eos, qui de victu solliciti sunt. Non enim est abbreviata manus Domini, ut salutare nequeat.

lorum huius
Euāgelij quis.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE
QVARTAE QVADRAGESI-
MAE, EPISTOLA.

Tunc venerunt duae mulieres meretrices ad Regem, steteruntque coram eo. 3. Reg. 3.
Etc. Finis Epistolae: & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

HISTORIA praesens hoc potissimum agit, ut regem Salomonem, filium verum Davidis, supra omnes reges extollat. Causa exaltationis eius praecipua erat oratio, nempe ea, qua cor docile intelligens, sapiensque Dominum Deum precabatur. Sancta oratio, & digna qua in Dei veniam confectum, unde eam exaudita vides, 3. Reg. 3. 2. Paral. 1. Hanc cordis sui a Deo acceptam sapientiam hic manifestat, iudicio suo prudenti, quo discreuit iurgium meretricum. Continet autem haec historia tria.

Oratio Salomonis sancta & digna qua Dominum exoret.

1. Primò, Improbam duarum meretricum contentionem infantis viui causa. Quarum una alteram infanticidij accusat coram rege Salomone, quem admirabili sapientia, iudicio acutissimo, & iustitia summa Deus praeceteris terrae regibus orabat, ut merito in tam iuuenili aetate. (12. enim tantum erat annorum) admiranda fuerit eius prudentia, utpote non humana industria parta, sed diuinitus concessa. Sic principibus incumbit (quorum est aliis praesse, atque per hoc prodesse) sapientiam unice Dominum Deum orare, eò quòd haec eos potissimum deceat & ornet, Psal. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Rex quippe insipiens per insipientiam conturbat omnia. Vae terrae cuius princeps puer est, hoc est, ignauus, rudis, & socors est.

Principes praecipue Dominum sapientiam precari debent.

Voluit enim Deus hanc typum gerere Christi, qui suos diuinitatis potentia, virtute verbi, & scuto fidei tum defenderet ab aduersariis potestatibus, tum discordes variis opinionibus ad fidei concordiam redigeret, Ioan. 10. Etenim quam discordibus sententiis ante Christi aduentum mundus laborarit, ex philosophorum vel solis nominibus intelligi potest, dum ab Academicis dissentiunt Stoici: à Stoicis Epicurei: ab Epicureis Platonici, contendentes de vera felicitate, quam ne ipsi quidem intellexerunt. Quae contentio ante

Typus Christi Salomon.

ante dissolui non potuit, quàm verus Salomon Christus, qui factus est nobis à Deo patre sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. in quibus est hominis vera felicitas, aduenit: qui non humana prudentia, sed virtute verbi contentionem dissoluit.

D. Hieronymus ad Rufinum.

Patres hoc dissidium mulierum de infante viuo & mortuo referunt ad altercationem synagogæ & Ecclesiæ, quæ vero Salomone præfente, hoc est Christo iam reuelato, orta est de obseruatione legalium cæremoniarum, volendo infantem viuum, gratiam scilicet noui testamenti, diuidi admixtione legalium.

Fatale fuit Salomonè primò meretrici causam iudicasse.

Dicunt quidam, fatale fuisse quòd Salomon primum sapientiæ suæ specimen in meretricum causa declarauit, quòd per meretricum fallacias eum decipiendum nouit æternus Deus rex cælestis, acceptamque sapientiam per mulierum esset amissurus fraudulentiam. Nam cum cæteris Dei donis etiam sapientiam ab homine auferunt illecebræ mulierum: Apostatate enim faciunt sapientes, ait scriptura, Eccles. 19. 2. Secundò, Defensionem continet vnus accusatæ, quæ non constat aliqua euidenti probatione, testium productione, aut circumstantiarum allegatione, sed sola facti negatione cum iniuriæ illatione. Respondet autem defensio accusationi, quæ nuda narratione constabat, vt difficillimum fuerit verum deprehendere, vtrinque saltem vel verisimili probatione deficiente. Quæ pulchrè nobis refert Stoicorum, Academicorum, Platoniorum, Peripateticorum, & Epicureorum de summo bono disputationes; quæ licet lectoribus videantur variis argumentis, probationibus & rationibus confirmari; tamen si ad rationis & fidei limam exigas, vix aliud quàm nudam inuenias sententiæ assertionem, addita iniuriarum cõgerie in eos qui cõtrariam sequuntur sententiam, quod vnus Aristotelis scripta abundè testantur.

Altercatio meretricum quid referat.

Atque eodem planè passu pro infante viuo, veritate scilicet fidei, & vero scripturarum intellectu, incedunt nostri temporis hæretici; non est ita, mentiris tu, & tu mentiris, meretricum more percrepâtes; dum Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ; Suensfeldiani, Adiaphoristæ & Sacramentarij non minus inter se, quàm cum Catholicis pugnant, iniuriarum plaustris sese mutuò onerantes, dum alter alteri plusquam hæreticus est, & infanticidij sese mutuò accusant, falsitatis nimirum scripturarum. Atque eò periculosius est hoc certamen, quòd veri iudicis tribunal vereantur adire: sed contra ordinem iuris seipsos, de quo est controuersia, id est, scriptura nullum prorsus iudicem statuunt, vt Lutherus, qui sese velut orbis aristarchū statuit, Calvinus & Melancthon, qui

Hæretici meretricum more sibi mutuo iniuriantur.

qui semper ad scripturas appellant; & Suensfeldiani, & Enthoufiatae, qui vnumquenque suae conscientiae esse relinquendum, aut suis reuelationibus, docent. Vnde quemadmodum sapiens rex neutri fidem adhibuit, quod sciret nihil fidei esse in meretrice: ita & Catholici nunquam fidem dabunt haereticis, quibus tanquam perfidis nullo pacto fidentum est, sed vitandi sunt, quia peruersi, Tit. 3. Rom. 16.

*Haereticis, vii
& meretricibus, non est
fidentum.*

Obserua etiam hic ex litera, peccatum aliud, aliud trudere; & esse peccata catenata, atque meretricium peccatis pluribus esse plenum. Pellices primò praecepta parentum & sacerdotum non audiunt, deinde cum obedientia etiam pudorem ponunt. Meretrix omnis effrons. Impudicitiam sequitur crudelitas; meretrices caedes concitant & bella. Helena quanta caedum causa fuit? Haec meretrix pignoris sui curam non habuit, quia animam humanam tanquam vitalem bestiae animam duxit: inde factum est, quod ipsum suum pignus suppresserit. Demum veritati, quae Deus est, pugnavit. Superos & inferos Deos iurasset, si iusiurandum illi impositum esset. Quid non ausit talis mulier frontis perfritae? Quam non malitiam tale scortum inuenit? Hodie fouentur in Ecclesiae Christi exitium. Leges parcunt scortis, & prostibula ferunt in totius Reipublicae interniciem, in quibus habent suas artes nostrae veneres, & suas libidinum doctrinas. Disciplina huiusmodi meretriciae academias hodie occupant, imò cum forum tum chorum. Prostitutas mirum hodie esset concipere, parere, & infantes educare. Sed quid? Nunquid non dicitur aequè omnibus: Concipies & in dolore paries, &c. Maximè. Quare ergò non concipiunt, & non pariunt tot iuuentae? Nunquid non quia norunt artes, quas dirae tradunt nouercae, incantatrices? Certè si officium mulierum hoc pariendi & educandi proles meretricibus adhuc incumberet, minus prostibulorum haberemus. Viderit Magistratus, quid tandem iudici viuorum & mortuorum excuset, tale facinus videns & dissimulans. Catholicus contra meretricium videat Deut. 23. Prou. 7. 1. Cor. 6. Apoc. 21. Felix vetus Ecclesia praedicatur, quae meretrices vocauit ad poenitentiam, in qua floruerunt Magdalena, Aphra, Pelagia, Maria Aegyptiaca, & hoc genus aliarum. At poenitentes similes hodie ridentur, atque adeò ad vomitum reuocantur, quia cœnobia sanctimonialium deuantantur. Sed vix illis per quos scandalum venit, Matth. 18.

*Meretricium
peccatis est
plenum.*

*Meretrices
quare hodie
neque concipiunt
neque pariunt.*

3 Tertiò, Iudicium Salomonis continet, quo per inhabitantem spiritum sapientiae potuit veram infantis viui matrem ex ipso naturae instinctu deprehendere. Naturam enim intrinsecè ligebat infanticidij crudelitatem, sanguinis materni effusio-

ncm,

*Natura nihil
verius.*

nem, & prolis propriæ eedem abhorreere. Natura insuper nihil verius esse animaduertit, quam etiam si furca repellas, vique reuertitur. Ideò certius quàm vel ex testibus (quos sæpe falsum depromere contingit) vel ex circumstantiis (quæ fallere subinde solent) posset, iudicium profert. Prolata namq; de occidendo infante viuo sententia, veræ matris commota sunt viscera, vt malit dulcissimo suo carere pignore, quàm tantum nefas aspicere, vt contra quæ sine partus dolore alienæ prolis beneficio frui volebat, stimulos non experta naturæ, ratam petit iudicis sententiam; sed falsi conuicta, causa cadit, dum iniquè petit. Verbum hoc: *Neque mihi, neque tibi, &c.* frequens est in ore omnium reproborum, potissimum inuidorum. Tritum prouerbiū est: *Neque mihi, neque tibi, sed feli.* Citiùs murilego inuidus pernam dederit, quàm fratri inuiso. Vulpes Aelopica in hunc sensum ait: *Cauda sua se terram verrere malle, quàm partem eius simiæ ad tegendas nates dare.* Patet item hic, parentes veros non esse, qui salute filiorum suorum minus mouentur. Sunt verò hi, qui educationem & religionem floccipendunt, digni sanè qui, iuxta atque filij parentibus suis immorigeri, in culpa culco submergantur.

*Inuidia vox
prouerbialis.*

Vtinam nunc tandem contententibus hæreticis, schismaticis, & contentiosis cum Catholicis de summa religionis Christianæ, id est, veritate fidei & scripturarum, in qua salutis nostræ cardo versatur, adsit verus, ille Salomon Christus, qui spiritu oris sui veram viui infantis matrem prodat, fraudes hæreticorum, perfidia sua infantem opprimentium: eam nempe quæ secundum pietatem est veram doctrinam derogat, vt licet sopita, omnes vnâ agnoscant Ecclesiam Christi sponsam, quondam quidem meretricem, dum idololatriæ seruiret, nunc verò mundatam in sanguine Christi: cui & infantem viuum dedit, dum Apostolis aperuit sensum, vt intelligerent scripturas. Errat enim, quisquis alibi quàm in vera Christi Ecclesia (quæ columna & firmamentum est veritatis) verum scripturarum intellectum inuenire se posse, credit. In hac est spiritus ille, qui docet omnem veritatem: quem qui in Ecclesia esse negauerit, aliud nihil quàm vt improba hæc meretrix dissecari infantem viuum petit, dum pro suo arbitratu impiè scripturas deprauat, vt solent indocti & instabiles ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3. Quo sic, vt iusto Dei iudicio, quemadmodum aliena hæc meretrix ab infante viuo, ita illi à vero excidant scripturarum intellectu, excæcante eos malitia ipsorum.

*Intellectus ve-
rus scriptura-
rum nusquam
inuenitur
quàm in Ec-
clesia.*

E P I L O G V S.

*Salomonis Canonica scriptura historia, primo pro tribunali sedentis, & cau-
sam*

Sam. dicitur meretricum audientis: ligantes persona quidem viles, haudquaquam foret ex filiabus Israel (alioqui utraque rea mortis iuxta legem excitisset) sed causa grauis & perplexa, in qua Salomonis sapientia mixta est declarata. Per allegoriam altera harum meretricum synagoga est, vel haereticorum conciliabulum, altera est Ecclesia.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE
QUARTAE QUADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Et prope erat Pascha Iudeorum, & ascendit Iesus Hierosolimam, & inuenit in templo vendentes oves & boues, &c. Finis Euangelij: ipse enim sciebat quid esset in homine. Ioan. 2.

Hoc Euangelium magnum Christi zelum, quem erga eos qui pietatis & religionis praetextu impunè peccabant, templumque sui cultus in theatrum, siue, vt hic textus in Græco habet, in emporium vertebant, ostendit. Non enim est dissimulandum, neque tolerandum, omnia abire in auri sacrum aucupium. Horrèdum dictum quod hodie etiam trito proverbio dicitur: Propter habere petit, repetit quoque templa sacerdos. Quæstus hodie & pietatis differentia nulla est. Imò hæc malè audit, ille adoratur. Et quod magis dolendum, pauci sunt qui de abusu reformatione cogitant. Ecclesia Dei deberet esse placatrix Dei; sed quid nunc est aliud quam exacerbatrix Dei? Luctamur hereticis verbis, & consentimus vita: culpamus quòd parum tribuant operibus bonis, & nos nihil minus curamus quam opera bona. Pompam chori theatralè videmus, starum prælatorum in tyrannidem versum, sacerdotia venalitia facta, imagines & ceras fumosas sibi ius Ecclesiæ venditare, hæc & hoc genus innumeros abusus. Præclaram sanè passioni Christi reddimus vicissitudinem, qui quoniam morte ipsius redemptionem accepimus, vitam turpissimam repensamus. Cesset vt ira Dei, caput vnum quisque reperget. Audiamus Euangelistam. Prope erat, inquit, Pascha Iudeorum. Lege siquidem præcipiebatur Pascha celebrari singulis annis, eo in loco, quem nomini & habitationi suæ elegisset Dominus, vt patet Deuter. 16. Idque in memoriam facti præteriti & futuri, Præteriti quidem, scilicet, transitus Domini, aut Angeli, qui vna nocte per Aegyptum primogenita occiderat, Exod. 12. Futuri verò, nimirum successuri tandem veri agni immaculati Iesu Christi immolationis pro peccatis nostris: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, ait Apostolus, 1. Cor. 5. Quod late in Ioannè tomo 10. examinat Origen. Et nos sanè cum Paschalis solènnitas aduenerit, eam deuotis animis celebrare

Abusum reformatio paucis cordis est.

debemus. Quemadmodum enim festiuitates Imperatoriae celebrantur, in quibus victorias & trophæa cōtra hostes erexit, saluauit gentes, ciuitates acquisiuit: sic & Christi celebrat Ecclesia, in quibus nostrū genus saluauit, & nostram captiuitatem conquisiuit, & hæreditatem ex gentibus sibi metipsis regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis constituit, 1. Petr. 2. Hæc Hesyechius libr. 6. in Leuit. cap. 23. Non abs re verò addidit, *Iudæorum*, ait Origen. licet & dies & festiuitas, & Pascha Domini aliis in locis dicatur: tum scilicet cū institueretur. Institutum namque integrum erat, sed à Iudæis corrumpebatur, literam tantum non sensum: corticem non medullam: corpus non spiritum cernentibus, sed & in cordis immunditia perficientibus, Isa. 1. Non enim sua esse dicit Dominus, ea quæ à peccatoribus perficiuntur. Vt igitur populus qui non peccat, Dei est: qui autem peccat, non iam eius dicitur. Sic dies festi cū eos Dominus odit, peccatorum sunt festi dies: cū autem à Deo lege sanciantur, Domini esse dicuntur. Discite igitur omnes ritè festa celebrare. Nam pauperes etiam homines, qui dies festos amant, quum lubenti ac parato animo, tum habitu cultuque splendido, & nonnunquam à notis & propinquis corrogato, conuentus ac celeberritates frequentant; efficiuntque vt nihil desit sibi ad præsentem vsum, ait Gregor. Nyssen. homil. de festo Paschæ. Quantò igitur purioribus animis festiuitates celebrandæ sunt, ne Dominus si quem indignum inspexerit, dicat: Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? Matth. 22.

Et ascendit Iesus Hierosolymam. Hoc præfatur Euangelista, vt viam faciat ad historiam: celebriorem eam conditione temporis, quo secundissima Hierosolymis conueniebat multitudo, redditurus. Obseruat hîc Beda Dominum Hierusalem aduenientem, continuò templum oraturum adiisse: eoque facto exemplum dedisse, vt quocunque properemus, domum Dei primò ingrediamur, Dominum deprecaturi. Item Christi exemplo hîc discere oportet festis diebus in templum & fidelium congregationem venire. Ideo enim sanctorum solemnitates, & dies Domini otium habent, & à terreno vacant negotio: vt paratior simus ad diuinum cultum, cū non habeamus quod nos inde retardet incommodum. Inde Dominus dicit Psal. 45. Vacate & videte quoniam ego sum Dominus. August. in id Psalmi.

Et inuenit in templo vendentes boues & oves, & columbas, & nummularios sedentes. Reprehenduntur hîc Iudæi (ait Cyrillus) quasi legum nullam habeant curam, quæ vetat dare fratri pecuniam ad vsuram, Deut. 24: & auaritiæ maximè studeant. Nam cum
variis

variis modis purificari secundum legem oporteret templum ingressuros, argentarii, cæteri que huiusmodi lucro & scœnori additi, templum impleuerat: adeò vt qui hæc prohibere debuerant ne fierent, imperare vt fierent viderentur.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Hoc factò indicans nihil sacrum in Ecclesia venundari debere. Gratis accepistis, inquit, gratis date, Matth. 10. Si ergo eos eiecit de templo qui id vendebant, quòd tandem in eo offerretur, quid si ebriosos inueniret? ait August. tract. 10. in Ioã. Paulus quoque, 1. ad Timoth. 3. vinolentum ab Episcopatu: Imò can. 42. & 43. Apost. presbyterum & diaconum ebriosum excommunicat. Cauent ergo, inquit Hieron. ad Nepotianum de vita clericorum, tom. 1. *Ones quoque & bones, sacrificiis scilicet vltatissimas, vt translatione & sacerdotij, & sacrificij doceat abolendam. Figuras nimirum eiicit, vt ingrediat veritas, Christus scilicet ipse, cuius hæc corporis vmbra fuerunt, 1. Ioã. 4. & 2. Et ipse est oblatio pro peccatis nostris. Ecce verò qui modò Samaritanus, modò dæmoniacus & potator vini dictus tacuerat in propriis, paternam injuriam ferre non potuit, vt nos patientes doceat in propriis opprobriis & iniuriis: non autem in his quæ Deo inferuntur. August. Hieron. Cyrillus. At verò exclamare libet. O mores huius sæculi, præsulum, regum, & magnatum, longè Christo dissimiles! Atroces quippè illi in vindicandis leuibz sibi illatis iniuriis, furibundi & immisericordes: In iis autem quæ Deo factæ sunt, pigri, remissi & somnolenti sunt prorsus: & vtinam ne nonnulli earum quoque sint fautores, apud quos religio Christiana nullius videtur esse momenti. Vtinam audiant Dominum dicentem: Qui spernunt me, erunt ignobiles.*

Et nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Quæstuarios doctores hinc mordet Theophylactus. Si quis æs & nummum, hoc est sermonem & dogma vendat, inquit, & fortassis cùm sit doctor, non annuntiat verbum, nisi lucrum habeat: etiam eius mēsam subuertit Dominus, illum quidem à principatu deiiciens, & alium in doctrinæ sedem collocans. Quorsum enim nummularij in Ecclesia Dei? Gratis venundati estis, & sine argēto redimemini. An non maledicitur Simon, Act. 8. cùm gratiam Dei emere pecunia voluit? Plus dicit Bernard. de hoc emporij genere in templo legali, ad Eugenium Papam, taxans quorundam nundinationes in Ecclesia. Circumit, inquit, sedulus explorator, blanditur, obsequitur, manibus ac pedibus reptat, si quomodo valeat se ingerere in patrimonium crucifixi. Subuertendo mensas, & æs nummulariorum dispergendo, aufert ab eis Deus vna hora, quicquid iniuste multo tempore lucrati fuerant: sic enim malè parata,

malè dilabūtur: nec de malè acquisitis gaudebit tertius heres. Iuxta quosdam in Anabaptistas militat hoc Christi factū: negant enim vi agendum contra fidei corruptores, sed orandos eos vōlunt. Cur verò non mansuetè mercatores orauit Christus, vt boues, oues, & pecuniam è templo auferret? Arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in ignem mitteretur, Matth. 3. Post hanc præfationem, Euangelium præfens facit quatuor.

Episcoporum
& pastorum
munus quod
sit.

1. Primò, Docet quòdam præcipuum esse debeat munus Episcoporum & Pastorum, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiã, quam acquisiuit sanguine suo, Act. 20. Ephes. 4. nempe flagello è funiculis factò abigere vendentes, ementes, & numularios è templo, atque etiam boues, oues, columbas, & æs eicere, ne verificetur de nobis quod per Prophetam Dominus dixit, Hier. 11. Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa. Nullus enim periculosior morbus Ecclesiã inuadere potest, quàm qui pietatis & religionis prætextu Ecclesiam vastat. Ordinauerant sacerdotes cupiditate ducti (quanquam diuini cultus promotionem prætenderent) vt talia ad manum essent venientibus è longinquo ad offerendum, quò ipsi maioris commodi ex oblati participes fierent. Non minus enim eam offendit improba multorum (qui quæstum æstimant esse pietatem) hypocrisis, auaritia, & simonia, quàm hæresis, lasciuia & ebrietas. Ex vna enim radice prauæ concupiscentiæ, illa æquè atque hæc nascitur; nec minus turbarum pariunt illa, quàm hæc, adeò vt omnis præsentis in Ecclesia tragœdiæ causa sit impia Simoniacorum, & hypocritarum apertos errores defendentium proteruitia. Hos certè non decet Episcopos & pastores in spiritu lenitatis & mansuetudinis excipere, vt monet Apostolus Galat. 6. sed vt hoc factò suo docet Christus, magna seueritate coërcere: sed heu, Dominus conqueritur, Ezech. 13. Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Donec enim in iis quæ ad morum reformationem attinent, officio suo defuerint, ij quorum interest, scilicet Episcopi & pastores, nunquam huius mali, quo miserè iactatur Ecclesia, amolitionem sperate licebit. Nec aliquando speranda est vera Ecclesiæ reformatio, donec è medio tollantur hæ capitales pestes auaritia & fastus, è quibus omnis nascitur error & falsitas, 1. Tim. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, &c. Et quia hæc iniquitas vt plurimum egreditur à senioribus, qui videntur regere populum, vult Christus eam primùm ante omnia in ipsis corrigi, iuxta illud Ezech. 9. A sanctuario meo incipite, &c.

Simoniacorū
& hypocritarū
proteruitia
omnis in Ec-
clesia tragæ-
diæ causa.

Hac

Hac imagine significabat Christus sacerdotes Iudæorum ob auariciam eiiciendos, & eos qui templum violant Euangelicum, 1. Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Sic qui malis actibus & aliis vitiis enormibus prophanant Ecclesiam, eiiciendi sunt, 1. Corinth. 3.

Rigore eiectionis quid significet Christus.

2. Secundo, docet non satis esse ad veram Ecclesiæ reformationem, si impetu quodam feraris ad scædalarum ex Ecclesia extirpationem, sed zelum esse condiendum scientia & verbo Dei, ne pro antidoto venenum porrigas: Christus enim non tantum flagellis & verberibus rem agit, sed eam ratione & verbo Dei munit. Sola enim auctoritas si duobus hisce fulcris destituatur, non solum non corrigit, sed magis destruet. Ministrorum autem Ecclesiæ auctoritatem in ædificationem vult esse Paulus, non in destructionem, 2. Cor. 13. Christus itaque nummulariorum effuso ære, & mensis prostratis, dixit iis qui columbas vendebant, id est, qui necessitate potius quam malitia peccabant; quales erant hi pauperes (taliū enim erant merces columbæ, sicut & ipsorum peculiaria sacrificia) *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Licet enim prima fronte videantur spectare ad Dei cultum & gloriam promouendam, ne cui scilicet deesse possint ea quæ in sacrificia, aut corban offerant; vult tamen Christus omnia ea auferri, ex quibus scandali occasio nasci posset: non sunt enim faciendâ mala, vt inde veniant bona. Spectabant enim hi non Dei gloriam, sed suum quæstum & ventrem. Quos vrinam hodie in multis non imitemur, vt ventris potius quam Dei rationem habeamus; quos grauitè perstringit, Hierem. 11. cap. Quid est, inquit, quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Hi certè mihi videntur (vt de Simoniacis, quorum morbus longè est pestilentissimus Ecclesiæ, nihil dicam) qui cum pietatem & veram religionem sese defendere iactitant, omnia tamè ea quæ ad Dei cultum sunt instituta, in suum quæstum conuertunt: non vasa tantum sacra, taceo interim de verbo Euangelij, de operibus pietatis, de precibus, de sacramentis, aliisq; Spiritus S. donis, sed etiam quoad possunt, loca ipsa in vsus prophanos commutant. Vide Hierem. 6. Ezech. 34. Quid est, si hoc non est facere domum patris cælestis, domum negotiationis? Nec mirum, habent enim hi reprobos authores. Giezi quidem lepra Naaman infectus, pater est vendentium spiritualia pro temporalibus, 4. Reg. 5. Simon verò magus pater est emetium spiritualia pecuniis, Actor. 8. Vide, quæso, si hæc non rectius in nostri temporis hæreti-

Zelus condidus scientia & verbo Dei.

Mala nõ sunt faciendâ vt inde eueniant bona.

Facinora hereticorum grauiora sunt quam Ecclesiasticorum scandala.

cos, quam Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ ministros conueniant, qui licet iniquis pensionibus, beneficiorum pluralitatibus, cōcubinato (quæ sanè grauissima sunt in Ecclesia scandala) illam defœderent, longè tamè grauiora talium hæreticorum sunt facinora, qui etiam in muneribus docēt, pro muneribus (si quæ habeant Sacramenta) administrant, sacras ades violant, monasteria diripiunt & deuaſtāt, sacra vasa furātur, eisque ad nefandissimum vsu abutuntur, Christos Domini tangunt, & in prophetis eius malignantur, Psalm. 104. Domum patris dicens, apertè docet se filium esse Dei, etiam secundum naturam. Non enim ait patris nostri, sed patris mei. Hanc prohibet facere domū negotiationis, cum ad hoc instituta sit, vt in ea congregetur populus, & Deo supplicet pro necessitatibus suis, 2. Paralip. 8. & 3. Reg. 8. Videat igitur vnusquisque nostrum, vt reuerenter domum Dei accedat: vt forte, si immodestiores fuerimus, dicat rursus Apostolus: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendū? etiam dixerit, & ad garrendum aut deambulandum? aut Dei Ecclesiam contempnitis? 1. Corinth. 11.

Veritas de cōseruanda re- rum & locorum religione confirmatur.

3. Tertiò, Cùm domum patris sui non vult domum negotiationis fieri, manifestè Anabaptistarum, Suencfeldianorū, aliorumque hæreticorum errores confutat, atque Catholicæ Ecclesiæ veritatem de cōseruanda rerum & locorum religione confirmat, nec peccare eos qui loca sacra orandi causa accedunt, modò absit superstitio, & falsa opinio, quam nos æquè atque illi detestamur, qua scilicet putent fideles, Deum sic alicui loco alligatum, vt alibi exaudire nequeat, Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam, Act. 3. Non enim deterior est conditio Christianorum, quàm fuerit Iudæorum. Illos ergo si in templo potuit audire orantes, cur non & nos poterit? Seruetur ergo templis suis honos; vult enim in illis orari Deus, verbum suum doceri, sacramenta fidelibus administrari, eaq; quæ ad religionē spectant, tractari. Nemo ergo aliquid indecorū aut indecens in ipsa orationis domo agat, vbi corporis Christi sacro sancta consecrantur mysteria, vbi angelorum & ipsius Dei præsentia esse nō dubitatur, per quam nec ipse Christus permisit quenquam vas aliquod transferre, Marc. 11. Si quis enim templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: quod licet de spiritali templo Apostolus intelligat, tamen Corinthios grauius obiurgat, quòd in Ecclesia aut ebrij, aut ad ebrietatem conuenirent, 1. Cor. 11. Domum quippe Dei decet sanctitudo.

Templis suis honos seruari debes.

Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est, Psalm. 68: aut tunc cùm à Domino fieret, quod illis forsan in ore esset frequens Psaltes,

Psalmes, indies ad maius fidei robur vndique rebus singulis scripturam conferentes: aut post resurrectionem, tum maxime cum accepto Spiritu s. Ioan. 20. ad intelligentiam scripturarum: & experimento adducti in fidem mortis & resurrectionis Christi, hæc eius verba cum prophetiis contulerunt. Vnde Chrysoft. homil. 29. in Genes. noscens scripturarum cognitionem profuisse patribus nostris, ritè monebat suos vt lectioni & auditui illarum diligenter insisterent, lucrum hoc ex eo emanaturum declarans, linguam scilicet reformari in melius, vt puriora loquatur: animam hinc velut alis eleuari, & illuminari solis iustitiæ splendore: interim quoque à carnis illecebris liberari: & vt corpus cibo, ita animam verbo pasci. Huc igitur venite frequentes, & vt Apostoli, ita & vos Christus facta cum antiquis conferre præconis, & quæ vobis factu necessaria sunt intelligite; quia scriptum est in præfato Psal. qui typum habet passionis Christi, & vehementem Iudæis à Deo imprecatur ultionem, quòd in escam eius fel dederint, & in siti cum aceto potauerint.

Zelus domus tue comedit me. hoc est, iuxta Hugonem, Vehemens amor Ecclesiæ construendæ metotum sibi vendicauit. Augustinus & Beda hinc nos instruunt pro domo Domini zelari. Si viderimus fratrem (ait Beda) qui ad Dei domum pertinet, superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati seruientem, si luxuria eneruatum, si iracundia turbidum, si alij cuique vitio substratum, studeamus inquatum facultas suppetit, castigare. Et si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis dolore sustinere: & maxime in ipsa domo orationis, vbi corpus Dei consecratur, vbi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram, fraternamque orationem impediat, agamus. Augustinus verò, Amicus, inquit, peruersi aliquid agit, ad moneatur leniter; vxor est, seuerissime frenetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur.

Zelus sumitur in bonam & in malam partem. Zelus aliquando sumitur pro ardentiore amoris affectu inter virum & vxorem: quomodo Dominus se zelotè vocat, vt qui maximo charitatis affectu nos sibi despondisse videatur. Est item zelus pro liuore, de quo Cyprian. sermonem edidit, in quo Abel iustum Cain zelat iniustus, inquit, dum bonum malus inuidia & liuore persequitur. Est & zelus falsus, qualis hæreticorum prætextentium verum Dei cultum, ad securè patranda homicidia, sacrilegia, & cætera huiusmodi. Talis fuit & Iudæorum: qui vt liberius Christi sanguinem fundarent, debet mori, aiunt, quia filium Dei se fecit: legem obtenderunt, quasi eius acerrimi vindices. Zelamus item eos

quos pluris facimus. Sic pro Mose zelabat Iosue, Num. 11: pro Ioanne eius discipuli, Ioan. 3: Corinthij pro pseudoapostolis, 1. Corinth. 1. Zelus Dei etiam bifarius est. Ita enim aliquando cæcus est, vt pro eo conseruando zeleter aliquando quod Deo non placet: quem retorquet in Iudæos Paulus Rom. 10. Zelum, inquit, habent, sed non secundum scientiã. In quem locum Origen. non multum prodest, inquit, habere zelum Dei, & non habere scientiam. Sic non secundum scientiam zelati sunt sacrilegi Iudæi. Alius zelus est verus & rectus, summe Deo placens: nam ex feruore sancto procedit pro veritatis defensione; qualis hic fuit zelus Christi.

Zelus hic Christi pro domus Dei munditia & sanctitate, cuius recordabatur discipuli, prædictus fuit à propheta Dauid, Psal. 68. Et accipitur hic in bonam partem. Est enim zelus feruor quidam, quo mens reiecto humano timore pro defensione veritatis acceditur, & cõtra vitia & abusus excandescit, quo semper est uauerunt sancti prophete & amici Dei, videntes ex summis meritis facta esse atrocissima crimina, & Ecclesiã scãdalis defœdatã. Hoc zelo Phinees accensus, Istraëlitam cum scorto Madianitide transfodiens, iram Domini placauit, Num. 25. Sic Helias, 3. Reg. 19. Zelo zelatus sum, inquit, pro Domino Deo exercituũ, quia dereliquerunt Deum Istraël. Sic Matathias, 1. Mach. 2. vidit (Iudæum immolantem diis) & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum leges, & insiliens, trucidauit eum super aram, Psal. 37. Zelauit super iniquos, pacem peccatorum videntis. Item. Psal. 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliui sunt verba tua inimici mei. Hoc malè quoque Christi exẽplo habere deberet omnes, si quando domus Dei seu materialis, seu spiritualis contemnitur, si diripitur, si scãdis negotiationibus contaminatur. Sed proh dolor, hodie pauci sunt, qui zelo Dei tali ardenti æstuent; frigemus hodie ferme omnes. Multi Heli sunt imitatores, 1. Reg. 2. pauci verò Christi, prophetarũ & Apostolorum emulatores. Quis scandalizatur, ait Apost. & ego non vror? 2. Cor. 11. Audiat S. Augustinus super Ioannem tract. 10. Fratres, ait, vnusquisque Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat: gemit si excutitur de arca granum: sustinet paleam, vt intret in horreũ cum palea fuerit separata, &c. Et mox infra: Vides fratrem currere ad theatrum, & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet: prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes: quibus potes, blãdire, nolĩ quiescere.

*Zelus quid sit.
Alcuius.*

*Zelus Dei
hodie in paucis
æstuat.*

Zelus S. Augustini & Bernardi.

quiescere. Itē: Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrastis estis à Christo. Post B. August. audiamus & hac de re S. Bernardum in epist. ad curiam Roman. Vrimur assidue, dico vobis, vrimur grauius nimis, ita vt nos tædeat etiam viuere. In domo Dei videmus horrēda: & quia corrigere nos non possumus, saltem suggerimus his ad quos spectat. Si quidem emendauerint, bene: sin minus, nos animas nostras liberauerimus, vos excusationem non habetis de peccato. Idem S. Bernard. ad Abbatem de Buzείο: Non quiescit affectus, donec sequatur effectus: nō sedabitur dolor, non cessabit lachrymæ, &c. Idē ad curiā Rom. Quis mihi det, antequā moriar, Ecclesiā Dei videre, sicut in diebus antiquis? Et S. Hilari^{us} super Psal. 114. de zelo dicit: Zelo Dei irascitur, quicumque Christianū ieiunij die luxuriantē conuiuuii viderit. Hac in re vtinam nunquam apitij p̄lari suos subditos miserē & indignis modis torqueant, Rom. 14. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum, &c.

4 Quartò, Quam sint ex hac Christi seueritate secuti euentus dispares. Nam excæcati propria malitia Pharisæi, non contenti ea actione, quæ, Hieronymo teste, omnia penē miracula superat, qua se solum tantæ obiecit turbæ, elucescente nimirum radio diuinitatis, qui impios percellebat, & in fugam vertit: petūt à Christo signum & miraculum, quo scilicet demonstraret hanc functionem sibi à Deo patre concessam: quemadmodum Moses, Gedeon, Phinees signis suam uocationem diuinitus confirmarunt. Quod signum, inquit Iudæi, ostendis nobis, quia hæc facis? O summam dementiam (ait Chrysof. homil. 22. in Ioannem) quoniam signo opus erat, cum malefacta corripere, & Dei domū tanta purgaret ignominia? Zelus enim ille pro domus Dei honore maximū fuit virtutis signum. Illi prophetiæ non meminerunt, sed signum quærent dolētes turpe lucrū auferri: & vt eum ab incepto auertant, ad miraculum inuitant. Christus autem cum indignos eos aperto aliquo miraculo iudicaret, quòd sciret eos calumniaturos quicquid faceret, signum eis inpresentiarū non ostendit: Nam quemadmodum omnibus qui benè petunt, facile Deus cuncta largitur, sic iis qui tentantes postulant, non modò nihil præstat, verum etiam quasi malignos aspernatur; sicut alio loco vocat eos generationem adulterā, Matth. 12. sed proponit illis sub obscuro ænigmate suā passionem & mortem, quam illi erant intētaturi, ac denique resurrectionem, quam ex diuinitate sua reciperet, propter nostram iustificationem, Rom. 4. Soluite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Vt antea cum signa peterent, dixit: Generationis praua & adultera signum quærit, & signum non datur

Ænigmaticè
Christus Iudeis respondit.

bitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ: ita & nunc idem signum effert, mortis nimirum suæ triduanæ, & sequentis resurrectionis; idque non apertis verbis sed obscuris. Et rectè in ænigmate respondit porcis margaritam tam pretiosam conculcaturis. Non autem ad cruentam eadem adhortatur, sed quod facturos nouit, ad utilitatem eorum potius, siquidem sensus habuissent, subaperit. *Soluite*, non imperantis est, sed cedentis volentibus eum occidere. Oblatus est quia ipse uoluit, q. d. Permittam ut tandem soluatis. Templi nomine corpus suum intelligit, ut interpretatur Ioannes cap. 1. quod in eo Deus habitat: quod sacratum sit: quod in eo sese offerat Patri: & in eo ut sacerdos in templo, pro nostris exoret delictis, Hebr. 7. & 9. 1. Ioan. 2. Erat enim verum templum, dignissimum, & sacrarium diuinitatis sanctissimum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & in ipso omnes thesauri sapientiæ sunt reconditi, Collos. 2. Hoc suum corpus excitauit, quod occidendo Iudæi soluerant. Vnum igitur Iudæorum, alterum Christi opus fuit. Datur ergo signum incredulis rememorationum futuri, sicut & Achaz incarnationis, Isa. 7.

Iudæi carnales et animales mysteria Christi non assequuntur.

Sed hæc sublimia mysteria carnales, qui non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei, & animales, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, Iudæi, non poterant assequi, sed de temporali templo dici putabant. Hinc tanquam canes porrigentem sibi panem sanctum rodere incipiunt, & ironice aiunt: *Quadragesima & sex annis aedificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Quibus verbis accipiunt occasionem calumniandi & accusandi, quasi contra templum sit locutus, in hoc errantes quod de templo Salomonis loqui Christum putent, & eius ædificationem. Sic mali calumniandi ansam unde uis etiam in optimo quoque verbo inueniunt; unde qualis illorum erat intellectus, talis & responsio: nam ad templum per Zorobabel reædificatum retorquebant. Augustinus. Aedificatio templi Salomonis 7. annis perfecta est, 3. Reg. 6. Reædificatio laxata captiuitate iussu Cyri Persæ per Zorobabel impediens inimicis, 46. annis consummata est, 1. Esdr. 4. & 6. *Ile autem dicebat de templo corporis sui.* Sic in ambiguo versantur, quod ad litteram uerba Dei intelligenda putent.

*Matth. 26.
& 27.
Marc. 14.
& 15.*

*Psal. 3.
& 56.*

Discipuli uero, & quibus odio & inuidia mens nondum erat excæcata, crediderunt scripturæ utique prophetarum, qui de Christi resurrectione prædixerant: & sermonibus eius prioribus. Nam cum resurrexisset à mortuis aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas, Luc. 24. tuncque in mentem reducebatur quæ ille ante passionem prædixerat, omnia prout tandem completa sunt obseruantes; ut nimirum in illis ostenderetur

deretur iudicium, in his verò misericordias. Venit enim Christus in hunc mundum, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quae faciebat. Hic fructus eius prædicationis & miraculorum est. Ad hoc enim utrumque faciebat, ut homines lucraretur. Sic verbum Dei simile est saganæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregati, Mat. 13. Nam & multos Iudæos Christus allicit.

Illud tamen hoc loco obseruandum monet Euangelista, multorum fidem admodum fuisse dubiam & infirmâ; quippe quæ ex miraculorum consideratione nata tantum fuit, nec radices in ipsorum animis egerat. Proinde licet propensi admodum in Christum viderentur, tamē se non credebat ipsis, qui profunditatem cordis humani solus metitur, nimirum ut Deus qui nouerat renes & corda eorum, eosque tandem ut crucifigatur clamatueros, qui tamen in eum credere videbantur. Adeo in fide instabiles eos præscit: vnde nec illis videre voluit. Quo facto ministros verbi monet, ne temerè se committant auræ populari, aut ex vulgi opinione & existimatione se iudicent. Est enim Euripo magis varium vulgus, Hierem. 9. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. Doctuerunt enim linguam suam loqui mendacium. Sagitta vulnerans lingua eorū dolum locuta est, &c. Matth. 10. Cauete ab hominibus, &c.

EPILOGVS.

Dominus Iesus iure suo hinc violentus est, suam iustitiam manu & potentia asserendo. Potissimum verò eam suam astringentem voluit exercere aduersus eos, qui in templo exercuerant mercimonia, ut ostenderet sibi displicere, nec vlla ratione ferre posse scandalorum & abusuum mendam in Ecclesia. Habes etiam in præsentis lectione signa mortis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, quod signum Iona vocat, Matth. 12.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
QUARTAE QUADRAGESI-
MAE, EPISTOLA.

Exod. 32.

Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens: Vade, descende, peccauit populus tuus, quæ eduxisti de terra Aegypti, &c. Finis Epistolæ: Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.

Dent. 9.

EPISTOLA hæc ostendit idololatriam esse execrabile facinus, contra quod Dei ira semper sæuire consuevit, ut
nos

nos Iudæorum exemplo fiamus cautiore, 1. Cor. 10. Idololatriæ species sunt multæ. Idololatria est, non obedire, 1. Reg. 15. Sunt itaque idololatræ omnes hæretici, Ecclesiæ frenum excutientes, quales olim in synagoga fuerunt filij Belial. Sunt & idololatræ Simoniaci omnes, nã Apostolus auaritiã quoq; vocat idolorũ cultũ, Eph. 5. Propriè verò, vt hic accipitur, idololatria est, creaturæ hoc quod Dei est, deferre: ipem & fiduciam suam in creaturam tanquã in Deum conuicere: creaturam inuocare in rebus quæ solius Dei sunt, atque ad eò Deo creaturam præferre: Dei propter creaturæ cultum, obliuisci: à creatura pendere tanquam à vero Deo, idololatria est. Audiendus hic Apostolus, si iram Dei euadere cupimus; d. Fugite charissimi ab idolorum cultura, 1. Cor. 10. Proponit autem Epistola tria.

1. Primò, Detestabilem Iudæorum ingratitude, qua neglectis omnibus Dei beneficiis, vt libertatis Aegyptiacæ, educationis per mare Erythreũ, alimonix cælestis, & protectionis diuinæ contra omnia ingruentia mala, leuissima occasione, ob diuturniorem Moſis scilicet absentiam, furibundo quodam impetu in idololatriam ferebantur, tanta vesania, vt pretiosissima quæq; in eam impietatem profunderent: ex quo agnoscere licet quid improba possit cupiditas, malorum omnium radix, 1. Tim. 6. Noluerunt enim sine vultu Dei esse, hoc est, noluerunt Aaroni obedire, cui commissi erant, sed ipsum Aaronem immodicis conuitiis compulerunt, vt vitulum conflatilem eis faceret. Huc aurum & argentum quo Aegyptum spoliauerant, etiam contulerunt omne. O infelices prælatos, talibus se submittentes importunis subditis. Quis non videat hodie innumeros Aarones non prophanis populi ducibus tantum, sed infimis quoque subditis contra Ecclesiæ autoritatẽ obsequi? Obedire oportet magis Deo quàm hominibus, ait B. Petrus cum cæteris Apostolis, Act. 5.

Potrò ex hoc agnoscimus quos fructus producere solet populus pastore desertus, nimirum Dei neglectũ, fidei contemptum, lasciuiam, impietatem, & idololatriam. Tritum quippe prouerbum est: Absente pastore ouium nullus est vsus. Sic hodie videmus non sine magno religionis Christianæ damno, florentissimas Respublicas pastorum aut absentia, aut negligentia, quemadmodum Israëlitæ, turpissimis flagitiis Deum irritare, dum passim quæuis admittitur religio, licentia viuendi conceditur, & ministrorum verbi nullus habetur delectus. Quo fit, vt pro vera religione hæresim passim amplectantur idiotæ; & quia plurima eis permittunt quæ carni adlubescunt, non secus ac Israëlitæ, suos deos laudent, in eis salutis ancoram collocent, vt non immeritò

Idololatria est non obedire. Idololatra hæretici & Simoniaci.

Iudæorum ingratitude detestabilis.

Pastore absente ouium nullus vsus.

meritò grauissimè nobis indies minari videatur Deus bella, seditiones, pestem, famè & interitum. Neque verò emphasi caret, quod Mosi dixit Deus: *peccauit populus tuus*. quasi dicat: Hactenus dum mihi paruit, meus fuit populus, illius ego curà suscepti, eam nunc proflus abieci. Vocat populum Mosi ea mente, qua impij vocantur filij hominum, quasi eum non agnoscat; quemadmodum & reprobis dicturus est propediem: Nescio vos, Matth. 7. & 25. Quod vtinam hodie de populo Christiano non dixerit Deus, cum nullus penè eo in toto orbe sit miserior, & qui tot sectis & opinionibus inter se dissideat, tot dissidijs laboret, tot flagitijs diffuatur, vt penè videatur Deus illius abiēcisse curam, & meritò irasci, cum nemo sit qui se illius iræ opponat.

2. Secundò, Stupendam Mosi mansuetudinem proponit, qua sese velut murum opposuit irato Deo, dum omnia sua postponit suæ Reipub. salutis, vtilitati, & felicitati, magis eligens abiectus viuere, quàm suorum stragem intueri; quod demùm veri principis est officium, sacri æquè ac prophani, qui in hoc à tyranno differt, quòd hic ex suorum pernicie, incommodis, & interitu suum faciat commodum, cædibus ac sanguine nunquam satur, quem verè iuxta Sophoniam, cap. 3. lupum dixeris. item Ezech. 22. Sed quo quæso ariete gliscentem iam Dei iram fregit sanctissimus & Deo familiarissimus Moses? Non certè corporeo, sed precibus, oratione, & deprecatione, armis sanè efficacissimis, & quæ vel ipsum penetrare cælum possunt: si quãdo animo sincero, conscientia bona, & fide non ficta Deo offeruntur. Sic enim non nisi ex ipsius spiritu proficiscitur, qui quo modo orare oporteat, docet Ro. 8. Ea autè est veri fidelis libertas, vt Deum sibi quasi deuincat autoritate suarum promissionum, vt negare non possit, 2. Tim. 2. & cõpellat, mutato irato affectu quo punire decreuit, gratiã tribuere, & peccatum delere, dum ait: *Memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti per teipsum d. Multiplicabo semen vestrum*, &c. Vide ex hoc loco quid sanctorum preces apud Deum possint. Nec solùm oratio Mosi eius rei exemplum esse potest, sed & intercessio Helix, 3. Reg. 17. quod exemplum citatur à S. Iacobo. Item Num. 16. occurrit Aaron iræ Dei; Plurimi enim est apud Deum deprecatio iusti, Iac. 5. Sic angelus quoque luctans Iacobo, passus est vim sibi fieri & cogi. Dicit enim angelus: *Dimitte me, &c. Genes.*

Neque verò promissionum suarum tantùm commonefacit Deum Moses, sed addit quanta ab impijs ipsius gloriæ ignominia, iniuria & blasphemia impingeretur, si pro meritis tantum scelus punire pergat. *Ne quæso dicant Aegyptij*, inquit, *uallidè eduxit eos.* &c. quasi dicat: Non mihi tantum, sed tuæ potentiæ,

*Mansuetudo
Mosi.*

*Principis veri
& tyranni dis-
ferentia.*

*Libertas veri
fidelis.*

*Genes. 12.
& 48.
Preces sancto-
rum efficaces.*

potentiæ derogabunt hostes nominis tui. Tu impotentia & imbecillitatis argueris, ô Deus, ab infidelibus, quòd tantam multitudinem passus sis in vasta hac solitudine occumbere, quæ sese defendi posse tua potentia sperabat. Potest & hæc oratio hodie afflictæ Ecclesiæ accommodari.

*Misericordia
Dei immensa
erga Israëlites.*

3. Tertiò, Dei immensam misericordiã proponit, qua sese exorari tam leniter passus est, ne tantum scelus pro meritis damnatione, excidio, & morte æterna puniret, re ipsa haud dubiè declarans, nolle se mortem peccatoris, Ezech. 18. sed sua benignitate ad pœnitentiam omnes inuitare, Rom. 2. Est enim apud ipsum misericordia & copiosa redemptio, Psal. 129. adeoquæ placabilis est Dominus, vt si videat nos mutare vitam, ipse mutare nouerit iudicium, Hierem. 18. Moses interim videns Deum mutasse iudicium atque sententiam, agnouit tamen iustitiæ Dei esse satisfaciendum, & sibi committi censuram. Plectit ergo reos, & parcit innocentibus. Arguit Aaronem fratrem frigidam excusationem afferentem, vt hinc discamus satisfactionem pro peccatis esse salutarem. Cùm enim nosmetipsos diiudicamus, non diiudicabimur.

*Imaginem
Christi refert
Moses.*

Pulchrè autem, vt docet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, hîc Moses imaginem refert Christi, patrem suum pro genere humano oratione, passione, & morte sua exorantis, qui solus est propitiatio pro peccatis nostris ac totius mundi, 1. Ioan. 2. qui in hoc apparuit vt dissolueret opera diaboli, 1. Ioan. 3. qui & patrem nobis propitium fecit, dum quod aduersum nos erat chirographum decreti deleuit, affigens cruci. Coloss. 2. Cuius merito ob peccatum damnationi obnoxia natura humana æterno patri reconciliatur: dum ex filiis iræ sũt vasa misericordiæ, & restituitur, dum erepta de potestate tenebrarum, transfertur in regnum dilectionis filij sui: vt iuxta Apostolum Rom. 8. sint hæredes Dei, & co-hæredes Christi, quibus non potest non esse propitius pater. Si enim tanti esse potuit apud Deum solius hominis Mosi oratio, vt tam horrendi peccati condonationem impetraret, quid non poterit Dei & hominis Iesu Christi plenissima satisfactio, non oratione tantùm, sed sanguine confirmata? Qui licet secundum humanitatem sit orator ex tempore, est tamen secundum diuinitatem cum patre exauditor æternus. Agnoscant itaq; fideles sese ex fide iustificatos, & pacem habere cum Deo, sed per Christum, ita tamen vt sese nouerint cruci subiectos, ac debere se cum vitiis & concupiscentiis carnem suam crucifigere, pœnitentiæ operibus, fidei constantia, oratione, ieiunio, lachrymis certam suam vocationem efficere; & quemadmodum Moses impetrata peccati huius

*Iesu Christus
orator & ex-
auditor.*

huius remissione, graui tamen animaduersione, pœnaque temporali puniuit à Deo condonarum peccatum; ita nos quoque ad pœnitentiæ opera manere obligatos.

EPILOGVS.

Dei nostri uiuentis & veri indignatio & ira, iudicium & iustitia aduersus Iudaorum superstitiones & idololatriam, quam tempore Mosis & regum suorum infandum exercuerunt, in presenti lectione ponuntur uobis ob oculos. Misericordia iidem Domini Dei immensa, qua sequebatur statim intercessionem sanctam Mosis prophetae & serui fidelis Dei, declaratur. Quare non frustra in eius encomion à Psalmista regio dictum est: Misericordiam & iudicium cantabo ubi Domine, Psal. 100.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
QVARTAE QVADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum & docebat, &c. Ioan. 7.
Finis Euangelij: De turba autem multi crediderunt in eum.

COMPLECTITVR hoc Euangelium, præter grauem cum Iudæis habitam à Christo contentionem, de vera festorum colendorum ratione, præcipuam quoque salutis adipsiscendæ rationem, quam docet non in sola fide, sed obedientia mandatorum esse constitutam: Item eos qui inuidia & affectione praua obcæcatis habent oculos, nec uera cerne-
re, nec quæ iusta sunt discernere posse. Sicut enim uita non procedit à corpore, sed ab anima: ita cognitio scripturæ non à litera, nec è proprio sensu, sed spiritu emanat. Et uelut qui rem aliquam perfectè nosse uolunt, ad causas primas procedunt: ita qui scripturam intelligere nituntur, ad Deum opt. max. omnis cognitionis fontem peruenire debent, eumque intueri. Hoc Christus etiam docet in hodierno Euangelio, cum se non humano modo doctum ostendens, tum scripturæ notitiam à Deo pendere docens.

Festa dies, de qua hic agitur, tabernaculorum erat Scenopegia.

Iam die festo, Scenopegiæ, mediante, quo Christus cum propinquis & parentibus suis Hierosolymam conuenire renue-
rat, ascendit, inquit, Iesus in templum, ne legi derogare uideretur, quæ quorannis in solemnioribus diebus Iudæos in templum venire iubebat: & ut errantes oues domus Israël uelut bonus pastor quæreret, & in ouile reduceret, Et docebat. Nunquã otiosus est, sed & semper nostræ saluti uacat. Docet in templo & die festo: suo facto nos admonens, quo maximè loco & tempore uerbum Dei prædicandum & audiendum sit. Nimirum tametsi Dominus in monte, in litore, in solitudine, in uia, domi, foris, his quæ patris erant uacauerit, maximè
tamen

tamen in templo. Hinc & Annæ dixit: Ego semper docui in templo. Et in tēplo inter doctores inuentus est. Quia Isa. 2. sic prædictū: De Sion eribit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Proinde Can. 10. Apostol. duæ rationes, congregandæ aliquo in loco Ecclesiæ, assignantur. Prior ad audiendas scripturas: altera ad orationes & diuina mysteria ibi perficienda. Concilium quoque Gangrense testatur nō licere priuatim eadem exequi; & refertur distinct. 30. his verbis: Si quis extra Ecclesiam priuatim populum cōgregat, anathema sit. Et can. Si quis docet domum Dei cōtemptibilem esse debere, & congregationes, quæ in ea fiunt, anathema sit. Christi quoque exemplo maximè diebus solemnioribus verbū Domini prædicandum est, vt quo die opus seruile facere prohibitum est, Domino vacemus. Agit autem post hanc præfationem quinque.

*Confutatio
contra Iudeo-
rum admira-
tionem de do-
ctrina Chri-
sti.*

1. Primò, Confutat inuidiosam Iudæorum de se, suaque doctrina admirationem, quam duabus de causis conceperant: scilicet, quòd literas sciret, & quòd non didicisset. Si quidem ignorantia peccati, quæ mater est admirationis, meritò propria est humanæ naturæ, quæ sine studio & diligentia superari non potest: quam cum in Christo non animaduertissent, quia nihil sublimius de ipso quam de alio quouis cogitabant, admirabantur ipsum tanta maiestate, gratia & eruditione docere: nō sicut Scribæ & Pharisei, sed quasi potestatem habens, Marc. 1. non Pharisæicas superstitiones, non frigiditas legis cæremonias, sed cælestem illam Euangelij doctrinam hæctenus ignotam mūdo, angelis, & hominibus. Nam cum in medio solennitatis, hoc est, quarta die (durabat enim solennitas septem diebus, Deut. 16.) Dominus publicè doceret in templo, ostendens doctrinam suam inculparam ex loco publico, Ioan. 18. Ego semper docui in synagoga & in templo, &c. Inculcata quippe doctrina est, quæ publicè in templis docetur: Nam veritas non quærit angulos, Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem, &c. Suspecta verò doctrina est, quæ in latibulis & angulis prædicatur. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, &c. Ioan. 3: Iudæi cum doctrinam illius calumniari non possent, tamen autoritatem apud populum illi student admirari, admirantes quòd cum esset idiota & literarum rudis (nunquàm enim institutus fuerat in doctrina pharisæica, cuius professione illi targebant) vnde nactus esset ea, quæ è sacris voluminibus magna sapientia depromebat: vel insimulâtes eum, quòd dæmonium haberet, aut alia quauis artē magicæ scientiam esset consecutus earum literarum, quas ab hominibus non didicisset, Ioan. 10. Dæmonium habet, inquit, & insanit;

*Veritas non
quærit angu-
los.*

nit, quid eum vultis audire? Eiusmodi farinae sunt adhuc quam plurimi, qui apud vulgus cum clero tum magistratum prophano student omnem auctoritatem & honorem adimere, vbi tamen Apost. doceat honorem exhibendum eis, quibus honorem debemus, Roman. 13. Matth. 22.

Quomodo, inquit, hic literas scit, cum non didicerit? Quod minime dixissent, si Christum filium Dei agnouissent, omnesque thesauros sapientiae & gloriae in eo reconditos non dubitassent. Christus enim (ait Cyrillus) non per doctrinam, sed naturam, insitam habet sapientiam, & rerum cognitionem. Quocirca etiam Isaias dicit cap. 7. Sciet reprobare malum, & eligere bonum. Naturam enim insunt Deo omnia bona, quemadmodum igni inest calor; quare non forissecus etiam sapientia in eo est: imò verè ipse est fons sapientiae, cuius participatione quæuis rationalis creatura sapiens dicitur. In quo nostri temporis Anabaptistae praesumptuosi aliique haeretici, non tantum Apostolis sed ipsi Christo se aequare audent, qui absque docente literas & scripturas omnes intellexit, dum etiam ipsi imperscrutabiles vias Domini se comprehendere asserunt, & sacras literas absque docente intelligere. Imò vbi statim omnis spurcitici libellum perlegerint, vbi in Ecclesiam debacchari poruerint, tum se omnibus etiam primis Ecclesiae patribus praefereunt, & doctores esse iactitant. Quos non immeritò & ignaros & infideles esse Iustinus martyr epist. ad Zenam & Serenam testatur, his verbis: Quicumque sapit suo iudicio, non cedit monitis, & repugnando aduersatur consultoribus, cõtentus suis cogitationibus, more hominum infidelium. Porro quoties eos de praesumptione arguimus, idem in ore habent quod Zedechias in Michæam, 3. Reg. 22: Num mihi sicut & tibi locutus est Dominus? Num sicut Prophetis, Apostolis, Martyribus, & primis Ecclesiae doctoribus? Miror utiq; cur non addant, sicut & Christo. At verò Christus, Dei filius: illi homines abiecti & vermes terræ: Christus in quo plenitudo gratiae: illi plenitudo scelerum & malitiae. Quòd si cum Apostolis se cõferunt, illi utique prius tribus annis & dimidio discipuli extiterunt, & patris promissionem expectarunt, quam in viam Gentium abirent, & verbum Dei interpretarentur. Si verò ab antiquis patribus argumentum tam subito infusae in se scientiae assumunt, doceant quæso, & quomodo, sine euidenti miraculo factum sit, ostendant: immò nec sine docente Christus ipse quoad humanitatem intellexit. Earum quippe notitiam exhauserit à diuinitate: non autem ab humana natura. Tandem subiungit; quo nemi in sibi Theologiae cognitionem absq; docente arrogare doc. at. Attamen vt Deus ipsemet sapientiæ

hesaurus est, ita docente non indiguit. Mirum ergo illud est in hominibus istis: minimè verò mirum in Deo. Obstupefacti igitur sunt Iudæi de Iesu doctrina, quòd hominem purum esse putarent. Si verò Deum illum agnouissent, in eo omnis doctrinæ securiginem professi fuissent.

Doctrinam
suam Christus
defendit.

Idcirco Christus eorum sensum mentes eleuauit ad diuinitatis in ipso inhabitantis sapientiã: & ut eos qui puram hæc Evangelij doctrinam, quam ipse è sinu patris mundo attulisset, amplecterentur, in sua fide confirmaret, docet eam non esse aut humanam, aut carnalem, aut à dæmonio profectam, sed à Deo, quem ipsi quoque eum colerent, & cuius gloriæ deberent fauere, si verè pij uellent uideri, dum ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris.* Quibus uerbis eandem sibi esse cum patre naturam docet, hoc est, non adoptione, sed natura se Deum esse: proinde nec hanc doctrinam aliter quàm à Deo profectam, esse recipiendam. Ac si dicat: *Mea doctrina quam admiramini unde mihi contigerit, cum ab homine literas non didicerim; non est mea, id est, à me homine profecta & tanquàm à me ipso habentis (non enim diuersam à uoluntate patris & à mente legis à Deo traditæ, nec nouam aliquam humanam doctrinam adfero) sed eius qui misit me in mundum, ut mundus seductus variis doctrinis hominum, & impiis cupiditatibus obcæcatus, per me cognoscat illius uoluntatem, cognitam sequatur, & sequendo vitam assequatur æternam.* Sic Ioan. 12. Ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Admonens hinc omnes uerbi ministros, ne sua somnia populo, sed Dei uerbum annuntient, omnemque doctrinam Deo opt. max. ferant acceptam, Dan. 2. Est enim Deus in cælo reuelans mysteria. Dicat uerbi diuini minister: *Mea doctrina non est mea: nihilque sibi arroget. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata est, 2. Timoth. 3: & Spiritu s. inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Deus uerax: omnis autem homo mendax. Nihil ergo à se ipso, sed aut è sacris Bibliis, aut è primorum patrum scriptis omnia proferat & loquatur. Summatim ex præmissis uerbis ostendit in se duas naturas; unam quidem humanam, quæ doctrina imbuta est: alteram diuinam, à qua hæc doctrina profecta sit. q. d. Mea quidem hæc doctrina est, in ea ratione qua Deus sum, non qua homo: neque enim eam humano modo acquisiui. Hæc August. tract. 29. in Ioan. Basil. lib. de Spiritu s. & Athanas. oratione contra Sabell.*

2. Secundò. Deinde quomodo hæc cælestis doctrina apprehendi possit, demonstrat, scilicet fide & opere, dum ait: *Si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea, uerum ex Deo sit* (quam

quam vnà cum Patre vt Deus expono) an ego à meipso (separatim atque diuifim) loquar. Quoniam Iudæi Christi doctrinam discernere non poterant, radicem istius ignorantia, modumque quo hæc discerni queat, assignat. Nimirum eum qui Christi doctrinam cupit agnoscere, oportet voluntatem Dei seruare. Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisq; vas suum & corpus possidere in honore & sanctificatione, 1. Thess. 4. Voluntas quoque Dei est, & ipsum super omnia diligere, & proximum tanquam nosmetipsos, Deut. 10. At quoniam Iudæi in suos inuidia scatebant, Christum opprimere moliebantur; multaque perpetrabant voluntati diuinæ contraria: ideo excæcauit eos malitia eorum. Duo igitur nobis commoda mandatorum Dei obseruatio & diuinæ voluntatis impletio adferunt. Primum est sanctæ doctrinæ quædam affectio. Secundum est liberum de ea iudicium. Hinc Daniel prius se ieiunio disposuit, vt secreta illi à Deo panderentur, Dan. 1. & 10. Anna prophetissa eodem se modo ad diuina mysteria præparauit, Luc. 2. Et primi illi Christiani, qui in Alexandria docti sunt à Marco Euangelista, vt fidei nostræ arcana capere possent, prius se precibus & sanctis operibus disponebant, ait Philo Iudæus lib. de vita supplicum. Quemadmodum enim (inquit Basiliius in epist. de vita solitaria) in cera quis scribere non potest, nisi characteres impressos deleuerit; sic nec anima, diuina dogmata degustare valet, nisi pristinos ex animo mores penitus destruxerit, sinceriter crediderit, & Dei mandatis obdierit. Nam B. Augustino teste, intelligere merces est fidei, quamobrem non intelligendum est vt credamus, sed prius credendum, vt intelligamus, Isa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Ergo faciamus voluntatem patris, hoc est, credamus in filium Dei patris, vt de doctrina filij cognoscamus. Quod si verò aliquis dixerit permultos peritos esse, qui tamen Dei voluntatem non seruant: respondendum ex Paulo, 1. Cor. 8. Scientia sine charitate inflat. Nec ij verè discernunt doctrinam Christi, sed tantum corticem & literam aduertunt, cum sensum non sic amplectantur vt obseruent. Porò non in sermone est verbum Dei, sed in virtute, 1. Corinth. 2. Quòd si rectè verbum Dei interpretantur, id vtrique eis euenit quod & Balaam, qui Dei verbum immutare se non posse asseruit, Numer. 24: vñ nimirum argumentorum eò vigente. Discernunt ergo Christi doctrinam vtrum à Deo sit: at non sensu suo, sed antiquorum patrum: nam si ipsi suam mentem sequi vellent, errarent.

Ad exactam igitur voluntatis diuinæ cognitionem, quæ *Voluntatis di-* scilicet ad æternam salutem requiritur, non sola fides vel ina- *uina cognitio-*

*Intellectus
merces fidei.*

*nem ut ha-
beamus quid
requiratur.*

nis fiducia sufficiunt, sed requiritur obedientia mandatorum Dei, iuxta illud, Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hoc qui fecerit, à semetipso non loquitur, & gloriam propriam non quærit. Qui enim à seipso loquitur propriam volens statuere doctrinam, ob nihil aliud hoc facit, quàm vt gloriam inde inanem percipiat, arrogans & mendax, eò quòd de se plus quàm meretur dicit: & iniuste agit, quia alienam & sibi non competentem gloriam rapit; quare mendax & iniustus. Hierem. 23. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Nam qui quærit gloriam non Dei, sed suam, is & mendax simul & iniustissimus est. Mendax quidem, quia simulatione legis seruandæ, suam voluntatem auditori proponit. Iniustissimus verò, quia legislatoris dignitate neglecta, Dominicis præceptis sua præferre audet. Quibus verbis etiam Antichristum notat, thesaurum malitiæ, & perditionis filium. Qui, vt ait Apostol. 2. Thessäl. 2. aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in tēplo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Hic ergo cum venerit, à semetipso loquetur sua se autoritate venisse, non à Deo missum dicens, nec Dei, sed suam quæsituram gloriam: de quo dicit Ioan. 5. Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

*Antichristus
notatur.*

*Hæretici suis
cupiditatibus
consulunt.*

Hoc enim peculiare omnibus antichristicis hæreticis, hypocritis, & ambitiosis, vt prætextu nominis Dei, cupiditatibus consulant suis, & omnia sua gloriæ Dei præponant. Sic Cerinthus per quasdam reuelationes velut à magno apostolo conscriptas, & per angelos ei reuelatas, sese extulit, vt Eusebius habet lib. 31. histor. Ecclesiast. cap. 28. Montanus se paraclerum dixit, qui Priscam & Maximillam inspiraret. simulque persuasit vniuersam Ecclesiam, quæ per orbem terræ est, blasphemare. Idem Euseb. lib. 5. cap. 14. Vincentius Lyrensis in hæreticorum nouationes, Inuecti sumus, inquit, in Nestorij sceleratam præsumptionem, quòd sacram scripturam se primam & solum intelligere, vniuersos autem cōfessores & martyres eam ignorasse, imò & omnem Ecclesiã errare iactaret. Mahumetus se ab angelo Gabriele edoctū fingit, & magnum Dei prophetã omnibus hominibus digniorem prædicat. Eadem vtique in Calvinistas sanguinarios, & hodiernos hæreticos efferre possemus, cum se non minore perulantia supra omnes Ecclesiæ patres eleuēt, eosque supercilioso fastu contemnunt, opprobria eis illata suam gloriam prædicantes. E contrà, qui veri sunt Dei prophetæ & ministri, hi solum Dei gloriam quærunt, eius iustitiæ sese subiiciunt, toti ab illo dependēt, ita vt iniustitia in iis non sit vlla.

Christus

Christus verò Dominus noster gloriam patris quærebat, & nihil arroganter de se dicebat, & idcirco omnino verax est & iustus. Nam validissimis argumentis docet suam doctrinam legi non aduersari. q. d. Qui à semetipso loquitur, gloriã propriam quærit: sed ego non quæro gloriam meam: non ergo à meipso loquor. Rursus vt confirmet doctrinam suã à Deo esse, hanc ratiocinationem implicat: Qui quærit gloriã Dei, hic à Deo loquitur, & verax est: sed quæro gloriam eius, qui misit me patris veri Dei; igitur à Deo & Patre loquor. Porro nobis vtraque regula semper præfigenda est discernendã alicuius doct. iuz. Expendere oportet, suam ne, an Dei, an diaboli quærat gloriam. Concionatur Arrius? Non quærit gloriã Dei, cum filij gloriam patri coæqualem neget: explodatur. Concionatur Simon magus? Suam quærit gloriam, quòd se dicat Dei virtutem, Christum autem extenuet: explodatur. Idem sanè in omnibus hereticis experiri poteris. semetipsum iactare, dicere se legis doctores, & vt prædixit Paulus, extolli super omnem Ecclesiam. Sic Antichristus omnium caput iniustus est, & verax non est, quia suam, non Dei gloriam quæsiturus est: Non est à Deo missus, sed venire permissus. Ideo, 1. Ioan. 1. Vos igitur quod audistis ab initio, in vobis permaneat.

3 Tertiò, Vbi ad obiectionem, vnde doctrina eius esset, respondit, nunc alteri exprobrationi satisfacit, quòd in sabba- to curet, simulque Iudæos transgressã legis reos fecit, vnã probans eos patris volütatem non exequi, cum Mosis legem non obseruent: proinde nec mirum esse si doctrinam eius discernere nequeant, dum ait: Nõnne Moses dedit vobis legem, &c. Ostendens eos esse sub maledictio legis. Maledictus enim omnis qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in lege. Et quis sit verus & legitimus vsus legis, ostendit, vt scilicet impleatur fide & operibus, coercens manuum actionẽ, & cordis cogitationem. Siquidem præceptum de non occidendo non impleuit, qui metu legis manum ab homicidio abstinet; sed qui ne odium quidem in corde admiserit. Idem de adulterio, & de furto iudicium. Nam iuxta legis intentionem, homicida est, qui odit fratrem suum: adulter, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: fur, qui concupierit rem proximi. Idem de omnibus legis præceptis iudicium.

Proinde Christus hac ratione Iudæos homicidij in ipsum concepti arguit, declarans se eum esse, qui abdita cordium ipsorum penetrare possit, cum dicit: Quid me quæritis interficere? Ac si dicat: Legis scientiam & obseruantiam vobis arrogatis, cum nemo vestrum sit qui verè seruet legem secundum

Ioan. 8.

Legis verus
& legitimus
vsus.1. Ioan. 3.
Matth. 5.
Exod. 20.Iudæi homi-
cidij arguan-
tur.

cundum voluntatem Dei qui legem tradidit. Imò legis prætextu ea molimini, quæ maximè lex punit & detestatur. Nonne per Mosén quem admiramini, data vobis est lex diuinitus ne hominem occidatis. Nonne lex execratum eum, qui sanguinem fundit innoxium? Exod. 23: Infantum & iustum non occides, quia auersor impium. Nec permittit occidendi ius nisi in maleficos, nec in hos nisi legitimè conuictos ac damnatos, Numer. 35. O quot habent imitatores, qui minima, imò nulla in proximo reprehensione digna, accusant, maxima in se negligentes, Rom. 2. Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterû iudicas, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ iudicas. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum in-honoras. Interim Christi exemplo idem nos ab hæreticis expostulare possumus, quoties illi nos legis præuaricatores esse arguent. Nonne prohibuit Deus, ô hæretici, à regibus deficiere, seditiones moliri, quempiam interficere? Et tamen manus vestræ sanguine plenæ sunt: omnes spiratis in sanguinè. Quid nos queritis interficere? Ioan. 7. Licet Anglia, Scotia, Germania, Hungaria, Gallia, nostraque Belgia sanguine innocentum vestra manu fuso, passim madeat, rursus tamen vt insatiabiles ad sanguinem prorumpitis, & seditiones molimini.

Duplici ergo nomine perturbati Pharisei, primò quòd clancularias illorum machinationes optimè nouisset: deinde, quòd illos qui se videri volebant legis obseruatores fidi-simos, legis impiè violatæ reos argueret apud populum: vt apud eundem tam impij facinoris conscientiam confidentia dissimulent, ad manifesta conuitia confugiunt; & qui mos est improbis in maleficio deprehensis, quod excusari non possit, Prauitati enim blasphemiam addût. Peccatum quippe quod per pœnitentiã non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, Isa. 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum. Prouerb. 18. Impius cum in profundum peccatorû venerit, contemnit. Sic Cain Genes. 4. homicidio desperationem addidit: & Iudas sceleri suo laqueum, Matth. 27. *Dæmonium*, hi inquit, *habes*. quo instigante tam insensatè & malitiosè de nobis loqueris. Sensesunt detecta manifestè crimina: proinde ad negationem refugiunt, in Christum blasphemiam eiacularés, cum eum dæmonium habere dicunt. Hoc forsan tum trito loquendi more, quòd multi illis temporibus dæmonii obsessi fuerent. O scelus inexcipiabile, ô blasphemia neque in hoc seculo, neque in futuro remittèda. Nam peius hoc fuit dicere, quàm Christum occidere. Ei nanque dicebant: *Dæmonium habes*, qui
sue

Mos impto-
borum.

suo imperio demonia expellebat: Quae enim conuētio Christi ad Betia? 2. Cor. 6. Hunc furere dicebant, propria etiam remordente conscientia, cum satis apud se quid moliantur, intelligant. Tales utique permulti sunt, qui (tanto abest, ut amicam correctionem excipiant) corripientes opprobriis & maledictionibus afficiunt: nunc in malam crucem mittētes, nunc cacodæmoni deuouentes, patrem utique suae impietatis Caina imitantes, Genes. 4. cui non satis fuit fratrem interemisse, sed & in Deum eum corripientem obmurmurare coepit: Nunquid custos fratris mei sum ego? Nec tamen desistat verbi diuini minister eos arguere, quo tandem erubescant: aut seipfos tantum suae perditionis causam esse fateantur. Et si nihil ab his quam opprobria colligat, cōsideret sibi meliorem repositam mercedem. Beati enim eritis (inquit Christus, Matth. 5.) cum vos oderint homines, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis: gaudete & exultate: merces enim uestra copiosa est in caelis. En ut Christo cōiuiatur turba haec insana, nec desistat tamen uiuis rationibus eorum impietatem aperire. Ait enim:

Vnum opus feci, & omnes miramini? Quia proum ad furorem populum nouit, non dixit, curauit hominem, sed submissius protulit: vnum opus feci, & miramini omnes; quasi occulte videatur insinuare hunc sensum: Hoc tantum facto adeo commoti estis, quod hominem in Sabbato curauit? Quārum igitur astimatis aduersus vos Deum esse commotum, cuius legem non semel, neque in minimis, sed in omnibus, & semper transgredimini? Verè tamen docet non eos demirari debuisse quod in sabbato curet, sed beneficii magnitudinem efferre, & idcirco benefactorem encomiis celebrare d. Bene omnia fecit, Genes. 1. Marc. 7. Propterea enim (inquit) Moses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Mose est, sed ex patribus: & in sabbato circumciditis hominem. A simili, imò a minori ad maius probat licuisse sibi hominem in sabbato curare, absque legis Mosaicae praeuaricatione. q. d. Si licet bonum in sabbato, licebit & melius: Porro totum hominem sanum facere, maius & melius est, quam circumcidere: & tamē in sabbato circumcisio licita est: Igitur & licita erit curatio. Item: Si quod non est à Mose sed à patribus, Mosis legem non infringit, quanto minus id quod ab eo est, cuius corrigiā calcamenti Moses indignus est soluere? Nam quanto Moses maior est patribus, tanto Christus maior est Mose. Sed circumcisio quae à patribus est, etiā sabbato facta, nō soluit legem Mosis: minus ergo soluetur illa à curatione, quam edidit filius Dei.

4. Quarto, Iesus ut nobis lenitatis praeretur exemplum, mansuetē facti sui quod calumniabantur, reddit rationē, d.

Lenitatis exemplum in Christo.

Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Mosi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? nimirum & utriusque Mosi & Christi circumcisionis & curationis colata conditione, satis ostendit nec se Mosi subditum, nec curationem totius hominis minus circumcisione in sabbato licitam esse: ideoque iniuste ipsos indignari, quod totum hominem solo verbo curavit à morbo tam corporis quam animi, cum ipsi circumcisionem quæ dolorem ingerit corpori, & laborem requirit, adhibeant, ne videantur legis transgressores. Non violaverat sabbatum, hominem in eo sanando, quia ad salutem hominum sabbati custodia fuerat data. Væ ergo illis qui sabbatū custodiunt in perniciem sui & aliorum. Non enim feriandum tunc à bonis, sed ab omni malo. Ceterum observa ex verbis Christi eos quos ille curavit, non corpore tantum, sed & anima sanitati restitutos, proinde Deum simul omnem culpam remittere. Totum enim hominem sanum facit.

Legem ergo de Sabbato interpretatur, eamque ex Dei ordinatione docet inferiorem esse ea, quæ de hominis salute præcipitur: proinde cedere debere, quoties proximi necessitas id exigeret. Est enim filius hominis, dominus sabbati. Neque enim homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem est. Nam pædagogicum & cæremoniale tantum erat sabbatum Iudæis præceptum, significans ab operibus malis & peccatorum fideles otuari debere: ut est Isa. 58. Heb. 4. Luc. 14. charitati autem, quæ finis præcepti est, omnia cæremonialia; iudicialia, & moralia inferuire debere. Hoc enim est diem sabbatum sanctificare, proximi ex charitate succurrere inopiæ, miseræ, & necessitati. Huic enim nulla lex obstare potest. Si enim brutis lapsis, ut ait Christus, licet succurrere, multò magis homini, ut argumentatur Christus, Luc. 14. verum hinc oportet distinguere inter contemptum, & necessitatem: nam hic lege punitur, ut patet in eo qui ligna in sabbato collegit. Numer. 15. sed hæc ubique in omni lege excusatur.

5 Quintò, Prohibet à temerario iudicio, quia id semper in omni Republica gravissimos motus ac tumultus excitare solet. Hinc Iob 29. Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam: ac non vult Iudæos vel odio, vel invidia suæ personæ, miracula in sabbato facta iniquius æstimare, quàm ea quæ Mosi lege permittuntur. Permisit autem ea in sabbato circumcisione, Ioan. 7. oblatione sacrificiorum, Matth. 12. & lapsum bouem aut asinum erigere, Luc. 14. Iniquè ergo contra Christum obmurmurabant, qui veram salutem, cuius typum illa adumbrarunt, attulit.

Nolite

*Diem sabbati
sanctificare
quid sit.*

*Iudicium temerariū
prohibetur.*

Nolite iudicare secundum faciem, inquit, sed rectum iudicium iudicate. Lex enim quam defendere videmini, aperte clamat, Deut. I. non esse considerandam personam in iudicio, quia iudicium Dei est. Est verò iudicare secundum faciem, aut pro affectu, id est, odio aut favore aliquid censere, aut tantum, pro eo quod exterius apparet, aliquid iudicare: cum tamen litera legis occidat, spiritus verò viuificet: & homo ex corde non ex facie, nec Christus ex infirmitate, quæ in carne apparet oculis, sed ex virtute, quæ in diuinitate oculis spiritus cernitur, agnoscendus sit. Potest ergo sic interpretari: nolite tanto in me ferri odio, ut etiam remordente vos propria conscientia, innocentem me condemnetis. Vel nolite sic meam paupertatem, humilitatem & abiectionem, qua serui formam assumpsi, inspicere, & in ea velut facie immorari, quin etiam recto iudicio oculis spiritus meam diuinitatem ex miraculis & doctrina fateamini. Si ad legem quæ de sabbato est referatur, sic potest intelligi; nolite ad literam Sabbati celebrationem sic torquere, ut non intelligatis magis opera peccati verè seruilia hoc prohibita esse: opera autem pia & sancta hoc ipso edenda esse, quale est, hominem totum sanum facere in sabbato.

Oculatè nimirum eorù hypocrisim notat Christus, ut qui culicem colant, camelum autem glutiant: qui se sabbatù violare non putent, si eo in fratres rixis & dissensionibus, in Christum quoque improperiis excandescant; cum interim magnum piaculum esse censeant, si homo sanus fiat in sabbato. Idem nos quoque hæreticis dicere possumus, quod Christus hic Iudæis. Si quando enim illi in nos disputat potius cæremoniis sacramentorum, quàm substantiæ eorù immorabuntur: omniaq; sic discutiunt, ut nullam rerum significationem admittant, literam sequentes, non spiritum. Eodè quoque stylo ut simplicem populum aucupentur, mores prælatorum, velut Ecclesiæ faciem calumniantur, cum interim in doctrinam nullo modo præualere queant. Sed à moribus ad doctrinam non est consecutio, inquit Tertul. lib. de præscript. in hæreticos, ut nec à facie ad rectum iudicium. Discamus quoque ex verbis Christi inconsulta de proximis iudicia ab animis nostris abigere, 1. Corinth. 4. Nolite iudicare quoad usque veniat Dominus, Ierem. 9. Præuum enim est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Solus quippe Deus scrutator est cordium.

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: nonne hic est quem quaerunt Iudæi interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt Principes quia hic est Christus? Hierosolymitani melius exteris noverant conatus principum in Christù. Videntes igitur tanta

eum animi constantia loquentem, nec tamen teneri ab his, quod ignorarent qua id potentia effectum esset, aliud subdubitantes suspicantur, scilicet principes nunc demum suam de Christo mutasse sententiam. Observandum hic occurrit quantum sapientia & concionatoris constantia valeat: frangit enim hominum malitiam. Hac Helias principem non pertimuit, & Achab sæpè ad resipiscentiã reduxit, 3. Reg. 17. Hac idem Ochoziã idololatriam confudit, 4. Reg. 1. Hac sancti vicerunt regna, Hebr. 11. Apostoli ibant à conspectu concilij, gaudentes quod digni essent pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. Hac Machabæi inuicti steterunt coram Antiocho tyranno, 2. Mach. 7. Hac martyres, confusos redidit Christum aduersarios, adeò ut sæpissimè tanta in eos rabie non excanduerunt. Quod utique in ipso Christo contigisse videmus. Confudit enim eius sapientia & constantia inimicos illius, Principes, Scribas, & Phariseos.

Sequitur: *Sed hunc scimus vnde sit. Christus verò cum venerit, nemo scit vnde sit.* Quod adductos putant principes in Christi confessionem, erroneam suam depromunt sententiam. Dicunt se scire vnde sit Iesus, quod ex vulgata opinione patriã eius Nazareth, in qua nutritus fuerat, & parentes Mariam & Ioseph agnoscerent. Quasi sic ratiocinentur: Nemo scit vnde sit Christus: Scimus autem vnde iste sit: non igitur iste est Christus. Colligunt autem maiorem præmissam ex Isaiã cap. 53. in quo de Christo sic dicitur: Generationẽ eius quis enarrabit? At verò miseri homines non attendunt eundem prophetam generationem quoque eius de virgine prædixisse, cap. 7: Michãã locum eius natiuitatis assignasse Bethleem, cap. 5: Iacob tempus quo nasceretur, præuidisse, nimirum tum cum auferretur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, Genes. 49: imò Isaiã cap. 11. cum è radice Iesse oriundum præcinnuisse. Mentiuntur igitur quod dicunt neminem agniturum vnde sit Christus. Generatio quippe Christi duplex est, ut & natura: diuina nimirum, quam nemo enarrare valet; & humana, cuius cognitio ex sacris literis satis constat. Impudenter ergo turbã loquitur, quod nemo sciat vnde, id est, ex qua familia & regione sit Christus.

Itaque grauiter in ipsos inuehitur, omnem illis ignorantiam & excusationem adimens, dum clamabat in templo docens & dicẽs: *Et me scitis, & vnde sim scitis:* quia scilicet, ut iastatis, Mosis discipuli estis, sed ille de me scripsit: Scripturæ quoque, quas scrutamini, illę testimonium perhibent de me. Igitur si Mosis & scripturis creditis, me nostis. Proinde nulla vobis superest excusatio ignorantie.

Nam me scitis, id est, agnoscitis secundum humanam naturam:

ram: & vnde sim scitis, id est, & genus & locum natalem. Veruntamen aliquid in me reliquum est, quod vos nescitis, diuinæ scilicet naturæ veritas, quam à me non habeo, sed à patre, à quo mihi omnia tradita sunt. *Et à meipso non veni*, id est, non me ingessi, vt Messix honorem venarer, ambitione quadam humana ductus, Heb. 5. Non veni enim à me vt homine, id est, humana autoritate, sed diuina, quæ mihi in eo quod Deus sum, eadem est cum patre. Vel non veni in mundum mea solius autoritate & sententia per assumptionem carnis, & rationem eius ad deitatem (vt interpretatur Cyrillus) sed pater ipse cælestis me misit, qui verus est, vnde & verus est filius. At quoniam verum filium esse non fatemini, ideo neque patrem qui eum misit, agnoscitis. Si enim me sciretis, inquit, forsitan & patrem meum sciretis. Ego scio eum, Matth. 11. Nemo enim nouit filium nisi pater: & nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Deum nemo vidit vnquam (Ioã. 1.) Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et rursus Ioan. 6. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem. *Et si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax*: qui iactatis vos scire vnde sim, cum tamen vestra etiam sententia, & nesciatis vnde sit Christus: quod vtique vos in altero eorum dictorū mendacij arguit. *Sed scio eum, quia ab ipso sum*, per æternam generationem: *Et ipse me misit*, per eandem mecum voluntatem.

Querebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius: Non quòd Christus influxui astrorū, sed paternæ voluntati subiectus esset. Nondum ergo hora qua eum mori pater decreuerat, completis quibusdam nostræ salutis mysteriis, venerat. Proinde nec permittebat pater Iudæos in Christum funestas manus mittere. Compescebantur à Deo manus illorum, non impediatur voluntas: cum nec obstinatæ menti mederi queat, quòd in libertate arbitrij omnem hominem reliquerit, Matth. 23. Quoties volui te congregare? &c. Sed nolui.

Simpliciores quique amplectuntur Christi doctrinam, sequuntur vitam: cum interim principes & magistratus rideant & subsannent, nec non, quod animo decreuerant, eum nituntur clanculum è medio tollere. Sed quemadmodum volens mortuus est, ita nõ nisi volens apprehendi potuit. Omnia enim temporibus opportunis & accommodis facit & moderatur. Nullus ergo vim fecit in eum, nullusque rapere præsumpsit, quia nondum venerat hora, scilicet voluntatis eius.

De turba autem multi crediderunt in eum: cum verbis tum miraculis, & constantia illius allecti. Adcò nunquam verbum Domini sine fructu est: vt discant etiam inter impios non despon-

despondere animum diuini verbi præcones. Et si enim non omnes neque multos, saltem paucos lucrabuntur, & ad salutis iter reducent.

EPILOGVS.

Pontifex verus Dominus noster Iesus Christus, & is maximus, officio suo satisfaciens, docet in templo, veritatem adserit, mendaces Scribas confutat, & obliuatos Phariseos increpat, Ecclesie prelatus exemplum quod imitentur, præscribens. Prædica verbum, in sua oportune, importune argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, ait Apost. 2. Timoth. 4.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE
QVARTAE QVADRAGESIMAE
EPISTOLA.

Isaia 1.
Isaia 59.

Lauamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: &c. Finis Epistolæ: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat.

HAC Epistola tria proponit Propheta, quæ ad veram salutis rationem spectant, nempe: veteris hominis exploitationem, & inuestitionem noui, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, Ephes. 4. Coloss. 3. vt detur nobis benedictio cum lamentatione affectuosa, super Iudæorum mala culpæ multiplicata, & pœnæ comminata; ostendens non esse voluntatis Dei vt cæci essent & perirent. Ezech. 18.

Pars prima
vera penitentiæ
cessare à
peccatis.

Primò, Cessationem à peccatis, quæ prima est veræ penitentiæ pars. Neque enim vlla esse potest veræ virtutis operatio, vbi peccandi voluntas, affectus, & cupiditas animo imperant. Licet enim non fiat vt non aliquando venialiter peccemus, iuxta illud 1. Ioan. 1. Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosipfos seducimus, sed vt peccatum nobis non dominetur, & nos à lege Dei auertat, per gratiam Dei facile contingit. Omnia possum, inquit Apollolus, in eo qui me confortat.

1. Pet. 3.

Quod itaq; lauari vult peccatores Propheta, ad sacramentum baptismatis est allusio, cuius efficacia regeneramur & renouamur ad vitæ nouitatem: non quidem vt quories peccamus, toties baptizemur, vauis enim tantum est baptismus, Ephes. 4. sicut Christus semel tantum mortuus est, Rom. 4. ideoque impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S. gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi futuri, & prolapsi sunt rursus renouati ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui

ostentui habentes; sed quia nisi ille, scilicet baptismus, præcefferit, cætera pœnitentiæ opera non prodesse. Fit enim præcedente baptismo; vt efficax sit subsequens pœnitentia. Neque enim, inquit Augustinus cap. 33. lib. 1. de nuptijs & concupiscent. aliquid prodest non baptizato dicere: dimitte nobis debita nostra. Atque ideo ne quis solum baptismum sufficere putaret, addit: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersæ*. &c. Quæ cum emphaticâ dicantur à Propheta, pulchrè omnè iustitiæ perfectionem cõplectuntur, atque omnem hypocrisim damnant: quibus hoc solum propositum est, vt coram hominibus iustitiam simulent. Docet enim non operibus tantùm, quæ ab hominibus spectari possunt, sed ipsis quoque cogitationibus veram iustitiam perfici. Cogitatio nanque fons orationis & operationis: quæ si, vt habet D. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 3. bona sit, mentem & actiones purificat: si verò mala, mentem & actiones inquinat. Sed cum ipsa boni cogitatio nõ sit in nostra potestate, 2. Corinth. 3. vt etiã ostendit Augustinus de bono perseverant. cap. 8. nec eam habere possumus, nisi ab illo qui cordi humano sanctas dat cogitationes, per quas habeat fidem quæ per dilectionem operetur: quomodo præcipit Propheta vt malum à cogitationibus auferamus, nisi inquit August. ita intelligamus gratiam prædicari, vt tamen non negetur arbitrij libertas, quæ gratiæ cooperatur? Siquidem iuxta Bernardum, nec liberum arbitrium sine gratia, nec gratia sine libero arbitrio esse in homine potest.

Pœnitentia inefficax sine baptismo.

Cogitatio fons orationis & operationis.

Arbitrij libertas gratiæ cooperatur.

2. Secundò, Proponit ipsam iustitiæ perfectionem cum enumeratione virtutum, dum ait: *Discite benefacere, quarite iudicium, subuenite oppresso, indicate pupillo, defendite viduam.* Quæ licet solis videantur à Propheta iudiciis præscribi, quorum mores corruptissimos satyrica planè libertate toto capite perstringit; omnibus tamen ex æquo conueniat, quasi dicat: Cum tanta sit in vobis prauitas malitiæque, vt omnia vestra opera Deo nauseam pariant, vt sunt festiuitates, neomeniæ, sababata, sacrificia; necesse est, vt si placere ei velitis, eiusq; vobis gratiam conciliare, discatis benefacere, bonas facere vias vestras & studia vestra, sancto: que cætus vestros reddere; nec corruptum naturæ instinctum, quæ prona est ad malum omni tempore, Genes. 6. sed præuenientem vos gratiam sequamini. Non enim potestis bona agere cum sitis mali, nisi didiceritis ab eo qui docet hominem scientiam, P sal. 93. Accidit autem hæc tanta benè agendi difficultas, tum ex vitio originali, tum ex studio prauæ voluntatis, Rom. 7. quæ nisi corrigatur gratia redemptoris, sublata malè agendi prauitate,

Difficultas bene agendi unde accidat.

uitate, nunquam ceteras quas Propheta præcipit virtutes faciemus: aut eo saltem sine quo iubentur, vt ad eum scilicet tantum referamus, qui omnis iustitiæ fons est & origo.

Iudicij æquitas omnibus præcipitur.
 Præcipit autem omnibus, nempe iudicibus & priuatis, iudicij æquitatem, qua non tantum cuique quod suum est, ex iure discernitur, sed qua proximi actiones quadam epiceia rectè interpretamur, quatenus charitatis lex permittit, quæ in rebus adiaphoris non cogitat malum, 1. Corinth. 13. mala verò quæ sine adulatione laudari nequeunt, iuxta verbum Dei iudicat, 1. Corint. 4. Sunt enim priuata iudicia meritiò in scripturis prohibita, Luc. 6. quia sunt plerunque temeraria, falsa, & iniusta, vt potè quæ ex affectu potius quàm vera ratione proficiscantur. Cætera verò quæ de subuersione oppressi, iudicio pupillorum, & defensione viduarum dicuntur, ad iudices tantum spectant, quorum est subuenire ijs qui potentiorum calumnijs opprimuntur, Isa. 1. Iaco. 1. Sed heu, Pupillo non iudicant, causa viduæ non ingreditur ad eos, Isa. 1. Væ qui condunt leges iniquas, &c. Esa. 10. Et Ecclesi. 35. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, &c. De ijs in superioribus concionibus abundè satis dictum est.

Furores hereticus bonis operibus destrahere.

3 Tertiò, Contra nostrorum hæreticorum furores qui omnem dignitatem bonis operibus derogant, docet Deum non tantum ex misericordia, sed quasi iure quodam velle astringi ad reddendam virtutibus suam mercedem, dum ait: *Venite, & arguite me.* quasi dicat: Sistite me iudicio, accusate iniustitiæ, scribite dicam, & iure mecum agite. Si nimirum vobis quod rectum est facientibus nõ reddidero mercedem, paratus sum quam tuli, subire legem; iniustus haberi volo, vt ipsos iniustos esse pronuntio, qui operariis mercedè denegant, Deut.

Dei ingens misericordia.

24. Leuit. 19. Eccles. 34. Vide Dei obsecro benignitatem, misericordiam, & elementiam, qua non solum peccata non punit, sed ad pœnitentiam inuitat. Pœnitentibus veniam tanta facilitate concedit, vt velit etiam, nisi faciat, iniustitiæ accusari, ac ne quem desperatio terrere posset ex scelerum grauitate, numero, & magnitudine, spem facit remissionis & gratiæ. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra vt coccinum, sanguinea scilicet & impura ex conscientia prauitate, quasi nix dealbabitur.* Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor: & si fuerint rubra vt vermiculus, vel ostro similia, quasi lana alba erunt.*

Promissio noui testamenti.

Hæc est promissio noui testamenti, quam Christus adueniens copiosissimè adimpleuit, mundans nos à peccatis nostris in sanguine suo: cuius efficacia ab ipso instituta sacramenta potissimum regenerationis & reconciliationis peccatis purgandis inseruiunt, & veram iustificationem restituit,
 vt ex

¶ *ex filiis iræ sint abluti, iustificati, & sanctificati, hæredes Dei, & cohæredes Christi. Tales enim nos efficit suis numeris absolutos pœnitentia, quæ non tam fide quàm virtutum operatione constat.*

Lamentatio Isaiæ super auersionem Iudaicam plenius referri potest ad passionem Christi, quando omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. Psal. 13. Hieronym.

EPILOGVS.

Cælestia & terrena prouocat Isaias propheta diuinus, & vsque ad miraculâ veridicus, in testes, super Iudæa scelera, pro quibus Deus illius execratur sacrificia, qui talia accepta non habet, quæ manibus impuris offeruntur, teste Chrysostomus aduersus Iudæos. orat. 4. & ad pœnitentiam illam reuocans, typicè admonet futuri lauacri, ut sic à spiritali suo meretricio munda fiat, quo prius iram Dei erga se prouocabat, ad id, ut Deus dolens diceret: Hæu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis, &c.

FERIA QUARTA HEBDOMADAE
QUARTAE QUADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Et præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate, &c. Finis Evangelij: At ille ait: Credo Domine. Et proci dens adorauit eum. Ioan. 9.

COMPLECTITVR hæc historia mysterium gratiæ nobis testamenti, quæ facta est per Christum, qui venit in hunc mundum, ut illuminaret omnes qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, Luc. 1. hoc est, ut Paulus loquitur, peccatores saluos faceret, 1. Tim. 1. Nā ea de causa se à patre missum esse testatur. Deinde quàm dispares sint subsecuti effectus, nempe, quod qui cæci erant, iam videant: & qui videbant, cæci sint. Exemplum hîc de cæco & Pharisæis, & alibi in Magis & Herodes; & passim in turbis & Pharisæis. Cuius rei figura etiam fuit in Saule, Dauide & Ionatha. Agit autem potissimum hoc Euangelio Christus quinque.

1. Primò, Præteriens Iesus, habita prius summo diluenteo apud Iudæos in templo concione, absolutaq; adultera, à loco facto egressus, ut sui absentia Iudæorum furorem mitigaret, ostendit insignē suam clementiam erga cæcum, quem præteriens dignatur placido aspectu intueri, quo Petrum negantem, Luc. 22: Magdalenam pœnitentem, Luc. 7. & Latronem confidentem, Luc. 23. aspexit; implens hoc Davidicum de se dictum, Psal. 10. Oculi eius in pauperem respiciunt. Docens nos hoc facto, ne vnquam oculos compassionis deflectamus ab vilo paupere: sic enim fore, ut nec auertatur à nobis facies Domini. Vulgo enim dicitur: Vbi amor, ibi oculus.

Christus exemplum compassionis in pauperes.

Ex miseria mendicorum visa, nascitur compassio, & inde sequitur

quitur eleemosyna; quare & multò satius esset videre inopum miserias, quàm diuitum delicias. Sed sunt qui ad vana & turpia oculos deflectunt, pauperes verò dedignantur & horrent ac refugiunt. Talem legis fuisse diuitem illum, ante cuius oculos iacuit mendicus ille hulcerosus, Luc. 16.

Vidisse ergo hominem cæcum dicitur, quia eius miserus est. Est enim Christi videre idem quod misereri, ait Cyrillus. Hinc Psaltes orabat Psal. 29. Ostende faciem tuam, & salui erimus. Item: Aspice in me Domine, & miserere mei. Vidit quoque quia studiose eum respexit, quasi aliquid magni circa ipsum operaturus. Sic Ioan. 5. vidisse dicitur paralyticum. Nimirum Deus opt. max. non detrectatur videre, si est ex nobis intelligens aut requirens Deum, & oculo suæ bonitatis contemplari, qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, Ezech. 18.

Allegoria.

Felix ergo miser peccator, què oculis benignitatis suæ respicit Iesus. Cùm enim omnia humanæ naturæ collata beneficia sint merè gratuita; Quis enim prior dedit illi, vt retribuatur ei? Rom. 11. tum maxime incarnationis mysterium, cùm nulla re magis quàm hac commendetur Dei misericordia, qua nos ille prior ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum primorum parentum vitio excæcatus, & originalis iustitiæ thesauro spoliatus, suo aspectu dignatur: atque ex massa perditionis sibi filios, hæredes, & cohæredes regni deligit, quibus gratia fidei secundum propositum voluntatis suæ prædestinatis, vocatis, & iustificatis, tandè amissa restituetur merito crucis & incarnationis, dum visum restituet, non illum tantum corporeū, sed spirituale, vt verum Deum agnoscat, non tantum hîc per speculum & ænigma, sed facie ad faciem gloriam Domini speculando.

*Discipulorum
crassa igno-
rantia.*

Tum etiam ostendit insignem suam clementiam erga discipulorum crassam ignorantiam, qua credebant antè Deum peccatum vlisci, quàm ab homine perpetraretur: sed quia audierant ægritudinem peccatis imputari à Christo, Ioan. 5. quando dixit languido ad Probaticam piscinam curato: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: item què considerabant, Deut. 25. maledictiones & infirmitates ob impietates immitti, arbitrabantur eam propositionem esse vniuersalem. Quamobrem putant quòd cæcitas ista ob peccatum illi fuisset immissa: sed dubitant cuius id peccato euenerit, num ipsius cæci, aut parentum ipsius, quòd Deus sit zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios, & etiam quia scripturæ peccatis parentum affligi filios docent, Exod. 20. Deut. 28. Ezech. 18. Huic enim (vt patientiæ, & mansuetudinis exemplum exhiberet omnibus erga subditos,

subditos, infirmitate & ignorantia laborantes, ut monet Apostolus ad Galat. 6.) respondet, ita ut & parentes & filium à peccato excuset. d. *Neque hic peccavit, neque parentes eius, ut eacus nasceretur.* Non enim punit Deus liberos ob delicta parentum, neque parentes ob delicta filiorum, quemadmodum docet lex, Deut. 24. nisi filij parentum emulentur vitia. Non sic tamè excusat, quasi peccatores non fuerint, omnes enim peccauerunt, & non est iustus in terra, qui non peccet: Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Et facti sumus immundi omnes nos, ait Isaias: Nec est qui faciat bonum, inquit Psal. vsque ad unum. Sed tantum negat cæcitatem fuisse pœnam alicuius sceleris; ut multis subinde calamitates sunt pœnæ scelerum, ut Dauidi, Manasse, & Sauli accidit. *Sed ut manifestetur gloria Dei*, qua solet exercere suos vel ad probationem, ut Iob & Tobiam, Tob. 2. & 12. vel ad exercitium virtutū, ut Paulum, 2. Corinth. 12. vel in meritum peccati, ut paralyticū, Ioan. 5. Mariam sororem Moysi, Num. 12. & Oziam regem, 2. Paral. 26. vel ad Dei gloriam, ut Lazarum, Ioan. 11. & hunc cæcum; de quo sic addit Christus: *sed ut manifestentur opera Dei in illis: ut scilicet Christus, eum illuminando, innotescat filius Dei, & verus Deus.* Nam quorum est eadem operatio, eorum est & eadem natura: & quorum est diuersa natura, ipsorum quoque est diuersa actio. Cū igitur opera Christi sint opera Dei, docet utique se verum Deum. Proinde Ioan. 10. sua opera patris esse dicit his verbis: Si non facio opera patris mei, nolite credere. Pater in me manens, ipse facit opera, Ioan. 14. Facebant ergo qui Christum patri æqualem esse negant.

*Calamitates
cur immig-
tantur.*

Errant ergo qui putant afflictiones hominibus fortuito casu accidere, & prouidentiam tollunt, quasi scilicet circa cardines cæli versaretur Deus, nec nostra consideraret. Castigat enim omnem filium quem recipit, ex immensa misericordia sua, non ut perdat, sed ut inde glorificetur. Ergo qui impatientia crucem à se abiicit, gloriam Dei reijcit. Patienter ergo toleranda, Iob 1. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factū est: sit nomen Domini benedictum. Tob. 2. Nam cū ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Vide etiam Hebr. 12. Iac. 1.

*Afflictiones
fortuito non
accidunt.*

Facit hic locus contra temeraria hominum iudicia, qui statim cū huiusmodi monstra naturæ videmus, homines iudicia temerarios quibus talia acciderunt, cōdemnamus. Exemplum eius varia fidelibus iudicij habes in amicis Iob. Obseruandum tamè temporali fugienda.

pœna nonnunquã filios ob peccatum parentũ puniri. Vnde lepra de domo Giezi nõ defecit propter Simoniacã auaritiã Giezi, 4. Reg. 5. Sic tulit pœnam patris Chanaan, Genes. 9. Sic populus Israël percussus fuit pestilentia ob superbiam Dauid in numerando populum, 2. Reg. 24. Sic filij Israël stare non poterant coram hostibus ob peccatum Acham, donec esset extinctus, Ios. 7. Puer natus Dauid ex Bersabee, ob parentum peccatum mortuus est, 2. Reg. 12. A Roboam ablatae sunt 10. tribus ob patris idololatriam, 3. Reg. 11. De domo Ioab non defecit sanguinis fluxum sustinens, leprosus, cadens gladio, & indigens pane, ob traditiones per eum factas, 3. Reg. 3. Huiusmodi tamen pœnæ bonis cedunt in coronam, iis verò qui imitatores sunt paternorum scelerum, in contumeliam, nisi resipiscant, & tunc sunt in purgationem. Semper enim mali bonis mixti sunt. Vnde 4. Reg. 24 dicitur: Et addidit furor Domini irasci contra Israël; quo claret, peccatum Dauid non singularem causam fuisse illius plage, sed & populi. Sed quoniam iudicia Dei in temporalibus pœnis infligendis nobis sunt incognita, non statim oportet tales miseros temerè condemnare, aut iudicare.

*Opera Dei
qua sint.*

2. Secundò, Miraculum facturus, doctrinam imparrit, qua illuminantur mentis oculi, cuius illud typus fuit. *Me oportet*, inquit, *operari opera eius qui misit me, donec dies est.* Quibus verbis aduentus sui causam aperit, nempe vt doceret ignaros, consolaretur afflictos, & succurreret miseris. Hęc enim sunt opera Dei, vt contra, opera legis sunt terrere, iudicare, & damnare, quæ ministratio mortis appellatur à B. Paulo, 2. Corinth. 3. Sed vt ab hoc maledictio nos redimeret, aduenit Christus, in quo perseuerauit donec dies esset, id est, vitæ tempus à patre præfinitum tulit.

Quod verò ait: Veniet autem nox, quando nemo potest operari, his verbis occultè passionis suæ breui compleendum mysterium significat. Aut si ad allegoriam transferre voles, significat tum cui libet esse rectè agendum, dum licet auxilio gratiæ frui. Diem vocat, aut tempus quo hoc in mundo præsens fuit, cuius ipse lumen est & verus sol iustitiæ. Psal. 111. Exortum est in tenebris lumen rectis. Isa. 9. Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Ioan. 1. Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Aut dies tempus vitæ nostræ est, quo gratia nobis confertur, & mereri possumus. Quia Christus est nobis hodie & heri, iam tempus est gratiæ, sabbatum ex sabbato: oportet ergo vt Christum sequentes, dum dies est, benè operemur, 2. Cor. 6. Galat. 6. ne fortè nox occurrat. Quid scis an adiciant hodiernæ crastina vitæ tempora dii superi? Imò sustineamus operari

operari in nobis Dominum. Pater enim Christi operatur vsque modò, & Christus operatur, Ioan. 5. Operatur & Spiritus sanctus in nobis, Ezech. 36. 1. Cor. 12. 2. Cor. 1. Dies operosus ille tenet, vt ait S. August. vsque in finem mundi, quia ad opera bona omnes sumus vocati. Nam in nocte, id est, post vitam, rectè operandi facultas negabitur, dum ligatis manibus & pedibus proicientur in tenebras exteriores. Nox in qua nemo operari potest, est futurum tēpus, in quo fidei, laboris, pœnitentiæ, & meriti locus non erit. Hic tempus est seminandi: post hęc vitam in futuro seculo erit tempus metendi. Lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem ceciderit, ibi immobile iacebit. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Psal. 6. In inferno quis confitebitur tibi? Proinde Ecclesiast. 4. Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos reperire cibum. Eccles. 17. Ante mortē confitere, viuus & sanus confiteberis. Dies enim concluditur: norint igitur omnes quid sibi in itinere contingat. Quemadmodū (ait B. Effrem lib. 1. de compunctione cordis cap. 4.) Si quis viator iter arripit, discumbat media via, & dormiat vsque ad vesperum: deinde expergefactus prospiciat, quod iam clauditur dies, cum cœperit properare, efficiatur nubes, grandines, tonitrua quoque & fulgura, ac pressuræ eum vndique conturbationesque circudent, ita vt neque ad mansionem valeat peruenire, neque quoquam, sequente tempestate, se recipere. Sic & nos si in hoc tēpore negligamus pœnitentiam, veniet vtique nox futuri seculi, qua viam nostrā prosequi non poterimus, sed vltionem sustinebimus. imò qui non hîc exquisierit, & adeptus fuerit vitam animæ, diuinum lumen spiritus, migrans è corpore, iam segregatus in sinistra tenebrarum loca, in regnum calorum non ingrediens, ait d. Macarius, hom. 30. de renascentia ex spiritu. Vel, donec luce Euangelij dirigimur, facillè licebit, accedente Dei gratia (nam sola Euangelij cognitio ad hæc non sufficeret) fructus producere Spiritus sancti, qui sunt charitas, patientia, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, mansuetudo, modestia, fides, &c. Galat. 5. Ipse enim Christus quàm diu est in mundo, lux est mundi, illuminans omnem hominem. Nemo enim nisi per illum illuminatur, vt scilicet filius Dei fiat is qui credit in nomine eius, amplectēdo fidem qua prædicationi verbi Dei credat: & charitatem, qua præceptis obsequatur. Hi sunt enim effectus cœlestis huius lucis, quam pater in mundū misit. Atque vt hanc doctrinam, qua rationem naturæ superat, in animis suorum cōfirmaret Christus, eam præclaro confirmat miraculo.

3 Tertiò, Cum hæc dixisset, expulit in terram, & fecit lutum ex spūto, & luitis

Nox que fit.

liniuit lutum super oculos eius. Quid istud? An non cachinum mouerit hic textus Anabaptistis, maximè verò Caluiniano Besze, quòd Christus cæremoniis utitur? Nimirum omnes isti Antichristi præcones Christum & eius sponsam Ecclesiam calumniantur, quòd cæremonias ad patrandas curationes accersant. Proclamant illi præstigias, incantationes, Pompilij Numæ inuenta, magicas imposturas, imò & omnis impietatis fæces. At quò hæc temeraria serpit oratio? quò tam proterua sese ingerit audacia? Nimirum in Christum opt. max. qui etiam huic curando cæremoniis utitur: qui vno verbo, imò nutu huic lumē restituere poterat. Quis neget hæc omnia cæremonias esse? Expuit, lutum fecit, liniuit oculos, ad Siloë natoriam misit. Taceat igitur impudētissimi canes hereticit: aut saltē se in Christū blasphemare intelligant. Summatim, quòd sputo lutū faciat, cæci oculos liniat, & ad natoriam Siloë cæcū mittat (est enim Siloa fons ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis ebullit per concaua terrarum) vt eat, lauet, & videat, hoc vt grauissima & præcipua fidei nostræ symbola commendaret, fecit. Cùm enim sæpius longè maiora solo verbo, miracula perfecerit, hic tamen variis utitur cæremoniis, ne prorsus eas in sacris religionis nostræ mysteriis contemneremus, aut (vt solent impij Enthusiastæ) imaginariam tantum religionem somniaremus. Potuerat ergo Christus sine vllis externis cæremoniis visum reddere, sed noluit: vt discamus, etsi aqua exterior, & cæremoniæ non efficiant salutem, non vult tamen hæc à nobis intermitti. Sic Moses lignum quod Dominus ostenderat, in aquam misit amarissimam, & in dulcedinē versa est, Exod. 15. Heliseus sal misit in aquam, d. Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & nō erit in eis mors, neq; sterilitas, 4. Reg. 2. Sic in Ecclesia sacerdotes benedicunt aquam sale mixtam, 1. Tim. 4. Omnis creatura Dei bona est, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Cæterum præter hoc quòd cæremonias in Ecclesia sua cōfirmabat, rationes huius facti mysticas expēdamus. Sputum ceu saliuā à cerebro fluit: Christus à patre genitus est. Sic enim verè de eo sub nomine sapiētiae dictum est, Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodij. Lutū verò de terra eiusdē humanitatem insinuat de sacrosancta Virgine sumptam, vt dicitur Psal. 84: & Isaia 53. Et ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitientis. Expuens autem in terram, lutum fecit, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Ioan. 1. Et vt sputum luto, ita diuinitas sese humanitati in vna hypostasi coniunxit. Hoc remedio vnguntur oculi cæci, vt olim felle piscis oculi Thobiaz, quòd Christi incarnatio & meritū,

nostri

Siloë quid sit
& signat.

Cæremoniā
pia assertio.

nostri cordis oculis impositum, imò quicquid ipse egit in carne, nostræ menti additum, eam illuminet. Quòd tamen vnctus nondum videt, quin prius ad natatoriã Siloë veniat, & ibi lauet, docemur nihil proficere ad salutem Christũ nosse, nisi ad lauacrum regenerationis & renouationis sacrum nimirum baptisma accedamus. Facit & denominatio piscine ad mysterium: dicebatur enim Siloë, quod est interpretatum missus, ait Euangelista, vt verè hoc nomine Christum insinuet, ait Basilius in cap. Isa. 8: quod à Christo, tanquam fonte & scaturigine abundet baptisma. Vnde & mysticè ex eius latere morientis effluxit, vt docet Cyprian. serm. de Cœna. Nimirum Christum missus est à patre, qui antiè promissus fuerat. Huius igitur piscinam & natatoriam catechumenum adire oportet, & lauari in ea: nimirum sacro tingi baptismate, vt expulsis peccatorum tenebris, omninò illuminetur. Hinc est quod subdit Euangelista, Christum cæco dixisse: *Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus.* Siloëm fontem (inquit Epiphanius libr. de vitis & interitu Prophetarum) Deus causa prophetæ Isaiaë effecit, quoniam priusquã moreretur, pusillum peccatus est, vt vndas illic effingere dignaretur. Et confestim demisit illi cælitus aquam viuentẽ, vnde fortitus est locus appellationem Siloë, quod si quis interpretetur, sonat demissum. Eoquẽ ad hodiernũ vsque diem aqua eructatur clanculum, quo significetur mysteriũ. Summatim, reddunt nos vera hæc signa, quibus vitur Christus, certos de diuinitate & sanctificatione vnita humanitati *vnos alios*: qua veluti organo est vsus ad reparationem humanæ nature, occultam voluntatis suæ rationem explicans, quam scilicet vim & energiam Sacramentis Ecclesiæ suæ esset collaturus. Quæ noluit nuda tantum esse signa, sed efficacia, quæ animũ purgandi, sanandi & sanctificandi vim haberent, non ex materiæ qua constant, natura, sed verbi potentia: nam accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, inquit B. August. Expuit igitur Christus, vt aduertat quòd omnia eius interiora lumen sint, & quòd verè videat qui Christi mundatur internis. Saliva ex capite, proueniens diuinitatis virtutẽ significat, ex ore altissimi prodeuntem, Eccli. 24. Vt enim lauat saliva, ita & sermo, Ioan. 13. Iam vos mundi estis propter sermonem. Denique quòd lutea nostra caro per baptismi sacramentum æternæ vitæ lumen accipiat; luto vti voluit, ad primam creationem alludens, vt se creatorem declararet, qui visum ex luto, primæ creationis exemplo, creauerit, Gen. 1.

Observabimus: Sicut Deus tum temporis quo Christum sacrum baptisma instituturus erat, maxima miracula in aquis edidit piscinæ, Ioan. 5: eo quidem modo hoc factum sacro

*Voluntatis suæ
oculũ rationem
explicat
Christus in
cæci illumina-
tione.*

*Saliva quid
significet.*

*Lutum quid
præsignet.*

baptismati respondere peroptimè potest. Cæcus enim humanam insinuat naturam, cæcitate peccati & ignorantia affectam: cum interim iustitia morum, & agnitione doctrinæ, velut duobus oculis, vir Christianè dirigatur. Christus præteriens vidit cæcum hunc, qui nostræ peregrinationis viam ingressus, ubiq; omnia cæcis spiritualibus, peccatoribus scilicet, plena vidit. Nam omnes filij iræ nascimur, Ephes. 2. & in peccatis concipimur, Psal. 50. August. de fide ad Petrum. Rectè autem præteriuisset Christus dicitur, non stetit: quia in similitudine carnis apparuit, sed in via peccatorum non stetit, Psal. 1. Hinc est quod secundum alterius loci parabolam, Luc. 10. Samaritanus secus saucium venit. Quod enim ibi per saucium, hoc significatur hic per cæcum: & quod ibi dicitur, venit, hic, præterit. Vt ergo Christus curando cæco sputum luto immiscuit, & eo oculos liniuit: ita Christum suam diuinitatem nostræ terræ coniunxit, & id mysterium nostris oculis, vt collyrium, obiecit. Et vt vnctione vtitur in mysterij baptismalis typo, ita vnctionem in ipso baptismo commendabat. Et Basilius tom. 1. lib. de Spiritu s. cap. 17: Consecramus, ait, aquam baptismatis & oleum vnctionis, vbi acceptam hanc traditionem ab Apostolis censet: Quam etiam Clemens Roman. libr. 7. constit. Apostolic. cap. 42. explicat: D. quoque Dionysius Areopagita libr. Ecclesiast. hierarch. profusius deducit. Quocirca potes etiam quæ sunt in baptismo, cum hoc Christi factio sic expèdere. Non coactum mittit Christus ad Siloam, sed volens ille ad eam abiit. Sic nullus etiam cogitur ad baptismum, sed an credat, & quid velut primum in ipsis foribus Ecclesiæ ab eo queritur. Saliua oculi istius vngitur: ita saliuæ ori pueri admiscetur, in diuinæ sapientiæ tesseram. Vngitur iste luto: vngitur baptizatus oleo, quo spiritualis per Christum vnctio significatur. Lauatur hic in natatoria Siloë: lauatur & paruulus in baptismo. Effusus consequitur, quod venit iste videns: baptizatus verò tenebris peccatorum exiit. Gregorius Nyssen. lib. de s. baptismo, argumèto sumpto à luto, quo huius cæci oculi inuncti sunt, probat non vim naturæ, sed benedictionis, in sacramentis considerandam esse: non panem communem in Eucharistia, sed corpus Christi, vi benedictionis præsens: neque aquam elemèntarem in baptismo, sed illius consecrationem. Sic è virga mirabilia exeruit Moses, nimirum Deo hanc illi virtutem indulgente. Similiter, ait, vnus prophetæ indumentum quod erat ex pelle caprina, Eliseum toto orbe celebrem fecit. Et frutex rubi Moysi diuinæ apparitiones ostendit, Exod. 3. Item Elisei reliquiæ mortuum excitauerunt. Et lutum cæcum ex utero matris natum illuminauit.

navit. Atque hæc omnia cum materiæ sint inanimatæ, & sensus expertes, posteaquam vim Dei accepissent, magnis miraculis media intercesserunt. Hæc ille.

4 **Quartò**, Commendat insignem obedientiam & fidem in cæco, qui non secus atq; Abraham, contra spem in spem credit, dum ea in oculos recipit, quibus excæcatur potius quàm videret; & dum patitur se à Christo ablegari ad eas aquas, quibus sæpius esset usus, nullo pacto, vt Naaman, iussis Christi obtemperare recusans, 4. Reg. 5. *Nam abiit, & lauit, & venit videns.* Non reclamatur, non interrogatur, non dubitat, imò neque moratur, non quærit cur iniungatur ad Siloam lotio, cur præcesserit ex luto vnctio: hoc ipso docens, fidelium non esse quætere quomodo aut cur hoc, vt adnotat Iustinus martyr, lib. de Trin. Horum enim est audire & exequi quæ præcipiuntur, non curio se differere. Ea enim est veræ fidei natura, vt captiuè intellectum in obsequium verbi Dei, vt rationem humanam à consideratione corporearum rerum abstrahat, & vt verbo Dei lucenti tanquam lucernæ in caliginoso loco obtemperet, idque sequatur. Hæc enim nisi qui voluntatis suæ arbiter est, attulerit, nunquam sacramentorum Christi gratiam, sine qua salutem assequi nulli licet, consequetur: licet paruulus, qui originalis solus sunt rei peccati, alia ratione succurrat misericordia redemptoris, scilicet parentum & Ecclesie fide. Adulti verò, nisi præter fidem, obedientiam quoque attulerint, nihil vnquam præter ea quæ damnationem augeant, assequuntur. Contra verò qui obice remoto prauæ voluntatis, verbo Dei obediunt, & veræ penitentiae lachrymis se lauant, hi demum sacramentorum efficaciam ex merito sanguinis Christi profluentem in se recipiunt, ac vident ereptos sese de potestate tenebrarum, & translatos in regnum dilectionis filij Dei, Coloss. 1. Ac ne ingrati sint gratiæ Dei, eam contra omnes aduersarios fidei tuentur, Christum prædicant, nec verentur, vt hic cæcus, inuidiam mundi, magnatum indignationem, quibus Christi gratia semper ferè est odor mortis; sed magna constantia ad mortem vsque tuentur: licet capitis subinde periculum esset subeundum.

Itaque vicini & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebāt, quia hic est: alij autem, nequaquam, sed similis eius est. Ille verò dicebat, quia ego sum. Vt enim ciuitas supra montem sita, & lucerna super candelabrum omnibus patet, nec abscondi potest, Matth. 5: ita neque Christi gloria. En scilicet etiam in Phariseorum & magnatum Iudæorum confusionem, non diuites sed pauperes isti vicini sensim signum hoc in paupere & mendico factum intelligere incipiunt. Obserua ex hoc loco Christum raros insignes

Obedientia & fides cæci.

Fidei natura.

Adultorum ea paruulorum dispar salutis ratio.

& præclaros ex Iudæis, sed ferè semper mendicos & pauperes curasse, vt doceret se maximè humilibus venisse, & nullam apud se personarum esse acceptationem. Obserua quoque cæci istius gratitudinem, vt qui palam prædicet & miseriam suam pristinam, & beneficium acceptum.

Dicebant enim ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natationem Siloë, & laua: & abij, & laua, & video. Nomine Christum indicat, quòd eius recognouerat vocem ex disputatione cum discipulis, & iamdiu nomen eius audiisset per celebrem famam signorum eius, quæ ex aliorum relatione didicerat. Cæterum veracem editi beneficij collati cõfessionem & narrationem, & si sileat Christum in terram spuisse. Hoc quippe non viderat, senserat tamè lutum factum oculis suis impositum; proinde quod sciuit, expressit: suo hoc exemplo nos admonens, & cecitatem priorem agnoscere & eam fateri, beneficiumque à Deo acceptum per illuminationem intellectus nostri, & peccatorum remissionem semper agnoscere. Sic Paulus, 1. Timoth. 1. Fui, inquit, persecutor, blasphemus, & contumeliosus, sed misericordiã consecutus sum. Et cum Iudæi obstupescerent, & eo illuminato dicerent: Nonne hic est, qui captiuos ducturus erat in Hierusalem? liberè respondebat se eum esse: sed Christi beneficio à cecitate ignorantia purgatum esse.

Dicebant ei Iudæi: Vbi est ille? Ait, Nescio. Nam Christus semper recedebat post præstitum beneficium curationis: vt doceret ex benefactis nostris gloriam humanam fugere: imò neque mercedem quærere debere: maximè verò sacerdotes, qui spiritalibus morbis peccatorum medentur, non simoniacè pecunias pro sacramentorum administratione exigere: sed cum gratis acceperint, gratis dare debere. Math. 10.

Adducunt eum ad Phariseos qui cæcus fuerat. Debitum ordinem seruant. Præcipitur enim, Deut. 17. Si quid difficile & ambiguū enascatur, conferre se ad sacerdotes Leuitici generis, & quærendum ab eis vt veritatem indicent. Nimirum à Presbyteris discas sapientiam, Eccles. 8. Et ad verbum eorum omne pendet negotium, Deut. 21. Eorum igitur est probare spiritus si ex Deo sint, Et si quod miraculum aut factum inusitatum contigerit, an à Deo sit, decidere. Sed sacerdotes isti & Pharisei nescierunt scientiam: excæcauit eos malitia sua, vt hanc curationem non agnoscerent, minusque discernere possent. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Hoc addit Euangelista, quòd hinc calumniæ ausam traxerint Pharisei, ac si non liceret sabbato curare.

Ipsum ergo interrogabant eum Pharisei quomodo vidisset. Ille autem dixit

oie: *Lutum posuit mihi super oculos, & lani, & video.* Tametsi in ampliori quam prius, periculo constitutus cæcus, neque negat, neque contraria dicit prioribus, sed eadem succinctè constringit. Disce igitur istius exemplo nihil homines metuerent, quantumvis Christi inimicos, quin semper veritatem pandas, & Christi beneficia proficere, ut etiam idem admonet Christus, Matth. 10.

5 Quintò, Arguit impudètem Scribarum & Phariseorum inuidiam, malevolentiam, & cæcitatem, qui toto conatu eò ferebàtur, ut tantū hoc à Christo factū miraculū supprimerent. Nam non cōtenti cæci illuminati, parentum eiusdem, & vicinorum qui eum nouerant, testimonijs, & aperta confessione; audent tamen horrenda quadam mentis cæcitate affecti, calumniari, quòd sabbato Christus hoc fecisset: quare impij de Christo pronuntiant, ipsum non esse à Deo, sed peccatorem: adeò pleni erant rixarum, pleni inuidentiæ. Inuidia enim & incredulitas leuissimis rebus offendūtur, scandalum sibi fingunt vbi nullum est, omnemque lapidem tales mouent, quò facta præclara proborum obfuscent, vel certè aliò detorqueant. *Dicebant ergo ei ex Pharisæis quidam: non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* En quanta animi eorum cæcitas. Non aduertunt facti magnitudinem, sed qua data est blasphemix porta ruunt: literæ occidenti innitentes, non spiritui viuificant. Nam cum Dominus quiescere iubet in sabbato, hoc vtrique ut seruilia & quæ ad lucrum sunt opera abdicantes, spiritualibus, & quæ ad dilectionem Dei & proximi prodendam tendunt, vacemus. Tum enim ait Tertull. lib. 2. ad vxorem, visitandorum fratrum infirmorū gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire oportet. Sic, inquam, impij & veri iustitiarij, qui propria nituntur iustitiæ, se iustos, cæteros omnes peccatores æstimant: atque adeò sanctissima etiam facta calumniantur: vera pietatis opera, hypocritum iudicant: & quæ non nisi à spiritu Christi proficiuntur, dæmoni imputant. *Alij vero dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Adeò veritas etiam multos nanciscatur aduersarios, aliquos tamen inuenit, qui sibi faueant. Sic pridem Nicodemus (Ioan. 3.) Nemo potest, inquit, hæc signa facere, nisi fuerit Deus cum eo. *Et schisma erat inter eos.* Permissu autem Dei hæc discordia euenit, & eo ipso bona fuit, quòd impedimento fuerit coadunatos Pharisæos vno animo conspirare in Christi damnatione & præiudicium. Dabat & Christus Dominus in aduersarijs suis exemplum eius discordiæ quæ inter hæreticos Ecclesiæ suæ sponsæ inimicos futura esset, qua eorum, dum sibi etiam inuicem reluctantur, impetus frangeretur. Sic confusione lin-

Scribarum &
Phariseorum
impudens in-
uidia & ca-
citas.

Iustitiarj
philauit.

guarum immiffa, ceffarunt artifices à turris Babel ædificati-
one, Genef. 11. Hinc difcimus quoque aliquando difcor-
diam bonam eſſe, vtique inter infideles & hæreticos. Sic
Chriſtus Matth. 10. Non veni pacem mittere in terram, in-
quit, fed gladium. Sic Chore, Dathan, & Abiron plaga diui-
na ab inuicem diuifi ſunt, Num. 10. Sic Paulus cum Iudæos
in fe furere videret, vt & difcordia eorum impetum frange-
ret, compertum habens vnã partem eorum qui aderant ad
ſui accuſationem, Phariſæorum eſſe, & alteram Sadducæorũ;
Phariſæum ſe eſſe exclamauit, atque de ſpe & reſurrectione
mortuorum iudicari: ficque diſſolutũ eſt, orta inter eos con-
tentione, concilium. Videmus & hac tempeſtate rixantes ſi-
mul Zvvinglianos, Lutheranos, Caluiniſtas, Arabaptiſtas,
cæteroſque omnes, ad eò vt Deo dante ipſi ſemet, vt flucti-
bus accidit, obruturi ſint.

Dixerunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos?
Putant ſe hunc territos tot interrogationibus: ſed ille
quaſi iam gratiæ Dei rorem acceperit, conſtanter euadit. Ait
enim: *Quia Propheta eſt.* Ex vulgi ſententia hoc hauſerat, quòd
Chriſtum velut prophetam habebat, Luc. 7. Dicebãt turbæ:
Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. Sic illuminatum
verbo fidei nõ oportet huiusmodi calũniis cedere: ſed cõtrã,
forti animò perſiſtere, & iñibus aduerſariorũ reſiſtere, Chri-
ſti gloriã ſemper promouendo, contra fidei hoſtes acriter ſe
defendendo, Deum perſeueranter inuocãdo, ne ab ipſo deſe-
ratur, Ieſum Chriſtum filium Dei credendo, ſtrenuumque
eiufdem ſe militem conſtitendo, quemadmodum hic cæcus
inrepedè reſpondit: *quia Propheta eſt.* Non crediderunt Iudæi de illo
qui cæcus fuiſſet, donec vocauerunt parentes eius qui viderat: & interroga-
runt eos dicentes: *Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus natus eſt?*
Quomodo ergo nunc videt? Non vt verum eliciant & inſtruantur,
interrogant, ſed vt terreant parentes. Quemadmodum enim
qui urbem expugnare nititur, vbi vnã murorum partem
quã proſternere atque euertere tentauit, ad eò firmam eſſe
videt atque compãtam, vt eam diſſoluere atque ſubruere
nequeat, mox ad aliam partem quã imbecillior atque inua-
lidior apparet, ſuas transfert machinas: ſic Phariſæi vbi ſe
mouere cæcum, nec vno nec altero impetu potuiſſe vident,
parentes vt timidioreſ interrogant.

*Reſponderunt eis parentes eius & dixerunt: Scimus, &c. vſque: Iam enim
conſpauerant vt ſi quis cõſideretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Magna
hæc calamitas, cum hi qui recta decernere deberent, à recto
tramite ſecedunt. Nam dum fides infringitur & tyrannicè
regnatur, nec pater filio, nec filius patri in cauſa etiam veri-
tatis fauet, ne & ipſe in mortem euocetur. Nec enim niſi à
liberis

liberis veritas, aut consilium exquirendum est, non autem à terrore vndique concussis. Interim ex impio synagoge istius decreto, obserua idem ab hæreticis sancitum esse. Hi enim suos iuramento confringunt, ne ad Catholicam Ecclesiam reuertantur: si secus fecerint, à proditore ad hoc destinato ab illis pœnas luant. Optatus Mileuitanus suis in Armenianũ libris, idem hæreticos Donatistas factitasse cõqueritur: quos huius seculi Anabaptistæ in hoc sequuntur. Hæ quoque satanæ astutiæ, vt sic triformi suæ chimæræ captiuos alliger.

Vocauerunt ergo rursus hominem qui fuerat cecus. Cùm in altera parte murorum ad quam factus est oppugnationis transitus, non satis commoda videtur esse inuadendi urbem facilitas, rursus ad priorẽ partem fieri solet regressus: & acriori insultu nõuisque machinis instauratur ibidem oppugnatio. Ita vbi isti nec parentium quidem responsis nihil proficiunt, maiore impetu cecum istum interrogant. *Dixerunt enim ei: da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.* Manifestè dicere non audent: nega quòd Christus te curauit: eorum tamen verba hæc subindicant. Prætextu enim religionis ad hoc eum inducere volunt. *d. Da gloriam Deo.* Atqui hoc non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare, dicentes: nos scimus quia hic homo pec. est. Imò verò & ipsi peccatores erant, adeoque vt Christum aduertere, & in illius doctrinam, sicut nec filij Israël in facie Mosi, vt Exod. 34. dicitur, attendere nequeant. Matutinos enim solis ortus si quis spectare desiderat, emūdat prius oculos, ait Ambros. li. 1. Hexameron cap. 4: ita & qui Dei arcana comprehendere desiderat, prius oculos cordis expurget. Debuerant quidem Pharisei isti se peccatores & agnoscere & fateri, & veniam petere, vt Christi Iesu doctrinam assequerentur: at econtrà faciunt tenebras lucem, & lucem tenebras, se iustos arbitantes, Christum autem peccatorem esse dicentes. Atqui hoc non est ad veritatem inniti, sibi persuadere quæ è contrario se habent: nec se nec Christum nosse.

Dixit ergo eis ille: Si homo peccator est, nescio. Vnum scio, quia cum cecus essem, modo vides. Quia rabulæ isti magnates erant, timore percussus non audeat Christum peccatorem esse inficiari, sed id ipsum quasi ad se verum ne sit an non, non pertinens, nec sua facultate discutiendum, remittit: ea autem quæ sibi & in se certissima & notissima sunt, astruit. Quòd autè tot verbis hominẽ vincere non possunt, ad priores redeunt sermones.

Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi: vsque. Nunquid vultis discipuli eius fieri? q. d. Inaniter loquor vobis, nisi forsitan, vt eius acta perscrutamini, ita eius discipuli fieri velitis. Si enim velitis, licet altiora scrutari. En vt fortis est veritas, & imbecille mendacium,

cium. Nam veritas ipsa etsi despectos assumpserit, claros eos facit & ostendit. Mendacium autem etsi cum fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat. Super omnia enim vincit veritas, & inexpugnabilis eius arx & munitio, 4. Esdr. 4.

Maledixerunt ergo ei, &c. vsque: Hunc autem nescimus vnde sit. Illorum utique maledictio, benedictio est. Maledictio autem dicitur, quod malo animo pronuntietur: & si tamen bonum sit discipulum esse Christi. Maledictum hoc utinam veniat super nos Christianos, ut discipuli Christi simus. Liberè sanè id dicimus, sicut & Rebecca filio Iacob timenti, se, dum Esau fingit, maledictionem à patre accipere: In me sit, inquit, maledictio ista fili mi, Genes. 27. Impletur quippe in Phariseis, quod Dominus Malach. 1. dicit: Benedicam maledictionibus vestris. Et Psal. 108: Maledicent illi, & tu benedices, &c. Sic Numer. 22. cum Balaam à Balach rege conductus, Israëlī maledicere putat, ipsum benedicit. Cæterum detestabilis malitia eorum. Nomen enim Mosi prætexunt, eiusque se discipulos dicunt, ut discipulatum Christi aspernentur. Quasi verò aut que Moses præcepit obseruēt: aut Moses honorem nullum Christo deserat. Moses utique, Leuit. 19. prohibet maledicere surdo, nec cæco ponere offendiculum: illi autem & Christo absenti maledicunt, & cæcum istum credentem à fide auertere nituntur. Moses Exod. 27. prohibuit sanguinem fundi innocentis: illi Christi iusti sanguinem sitiunt. Moses Deut. 18. iussit Deum adorari, & ei suam gloriam reddi: illi autem signum in cæco calumniantes, Dei virtutē extenuant & negant. Et utique eò grauior est eorum damnatio & iniquitas, quod Dei, qui ei ore ad os locutus est, Num. 12. Exod. 33. præcepta negligunt: Itē quod Mosē de Messia Deut. 18. loquentem non attendunt. Demum quod aiunt nescire se vnde sit Christus, apertè mendacij conuincuntur, cum prius dixerunt, Ioan. 7. Hunc scimus vnde sit. Norunt utique & Christi matrem, & eum è Nazareth esse: norunt & cognatos eius; sed eum nescire se dicunt per contemptum, quod humilitatem & paupertatem eius despiciāt, qui diuitias colere eisque se deuouere nouerant.

Obseruabis hinc tria in hæreticis, qui in his omnibus Phariseos Christi inimicos imitantur. Primò magnum nobis factum putant opprobrium, si nos Papæ & Ecclesiæ Catholicæ discipulos vocitarint: hoc ipso nos detestabiles habentes, quod nobis gloriosum esse fatemur, cum in his reluceat discipulatus Christi. Deinde gloriuntur semper & illi se discipulos esse Christi, sicut & Pharisei se Mosi: cum interim mitis sit Christus, illi immites, sanguinarij, sicarij, proditores, &c. Christus inimicos etiam diligendos docet: illi etiam parentes

rentes & amicos perimunt, hoc ipso solo quod eorum heresim non amplectantur. Christus denique superioribus Ecclesiæ potestatibus parendum monuit, quod illi omnibus viribus detestantur. Tertio obseruanda eorū mendacia aperitissima, sicut & Phariseorum. Sicut enim illi se nescire mentiuntur vnde sit Christus, sic hæretici impudenter asserunt se nescire vnde sit nostra Ecclesia: quasi verò non à primis Ecclesiæ patribus, martyribus & Apostolis continua successione profecta sit.

Respondit ille homo, &c. vsque: hunc exaudit: Hic cæcus Phariseorum mentem intellexisse videtur. Nam quod Christum in qua virtute operaretur, diffiderent, hunc dixerunt nescimus vnde sit: iste verò probat à Deo esse, præmittens tritissimū axioma, quasi sic erecta ratiocinatione: Deus peccatores non exaudit, sed sui cultores, & qui eius voluntatē seruant: Atqui hunc exaudit Deus, cum eius virtute me cæcum natum illuminauit: nō est igitur peccator vt dicitis, sed Dei cultor, cuius etiam voluntatem facit. Proinde mirabile est quod vos legis doctores, prophetarum interpretes, & qui vobis clauem scientiæ vendicatis, nescitis vnde sit: quasi non à Deo sit: quasi verò non patratum miraculum vos etiā manu ducat ad illius virtutis cognitionem. Obseruandū hīc quos peccatores Deus non exaudit: nempe obstinatos in delictis; de his enim loquitur Isai. 1. Cū extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cū multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestre sanguine plenæ sunt. Item Thren. 3. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. Nubes autem illa peccatorum densitas est, & in his obstinatio. Si tamen aliquem pœnitet, & is corde cōtrito ad Deum accedit, nube fracta & discussa, ad Deum oratio eius peruenit, & exauditur, Ezech. 18. & 33. vt August. docet tract. 34. in Ioannem. Sic Luc. 7. peccatrix exaudita est. Sic Publicanus, Luc. 18. abiit iustificatus in domum suam. Sic Manassis misertus est, & regis Achab pœnitētis, cū 3. Reg. 22. Heliæ dixerit: Nunquid vidisti Achab humiliatū coram me? Et Christus ipse Matth. 6. Sic nos orare docuit: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sequitur: *A seculo non est auditum, &c. vsque: non poterat facere quicquam.* Solius quippe Dei est, & cæcos illuminare, & mortuos suscitare, cum vtrisque desperata sit salus hominibus. Sed neque demones id possent, cū in homines immortales gerant inimicitias, nec illis benefacere, sed nocere studeant. Imò & si in homines beneficiā exercere vellēt, non possent tamen, nisi Deo indulgente. At hanc beneficentiam permittit malis spiritibus in vindictā, vt qui Christi & electorum

electorum miraculis non credunt, dum operibus Antichristi (cui Deus virtutem magnam permittitur, Apoc. 12) seducentur, magis condemnentur: bonis verò ad salutem. Iudæi quippe qui suam redemptionem & salutem proximam esse ex his miraculis colligere debuerant, magis indurescunt: & cuius maiestatem venerari deberent, eum blasphemis & opprobriis persequuntur. Pharisei ergo nec cæci nati exhortationibus & viuis rationibus mouentur, quin potius responderunt & dixerunt ei: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* En ut elato supercilio se doctores & iustos ostentant, impie & temerarie iudicantes istum in peccatis totum esse natum. Atque temeraria hæc iudicia à nobis vitanda sunt. Istum calumniantur quod cæcus natus sit: ipsimet cæci & duces cæcorum. Item quod in peccatis natus sit, ipsi sordentes dolo & rapina, cum essent velut sepulchra dealbata. Tale utique est superborum supercilium. Si quando enim eos quis inuestis conditionis homo, imò & æqualis, de re aliqua commonefacere, aut quid coram eis interpretari velit, protinus velut aper dispumant, motoque stolido capite, quid, inquit, tu doces nos? Atqui quandoque olitor est optima locutus. Prouerb. 1. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. *Et eiecerunt eum foras.* Sed Math. 5. Beati eritis cum vos oderint homines & eiecerint, &c.

Audiuisti Iesus quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Qui propter Christum eicitur, à Christo inuenitur & excipitur: vt non ab omnibus relinquatur eum putemus. Interrogat autem an credat: vt qui corpore illuminatus erat, illuminetur & mente & anima. *Respondit ille & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Sola ignorantia, non malitia laborat: nec enim ad Iudæos Dei filij noticia, sed tantum vnus Dei patris noticia peruenerat.* Et dixit ei: *Et vidisti eum, oculis scilicet corporeis, & qui loquitur tecum ipse est.* Quæ verba eadem ferme sunt quæ ad Samaritidem dixerat, Ioan. 4. *At ille ait: Credo Domine, & prociens adorauit eum.* Nihil moratur, statim audito verbo credit, ommissis, imò contemptis Phariseis. Nec disputat fieri ne possit, vt Deus sit. Statim adorat. Cæci huius fortitudinem nos imitari oportet omnes.

Idcirco, inquit Cyprianus, non est derelinquenda Ecclesiastica disciplina, quia conuitijs infestamur, aut erroribus quatimur. Nec mouere nos debent conuitia perditorum, quo minus à recta via & à certa regula non recedamus. Sic enim fiet, vt tandem ab ipso confirmemur, quemadmodum hic cæcus est confirmatus, vt non solum crediderit, sed adorarit in templo. Et licet quis fuerit à parentibus consanguineisque derelictus, ob Christi confessionem, extraque synagogam factus, à

Aut, à Deo se derelictum putare non debet. Nam cæcus hic, à genitoribus ferè oblitus, & à Pharisæis reiectus, à Christo tamè suscipitur. hinc Dauid: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus autè assumpsit me.* Psal. 26.

EPILOGVS.

Senator noster Dominus Iesus in æternum benedictus, Hierosolymis hominem cæcum natum illuminauit, se lucis authorem ostendens, Ioan. 1. Sed cæcitas Pharisaorum, lucis hoc opus expauescens (agris quippe oculis odiosa lux est, inquit B. Augustinus, qua puris est amabilis) ex eo occasionem accepit contra Christum calumniosè cum homine qui cæcus fuit, disputandi, quem ingrati doctorem eos, & Iesu constans testimonium reddentem eiecerunt. Sed quos Pharisæicum supercilium è synagoga eiecit, Christus recipit in suam Ecclesiam. Ab impiorum enim communione secludi, inungi Christo est. Et qui propter veritatem & Christi confessionè opprimuntur, hi maxime à Deo honorantur nõ enim citinno apud Deum execratus est, quem homines execrantur, ait Chrysost. Inuenit ergo Iesus quos mündus perdit, colligit quos mundus projicit & derelinquit.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE
 QUARTAE QVADRAGESIMAE,
 EPISTOLA.

Facta est ergo dies quedam, & veniens diuertit in cenaculum, & requieuit ibi, &c. Finis Epistolæ: Tullitque flum suum, & egressa est.

4. Reg. 4.

IN præsentis Epistolæ historia proponit nobis sancta Mater Ecclesia ingens miraculum, quod edidit S. Propheta Heliseus non sua ipsius efficacia; sed gratia illi data, & orationis prærogatiua, matronæ sanctæ Sunamitidis puerum excitando, hospitalitati nimirum eius præmium rependens. Superadditur sæcunditas, & vnà cum marito ab omni synagogæ calumnia liberatur. Talis enim merces manet eos, qui de prophetis benè merentur. Sed sub velamine literæ grauissima sacramenta complectitur, & potissimum proponit quatuor.

1. Primò, Matrem familias morte filij consternatam, ab Heliseo solatium petentem & impetrantem, dum sese humili deiectione ad pedes Helisei in mote Carmeli agentem proiecisset: cui facta deuotior, de consensu mariti cenaculum paruum fecerat, in quo erat lectulus, & mensa & sella, & candelabrum; vt cum veniret ad eos. maneret ibi. Extorferat enim hanc humilitatem nimius de filij morte dolor. Fiducia ergo forti concepta de viro sancto, sperauit firmiter prophetam compotem voti fore apud Deum, & se per prophetæ intercessionem & merita filium suum rediuuium recepturam: quam cõ causam dixit, rectè etiam agi cum filio mortuo;

Deo

Deo quippe mortuus nemo, cui omnia viuunt. Quam dura prohibere Giezi veller, impeditur ab Heliseo, d. *Dimitte illam*, quemadmodum postea etiam dominus Helisei Christus, passus est mulierem peccatricem suis lachrymis pedes sibi lauare, & capillis extergere, osculari, & vngere, coarguens Iudam obmurmurantem, & dicens: Sine illam, in diem sepulturae meae seruaui illud, Ioan. 12. Non est enim tristibus, afflictis & miseris augendus dolor, sed qua ratione fieri potest, leniendus, ne abundantiori tristitia absorbentur, 2. Cor. 2. Quod autem addit: *Anima eius in amaritudine est*, ad charitatem, quae proximi tam gaudia quam angustias sentit, refertur. Gaudet charitas cum gaudentibus, & luget cum lugentibus. Quis scandalizatur, & ego non vror? ait Apost. 2. Cor. 11.

Quod autem occurrentem Giezi contemnit, ac preterit, soli Heliseo volens animi sui maerorem indicare, significat humana illa solatia, quae ex rebus praesentibus subinde querimus; augere potius quam lenire afflictæ conscientiae dolores, & iuxta oraculum, Psal. 36. reuelandam esse Domino viam tuam, in eo sperandum, &c. siquidem facturus sit ultra quam petimus aut intelligimus, Ephes. 3. Hac enim fide iuxta Christi promissum, Luc. 11 quisquis querit, sciat sese inuenturum; qui petit, sese sciat accepturum: & qui pulsat, sciat sese intraturum. Singularem enim hanc Dei mansuetudinē, qua non deserit sperantes in se, expressit Heliseus, dum tam facile se praebet oranti, imò famuli ministerium repudiandi semetipsum comitem iunxit.

*Legis Mosai-
ca imperfe-
ctio.*

2. Secundò, Legis Mosaiçae imperfectionem proponit, quae licet sancta, iusta & bona esset, Rom. 7. neminem tamen ad perfectum adducere potuit, Heb. 7. quod B. Augustino teste adumbratum est ista Giezi missione, qui Helisei baculo ad excitandum mortuum destinatur, magna praceptorum seueritate. Nam quod lumbos praecingere, baculum in manu tenere, salutantes non resalutare, & super mortuo baculum ponere praecipitur Giezi, grauitatem designat veterum praceptorum moralium, iudicialium, & caeremonialium, quae propter transgressionem posita, sola peccati cognitionem exhibuerunt, Rom. 3. Galat. 3. & mortuum esse hominem conuicerunt, dum augent prohibitione peccatum, & per occasionem iram operantur, omnes esse peccatores ostendunt: Quam legis infirmitatem agnoscens nostra Sunamitis, ab Heliseo se diuelli non patitur, sed inquit: *Viuu Dominus, & viuam anima tua, non dimittam te*, personam eorum exprimens, qui tam vehementi desiderio veri liberatoris & resuscitatoris Christi aduentum exoptarunt, dicentes: *Rorate oeli desuper, & nubes pluant iustum. Vtinam dirumperes caelos & descenderes,*

*Verba Suna-
mitidis ad He-
liseum quid
exprimant.*

scenderes, Isa. 45. & 64. Agnoscentes ex fide iustificationem, gratiam & remissionem peccatorum, in quibus vera consistit animæ vita, hequaquam virtute legis obtineri possent, sed solum promissi Messiae passione, morte, & resurrectione, per cuius victoriâ stimulus mortis, scilicet peccatum, 1. Cor. 15. & virtus peccati, nempe lex, absorberetur.

Iuxta literam, qua culpa hoc acciderit, quod Giezi abiens iussu domini sui perficit, baculum puero mortuo imponit, sed puer à morte non resurgit, textus non exprimit. Verisimile est, Giezi aliquem in via, contra Helisei præceptum, salutasse, aut ambitiosè gloriatum, quod sibi tale officium sit commendatum, nempe excitandi mortui. Quod si horum nihil in causa fuerit, quare Giezi baculum prophetæ frustra gestauerit, certè mysterium aliquod grande subest, fortè hoc: Deû miracula fidei ædificatoria, propriè non per vanos homines, sed per pios edi velle. Facit huc quod cæcus illuminatus apud Ioannem 9. cap. ait: Scimus quia Deus peccatores non audit.

3 Tertiò, Gratiam novi testamenti mortuo puero exhibitam aduentu Christi: quæ quod impossibile erat legi, mortuum nempe suscitare, perficit. Venit enim Christus Iesus in hunc mûdum peccatores saluos facere, 1. Tim. 1. Matth. 9. Non poterant namque hominem vel cognitio legis, vel naturæ vires in vitam reuocare: nam si aut per naturâ, aut per legem esse potuisset iustitia, omninò gratis Christus mortuus esset. Sed cõclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, Galat. 3. Vt enim hunc puerum inuenit Heliseus mortuû, & decumbentem lecto, ita totum mundum in maligno positum, damnationi obnoxium, iræ Dei subiectum, & illecebris carnalium voluptatum irretitum inuenit Christus, vt rectè dicat scriptura: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, Psal. 13. Item: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. Adeò enim elanguit natura sine gratia, vt excæcata ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum, nihil quod ad salutem pertinet, operari potuerit: quod de Iudæis equè ac gentibus ostendit Apostolus, Rom. 10. Dum enim Iudæi suâ volunt statuere iustitiam, iustitię Dei non subiiciuntur: & dum gentes cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, Roman. 1.

4 Quartò, Proponit gratiam per Christum allatam omnibus æqualiter sine discrimine tum paruulis tum adultis esse communem, dum Heliseus clauso ostio sese aperit, vt os suum super pueri os, oculosque eius aperiat, vt os suum super pueri os, oculosque eius aperiat, vt os suum super pueri os, oculosque eius aperiat.

Miracula edere propriè priorum est.

Gratia noui testamenti mortuo aduentu Christi exhibitâ.

Gratia Christi esse sti omnibus per collata.

per pueri oculos, & manus super pueri manus poneret. Quod & si rationi humanæ impossibile videatur, credat tamen ratio necesse est scripturæ, ac diuinam admiretur potentiam, qua semetipsum filius Dei exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus ut homo, dum semetipsum humiliavit usque ad mortem, suscepta in se per hypostaticam unionem humanæ naturæ veritate & infirmitate, ut calore diuinitatis, cui coniuncta erat humanitas mortalitatis nostræ, sordes purgaret, spiritum charitatis reciperemus, quo excutientes peccati veterum, tandem expergisceremur, & oblatam per ipsum Dei gratiam reciperemus, ut tandem quemadmodum hic puer oculos & oculos aperiamus, recepto scilicet afflatu spiritus cælestis, quo æternam illam felicitatem anhelemus, & perspecta vilitate rerum præsentium, agnoscamus nos non esse ancillæ filios, sed liberæ, creptos de potestate tenebrarum, non virtute aut legis, aut naturæ, sed per Christum: sed ita ut nos morti restituerit, id est, Ecclesiæ communioni, ut nimirum datam per ipsum libertatem in occasionem carnis non daremus.

Incubatio Helisei quid præsignauerit.

Ethicum incubationis prophetica.

Imitatores prophetarum mortem non videbunt in æternum.

Summa, hæc Helisei incubatio significat verbi incarnationem, quo se sublimitas submisit, quo se amplitudo minimam fecit, formam crucis assumendo. Significat etiam virtutem verbi, quo excitabimur dormientes. Apostolus huc respiciens vocat nos similes imaginis Christi. Interim verò dum in hac vita agimus, incumbit nobis, ut Christum induci, membra corporis nostri exhibeamus arma iustitiæ, quod est ethicum huius propheticae incubationis. Tria potissimum hic exprimuntur corporis membra; Os, manus, & oculi. Os ad veritatis professionem assuefaciamus. Laus eius, ait Psal. semper in ore meo: Dominum precemur, ut labia nostra aperiat, ut os nostrum annuntiet laudem eius. Oculi auertendi ne videant vanitatem, & sursum attollendi ad Christum, Psal. 122. Manus miseris pauperibus extendendæ ad opera charitatis. Huc pertinet quod Apost. ait: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & Ephes. 5. Et illud: Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulat, sicut habetis formam nos, Phil. 3. Vide etiam Hebr. 6. Tales mortem non gustabunt in æternum.

EPILOGVS.

Historia præsens est de potestate Dei, que præclara fuit apud prophetam Heliseum, qui Dei potentia fidens, matrona sancta filium unigenitum à morte excitauit, & rediitum matri reddidit, in gloriam gratie Dei, cui acceptum miraculorum donum attribuit, minime vero sue eusebia merito. Noluisset enim suum opus Dei ascribere. Vnde et statim resuscitato puero, reuersus est in Galgala, ne manens in Suna irriteretur applausu hominum. Aliud faciet Antichristus, qui appetebat gloriam, quam fugitans eius fuit Christus, cuiusque propheta & Apostolus.

FERIA QUINTA HEBDOMADAE
 QUARTAE QUADRAGESIMAE,
 EVANGELIUM.

Et factum est deinceps, ibat Iesus in civitatem quae vocatur Naim, &c. Luc. 7.
 Finis Evangelij: & quia Deus visitavit plebem suam.

CH R I S T V S in hoc Evangelio se mortis aequè ac vitae dominum demonstrat, vnicum viduæ filium è mortuis reuocans ad vitam, simul ipso etiam factò resurrectionem nostram comprobans, quam plurimi negabât, 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Ioan. 5. Sicut pater suscitât mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat, Roman. 4. Ipse qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Vbi autem legem Evangelicam in monte docuit, eam miraculis confirmaturus, in eius decliuio leptosum curauit: demum in Capharnaum veniens Centurionis seruum iam ferè animam agentem sanitati restituit: demùm quasi sol hemisphærium suum percurrens, in Galilæam ibat, vt omnibus sese exhiberet, & cunctos illuminaret, quærens oues perditas, omnibus desolatis sese consolatorem offerebat. Qui venit peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Et inter cætera oppida venit in civitatem quæ vocatur Naim: etiam non vocatus, vt doceat tantam Dei bonitatem esse, vt vtrò se peccatoribus vndiq; obsecratis, & nullo modo suæ salutis sollicitis offerebat, vt eos à morte peccati exciter, Apoc. Ego sto ad ostium & pulso. Et Psal. Misericordia Domini præueniet me. Sic præuenit Paulum, nihil minus cogitantem, quàm Christi doctrinam amplecti, imò & ipsi hostem infensissimum, cum in Christianos literas à Pontificibus accepisset, Act. 9. Sic præuenit Zacharû, Luc. 19. d. Festinâs descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Hanc Dei bonitatē fulsissimè declarat Chrysost. lib. de reparacione lapsi. Naim verò insignis erat Galilæe ciuitas, ait Beda in Lucâ, secundo miliario à monte Thabor, in sorte Zabulon, satis populosa. Ibi igitur beneficium aliquod conferre voluit. Nullibi quippe Christus sine fructu fuit. Vbiq; saluator, redemptor, & consolator extitit. Quæ nimirum vrbs virtutem eius non sensit, si eam Christus appulerit? In Chana Galilæe oppido aquam in vinum mutauit, Ioan. 2. In terra Genesareth obsessos à spiritibus immundis eripuit, Luc. 8. In finibus Tyri à filia mulieris Chananæ dæmonium abiecit, Matth. 15. Quas verò in Capharnaû & Hierusalem curationes operatus est? Adeò vbi-
 cunque est Christus, ibi est & beneficus. Imò etiam contra omnes Neochristianos, nec in Eucharistia sumitur absque
 D d 2 fructu,

*Dominus vi-
 te & mortis
 Christus.*

fructu, nimirum vi viuificatiua & confortatiua. Nec in nostra Liturgia offertur sine fructu oblationis illius, quam pro redēptione nostra in cruce litauit: huius enim hæc memoria est. *Et ibant cum eo discipuli eius.* Vt scilicet eius rei testes essent, Act. 1. item vt non pedibus modo corporis, sed & gressibus animæ sequendum Christum insinuent. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare,* 1. Ioan. 2. Nimirum milites ducem, proles patrē, oues pastorē, stellas lunā suo lumine sequi oportet. Ne quis igitur ex nobis se Christi discipulum dicat: & interim illius doctrinæ aut moribus aduersetur. Neque quis se Christianū nuncupet, & interim factis oppugnet, Tit. 1. *Et turba copiosa, eius verborum dulcedine allecta, qui dicerent: Domine ad quem ibimus? verba æternæ vitæ habes,* Ioan. 6: & miraculorum magnitudine tracta, Ioan. 6. Nam fama eius quotidie increbescerat. Et agit deinceps in præsentiarum tria.

1. Primò, Facto ipso declarat eum se esse, qui in veteri testamento splendido quodam epitheto, Psal. 67. vocabatur pater orphanorum, & iudex viduarum. Nam orphanum adolescentem immatura morte sublatum vitæ restituit, & viduam mariti filijque morte desolatam consolatur, quia Psalmista dicit: Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet, Ps. 145. exemplum præclarum nobis omnibus præbens, præserum iudicibus, vt malis viduarum aliorumque miserorum tangamur. Vide de hac re præscriptum Moysi & prophetarū, Exod. 22. Deut. 24. Isa. 1. 10. Hier. 22. Ezech. 22. Zach. 7. Ecclesia matrix olim huic quoque officio perquam sedula institit, quod vides Act. 6. 1. Tim. 5. Ad eò autē institit, vt inde religionis perfectionē æstimaret. Iac. 1. Religio mūda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Principes ergo nostri prophani, exemplo Iob se viduis & orphanis tutores designatos gerant: & Episcopi & Abbates exemplo Helisei viduarum & orphanorum patres sese exhibeant, orphanisque eius rei exemplum præbeant; quod ni fecerint, væ illis, Isa. 10.

Vtrinque diuinitatem, potentiam, mansuetudinem, & misericordiam declarat Christus, tum etiam cur à patre in mundum missus esset ostendit, nempe vt destrueret eum qui habebat mortis imperium. i. diabolus, Hebr. 2. & liberaret eos qui timore mortis obnoxij erāt seruituti. Inuidia enim diaboli peccatum intrauit in hūc mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Proinde vt significaret iam adesse tempus, quo peccati, mortis, diaboli, mundi, & inferni

Pater orphanorum & iudex viduarum Christi.

infernī tyrannis frangeretur potentia crucis, qua domum fortis intraret, & omnia eius vasa diriperet in quibus confidebat, Luc. 11. Leui istac velitatione, qualis esset belli futurus euentus, prælulit. Quam hoc modo depingit Euāgelista. *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur.* Mos quippe Iudæis erat: defunctos extra vrbes & oppida sepelire & inhumare. Sic enim & Christus in horto sepultus est. Et id vtiq; secreto quodā mysterio, quod statim post moriē in beatitudinem illam æternam euolare non possent. Vnde vt ab vrbibus corpora, ita à gloria illa animæ excludebātur, donec Christus captiuam duxit captiuitatem, P̄sal. 67. Ephes. 4. *Qui filius vnici fuerat matris suæ.* Rem ipsam aggreditur, eamque tristem & lugubrem ex omni circumstantia reddit, vt non curiosē, sed causa sufficienti ipsū excitatum esse audiamus. Defunctus enim filius erat, non amicus aut famulus: nec vnus ē multis, sed vnicus: nec nuptæ matris, cui maritus potuisset fuisse solatio, sed viduæ: nec ipsi vrbi ignotæ, sed notissimæ, quod indicat turba ciuitatis multa ipsam comitans: nec pridem hæc mors cōtigerat, vt eius dolor compefci posset, sed recens erat: cū adhuc efferretur corpus. Deinde miseriam auget defuncti conditio. Nec enim capularis erat senex, sed adolescens, baculus senectutis futurus matri suæ. Ex quo discimus, quod iuxta Horatium libr. 1. Oda 28: *Mixta senum ac iuuenum densantur funera, nullum sæua caput Proserpina fugit.*

Sic homo quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, Iob 4. Quot quæso dilectissimos à parētum sinubus vna hora abripuit. Habes 4. Reg. 4. Sunamitidē vnico filio etiam puero orbatam, quem suis precibus Eliseus à Deo viuū impetrarat. Habes item 3. Reg. 17. Sareptianæ viduæ filium hoc ipso etiam tempore mortuum quo apud eam morabatur Helias.

Variis quippe de causis Dominus filios etiā teneros aut adolescentes morte mancipat. 1. Ob parentū aliquādo peccata, quod filiis debitam instructionis curam non impenderint: vnde cū hi aliquā impietatis maculam incurrerint, defectum castigationis paternæ Deus in his vindicat, vt docet Iustinus martyr, quæst. 80. ad Orthod. exemplo puerorū 49. qui quod Heliſeum riderent, ab vtris duobus deuorati sunt, 4. Reg. 2. Eodem quippe modo vna die duo filij Heli, imò & ipse Heli, mortui sunt, quod paternā indulgētia abusi filij, in multa scelera delapsi essent, 1. Reg. 4. Sic & ob duritiem Pharaonis primogenita Aegypti occisa sunt, Exod. 13: & ob Davidis adulterium filius quem ex Bersabea habuerat, defunctus est. 2. In parentum probationem, quandoque

filij ex hac vita demigrant. Sic & filij & filix Iob (cap. 2.) & viuis absumpti sunt. 3 Nonnunquam rapiuntur, ne malitia eorum animam immutet, Sap. 4 Auferuntur sæpe vt doceantur mutationes rerum omnium. 5 Vt qui in flore ætatis viuunt, etiam nouissima attendere debeant, nec volucri confidere vitæ, quoniam mors non tardat, & nescimus quando tēpus sit. Hora enim nostra semper est parata. Mors verò istius contigerat, vt dum suscitaretur, Christi virtus agnosceretur, quemadmodum & Lazaro obuinit. Cæterum discant omnes huius viuis exemplo, ceu parentes, non oblectari nimis in filiis. Nec eos plus æquo diligere, sed & Deo totos commendare.

Et hac (mater scilicet) vidua erat. Paucis Euangelista molem ærumnæ explicat. Vidua erat: proinde omnis expectatio habendæ in istius locum prolis amissa erat. Potuerat iste illi esse in vicem mariti defuncti: nunc & pater & filius defuncti erant. Hinc quoque sufficiens erat ei impendendæ misericordix ratio. Nam semper viduarum misertus est Dominus, & eas 1 Consolandas pollicetur, Iob 29. Cor viduæ consolatus sum. 2 Benedicendas promittit, Psal. 101. Viduam eius benedicens benedicam. Et alio Psal. Viduam eius suscipiet. Sic benedicta Anna vidua, Luc. 2. 3 Impugnari eas in iudicio vetat, Deuter. 24. Non peruerteris iudicium viduæ, Isa. 10. Vt illis dicitur qui condunt leges iniquas, vt sint viduæ præda eorum. Idem Hierem. 7. Zach. 7. 4 Adiuuari iubet & honorari, Isa. 1. Subuenite oppresso, viduæ & pupillo, Iac. 1. Religio vera & immaculata apud Deum & homines hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Sic legati Israël Raab benefecerunt, Iudic. 6. Item Hellas missus est ad Sareptanam viduam, cuius etiam filium defunctum suscitauit, sicut hodierna etiam docet epistola, & 1. Timoth. 5.

Et turba ciuitatis multa cum illa. Ex quo duo discimus. Primò viduam hanc nobilissimam fuisse, cum omni ciuitati nota fuerit. Deinde Iudæis in vsu fuisse, funera cum frequentia hominum prosequi. Vnde & detestandi sunt, si tamen indecens pompa absit, qui conductus abiiciunt. Quasi verò non idem Ioseph in patre sepeliendo, Genes. 50: & pij viri in deferendo ad sepulchrum Christi corpore factitarint, Ioã. 19.

Orbitas filiorum aut parentum grauissimos dolores adfert.

Porrò cum orbitas, quæ ex morte filiorum & parentum accidere solet, grauissimos secum dolores adferat, maximè feminis, quarum natura imbecillior est, quàm vt facilè aduersis resistere possint. Christus, cum eam vidisset, misericordia motus est super illam. Vidit oculis corporis & cordis, & diuinitate. Nouit quanto destituta esset solatio, etiam nullo referente: statim quæ

statimque qui ait, misericordiam se velle & non sacrificium, misericordia motus est. Hoc suo factō nos edocens, vt alter alterius onera portemus. Proinde D. Paulus Heb. 13: Memē-
tote laborantium & victorum, inquit, tanquam simul vin-
cti. Item 2. Cor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor?
Et Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, inquit, & flete cum
fletibus. Et vt officiū veri pastoris & Episcopi demonstra-
ret, quorū est, vt monet Apostolus, 1. Timoth. 5. viduas con-
solari, iuber eam à fletu cessare, & verbis & re opitula-
turus, d. *Noli flere.* q. d. Quid est quod velut omnibus de-
speratis adeò te torques? Quin eum attendis qui filium à
morte excitare queat? Nihil ne tibi de me relatum est?
nihil tuas aures pepulit? Num audisti me non ægros tan-
tū sanitati restituisse, sed & mortuos vitæ? Siste igitur
lachrymas; mox enim quem ploras, excitatum videbis. Per
quæ igitur verba non spiritualem, sed corporalem prohibet
fletum. Nam Dominus videns ciuitatē fleuit super illā, Luc.
19. Et Apostolus lugebat eos qui peccauerunt, & non ege-
runt poenitentiam, 2. Corint. 12. Nec prohibet moderatum
fletum de amicis defunctis, Eccles. 22. & 38. sed monet de eis
consolationem nos recipere debere, resurrectionem speran-
tes, 1. Thessal. 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus:
vt non cōtristemini, sicut ceteri qui spem non habēt, scilicet
resurrectionis, quales sunt pagani & infideles, non autem
Christiani. Ideo cum fidei Iob dicere debemus, qui omni
substantia & filijs sublati dixit: Dominus dedit, Dominus
abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen
Domini benedictum, Iob. 1. Duplex enim est pro mortuis
plāctus. Vnus moderatus & humanus, qui spe resurrectio-
nis & beatitudinis compescitur. Sic Ioseph fleuit patrem,
Genes. 50: David Ionathan & Saul, 2. Reg. 1: Filij Israēl Mo-
sen, Deuter. vii. Christus Lazarum, Ioan. 11. Sed modicum
super mortuum plora, quoniam requieuit. Alius est im-
moderatus & inhumanus, qualis est plāctus infidelium, de quo
Paulus, 1. Thessal. 4. vt præmissum est. Qui, vt ait Hesychius
lib. 6. in Leuit. cap. 19. & barbam radere, & incisuras sibi in
corpore facere: & viuorum corpora simul cum mortuo igni
tradere consueuerant, cum mortuos deslerent. Tanquam il-
lis corruptis semetipfos dissipabant atque corrumpabant,
quòd spem morti superesse non putarent. Nos verò qui non
habemus hic permanentem ciuitatem, Hebr. 13. sed futurā
inquirimus, ingemiscimus quidem humano affectu; spe ta-
men futuræ gloriæ cōsolamur. Sic Christus spe resurrectio-
nis proximæ, noli flere, inquit.

Mortui mo-
deratè lugēdi.

Quamquam verò Christus, qua erat potentia, efficere po-
tuit,

tuisset, ne filius vnicus, & matri charissimus moreretur; tamen iudicabat hoc patris sui gloriæ & Ecclesiæ vtilitati fore vtilius, quòd mortuum resuscitaret, quia ex hac resurrectione agnosceret mundus, Deo curæ esse mortuos, atque illi eos viuere. Deinde vt in spem futuræ resurrectionis erigeretur Ecclesia, voluit insigni isto miraculo duo hæc religionis nostræ dogmata, quæ vera sunt apud impios paradoxa, confirmare, qui putant omnia morte deleri.

Deo mortui
entia sint.

Religione ma-
gna defuncto-
rum corpora
semper sepul-
ta.

Genes. 25.
Genes. 35.
Genes. 49.
Genes. 50.
Tob. 4.

Ideo magna semper religione defunctorum corpora sepeliri consuetum fuit, cum apud gentes, quæ aliquam rationis scintillam sequebantur, vt testatur Cicero lib. 2. de legibus. penes quas etiam lex erat, ne quis sepulchrum deleret, ne alienū in ea corpus inferret. Pompa quoque funebris erat frequens, quibus maximum etiam erat supplicium, insepultum abijci: tum etiam apud Iudæos, qui ab ipso statim orbe cõdito magna semper religione ius sepulturæ coluerūt, vt videre est in funeribus Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, & Tobie. Passus est etiam Christus sacrosanctum suum corpus honorificè, & cum aromatibus sepeliri. Ioan. 19. Stephanū quoque magno planctu, honesta sepultura dignati sunt discipuli, Act. 8. Sic Ioannem Baptistam, Marc. 6. aliosque sanctos. Sed & Nicephor. lib. 2. hist. Eccles. cap. 22. quàm celebris fuerit, d. virginis Mariæ conductus cum luminaribus & floribus, & palmis, sufficienter narrat. Gregorius Nazan. orat. 2. in Iulianum Apostat. exhibitum narrat Theodosio defuncto pietatis officiu, omnibus corpus cum planctu prosequentibus. D. Ioan. Chrysost. homil. 4. in cap. 2. epist. ad Hebr. Dic mihi, inquit, quid sibi volunt in funere lampades istæ festiuæ? Quid etiam hymni? Nonne vt Deum glorificemus? Pro qua re, dic, presbyteros vocas & psallentes? Nonne vt consolationem recipias? Nonne vt honores decedentem? Vides vt apertissimis verbis eum qui Ecclesiæ tritissimus est, funeris producendi morem descripserit? Tres nimirum ob causas funeris officium præsertim adimpletur. 1 Vt dilectio nostra in defunctos significetur, & iugeamus cum lugentibus. 2 Vt quasi ob oculos nudo, fatenti, & putrescenti proposito cadauere, mors in memoriam reuocetur & resipiscamus, Eccles. Melius est ire ad domum luctus, quàm gaudij. Quasi ipsum nos alloquẽtem defunctum nobis proponamus, & dicẽtem id Eccles. 38: Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie. 3 Vt nostram de resurrectione fidem cõtestemur, vt qui non corpus hominis, quasi bruti abijciamus. Quare corpora nostra, tanquam sacræ reliquæ terræ mandanda sunt: & sepulturæ locus non aliter habendus est, quàm sacrum quod dicitur Cæmeterium

meterium, id est, dormitorium. Rectè ergo Ecclesia Romana defunctos in Christo, loco sacro, & honesta sepultura dignos censet, eosque & lachrymis & precibus prosequitur, Eccles. 38. Fili mi, in mortuum produc lachrymas, & secundum iudicium contege corpus illius, & nõ despicias corpus illius. Malè ergo iam nostro tempore ius sepulturæ cõtemnit Anabaptistarum, aliorumque hæreticorum insania; violat auaritia quorundam ecclesiasticorum, dum passim vetera monumenta abolent, & rident hæretici omnes. Interim tamen multorum Barbarorũ abominabilis mos improbandus. Cynicus vtiq; indignus est Christiano, de quo Laërtius lib. 6. de vitis Philosoph. Nec enim belluis Christianorum corpora exponenda sunt, aut contemnēda, quibus tanquam organa vsus Spiritus. s. vt docet August. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 13. Sed neque Christiani se in ignem præcipitent, vt Empedocles: aut in æquora, vt Cleombrotus. Nec illis, vt Anthropophagis in vsu fuit, licet defunctorũ corpora in cibum fumere: hoc enim inhumanum est. Massagetæ, miserimos homines arbitrati qui alio mortis genere, quàm violēta necede decumberent, legem de mactandis senibus comedendisq; tulerunt. Tibarenti seniores ab altissimis rupibus præcipientes dabant. Hyrcani, atque ipsi etiam Caspij hominum cadauera canibus, quos ad hoc alebant, deuoranda exponebant. Scythę vnà cum mortuis hominibus, quos olim viuentes illi dilexerant, infodiebant. Alij exsiccabant cadauera, & domi referuabant. Barbarus hic mos apud nos locum non habeat, nam Christiana doctrina extinctus est, vt Theodoretus docet lib. Græc. affect. serm. 9. Alij perungebant corpora, & sepulchris ad hoc extractis referuabāt, qui mos fuit Aegyptiis antiquissimus, nostro respondens, cuius meminit Herodotus, lib. 2. qui Euterpe inscribitur. Nam nos nostrorum corpora melius terræ demandamus, iuxta Dei verbum, Gen. 3. donec reuertaris in terram: Et Sap. 12. vt spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, & corpus in terram, vnde sumptũ est.

2. Secundò, Dum lachrymis viduę viuentis ad misericordiam flectitur, ad eò vt Christus tãdem eum excitet, cõstantem Ecclesię doctrinam confirmat: qua docet paruulis prodesse posse sacramenta, atque mortuis prodesse posse preces. Ea enim est misericordia conditoris (etsi iustissimo suo iudicio non omnibus eam concedat) vt illis prodesse patiatur fidem alienã, quibus præter eam quam ex origine trahunt, nulla potest, vt inquit August. perfidia imputari: istis verò sacrificia & oblationes prosint, qui cùm viuerent, vt hæc sibi prodesse possent, meruerunt. Quibus autem hæc profunt, ad hoc profunt, vt plenior fiat peccatorum remissio. Quid enim

Paruulis & mortuis pro-
sunt sacra-
menta & pre-
ces.

filiò viduæ profuit fides sua quam mortuus non habebat; Huic tamen profuit fides maris vt resurgeret: sicut etiam baiulorum fides profuit paralytico, & mulieris Cananæ filiæ à diabolo possessæ. Ea enim est gratia communioni sanctorum concessa, vt pro inuicem sollicita sint membra, & acceptum gratiæ cælestis vigorem sibi inuicem communicent. Hinc Psal. confidēter dicit: particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, Psal. 118.

*Gratia commu-
nioni sancto-
rum concessa
grat.*

*Causa curfle-
tum probi-
buerit, & lo-
culum atti-
gerit Chri-
stus.*

Quòd verò Christus matri fletum prohibet, & loculum attingit etiā non rogatus, id grauissimis de causis agit. 1 Vt doceat remouendam esse doloris causam: siquidem is aderat, qui mortuum in vitam reuocaret. Nam vitæ & mortis habebat imperiū, Sap 16. 2 Vt omnibus certam spem faceret adeundi thronum gratiæ cum fiducia, Hebr. 4. quia si non rogatus subuenit; quid nō facturus, vbi cum lachrymis preces offeruntur? Isaïæ 65. 3 Quòd accedit, & sanctissimi corporis contactu loculum tangit; eam esse eius qui peccato mortuus sit miseriam docet, vt nisi ipse misericorditer subueniat, cumque sua gratia, velut manu, pulset, nunquam à morte peccati quisquam resurget. Non enim sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, &c. 2. Corinth. 3. 4 Vt carnis suæ virtutem, ob inhabitatem diuinitatis plenitudinem declaret. 5 Vt in sacramentis etiam attractum requiri, ac illorum significationem inculcandam ostendat. Viuifica est igitur caro Christi. Nam si contactu ossium Elisei mortuus excitatus est, 4. Reg. quanto magis contactu Christi viuētis? Imò verò ipsius carnem māducantes viuificantur, vt ille ait, Ioan. 6. Patres vestri manducauerūt Manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum. S. Satyrus D. Ambrosij frater, etiam corpore Christi tantum in stola eius collo appenso, cum se fluctibus ebullientis & intumescētis maris deuouisset, ad portum deuenit, vbi & Christi corpus, quo velut à morte ereptus fuerat, adorauit; Ambros. lib. de excessu fratris sui Satyri.

Cæterum nobis feretri, quo portatur adolescens, nomen obseruandum est. Loculus enim dicitur, quasi paruus locus: quòd post mortem nihil nisi quantum hoc pure cadauer capiet, supersit. Hinc nobis detestanda eorum ambitio, qui tot regnis, terris, possessionibus, palatiis, castris: aut eorum qui præbendis, Episcoparibus, Abbatibus, prioratibus, parochiis nondum contenti, insatiabili velut rabie, cætera etiam concupiscunt, Isa. 47. talibus Dominus væ comminatur. At mors sola fatetur, quantula sint hominum corpuscula.

Illi autem qui portabant steterunt. Nimirum ex fama, quæ vniuersam regionem pererrabat. Christi virtutem intellexerāt, quòd

quòd virtus de illo exhibat, & sanabat omnes, Luc. 6. Mouebat & illos, quòd numerosa multitudo stipatus sit: vnde nonnihil diuinum de illo rati sunt, proinde steterunt.

3 Tertiò, Huius mortui resuscitatione sese docet esse verum mortis ac vitæ dominum, cui obistere nulla potentia queat. Ipse enim dixit, & facta sunt: mādauit, & creata sunt, Pf. 148. Subest illi cum voluerit posse, Sap. 12. Vita in voluntate eius, Psal. 29. Nam ait: *Adolescens, tibi dico, surge. Vt impleatur quod dixit Ioan. 5. Mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuunt: & Psal. dabit voci suæ vocem virtutis,* idcirco ait: Tibi dico, ego scilicet, qui sum Christus, cuius verbum potestate plenum est. Non sic Prophetæ, sed in nomine Domini, vt Helias & Heliseus mortuos excitarunt. Christus verò Patri suo iure, ait Ioan. 17: Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Alij enim operationum miracula precati sunt à Deo, vt Petrus Act. 9. Sanet te Dominus Iesus Aenea, surge, & sterne tibi. At verò Dominus Iesus in maiestate est Dei Patris. Ego igitur ait, Ego nimirum qui claves habeo vitæ & mortis: Dico tibi mortuo, cuius est etiam imperium meum audire. Tibi dico surge. Obserua vocem Christi ad mortuos vsque peruenire, & eis proficere & vtilem esse; quantò magis incruentum corporis Christi pro eis oblatum sacrificium? Item efficax est vox Christi ad excitandum peccatorem à morte culpæ, vt patuit in Paulo, Act. 9. &c. Mox enim vt iusserit, subsistunt baiulæ malarum cupiditatum, quibus effertur ad tumulum æternæ damnationis animus: quales sunt quos vocat Paulus, Gal. 5. opera carnis, fornicatio, immunditia, inuidia, ira, superbia, auaritia, rixæ, dissensiones, &c. His enim qui indulserit, & Spiritu sancto destitutus fuerit, qui non potest habitare in corpore subdito peccatis, quasi mortuus, sensu rerum diuinarum caret. Atque harum cupiditatum illecebris agitur huc illuc rapitur, vt subsistere nequeat, donec voce Christi præuenientis voluntatem ad peccatorum cognitionem reuocetur, & surgat. Ephes. 5. Surge qui dormis, & erurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nemo enim nisi illo vocante surgit, iuxta illud Osee 13. Perditio tua ex te Israël, salus autem tua tantummodo ex me. Illa enim est vocis & clamoris Christi efficacia, vt penetrabilior sit quouis gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, Hebr. 4. Efficet enim hæc non solum, vt in malum non progrediaris, sed etiam vt animo respicias, ac per veram animi conuersionem, contritionem, confessionem & satisfactionem in vitam nouam resurgas, indutus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, Ephes. 4.

Efficacia vocis & clamoris Christi.

Ephes. 4. Augustinus serm. 44. de verbis Domini. Ambrosius & Theophylactus super Lucā: item Beda in homil. per mortuum peccatorem accipiunt, quasi in adolescentia defunctū, cum in calore concupiscentiæ spiritualem gratiæ vitā perdidit. Mater lugens, intelligitur Ecclesia; matrem hanc lugubrem Christus consolatur, eius resuscitando vnicum. Exultat enim sancta mater Ecclesia de peccatorum insperata respiscentia. Vnicus, quicumque pœnitens est filius Ecclesiæ, id est, omnium dilectissimus.

*Effectus varij
ex Christi
miraculo se-
cusi.*

Sunt autem ex hoc miraculo varij secuti effectus. Nam qui erat mortuus, & resedit ilicò velut à somno excitatus. Resedit, in testimonium recuperatæ vitæ. Sic Act. 9. Thabita prius mortua, ad vocem Petri aperuit oculos suos, & resedit. August. Eos qui dormiunt nobis, excitare possumus vt surgant: si quis nobis sit mortuus, quantumcunq; impellimus, non surgit: quia verò Christo omnes dormiunt, ideo facilius facit à morte surgere, quàm nos dormientes à somno, quia inter dicere Domini & facere, nulla distantia est, Psal. 148. *Et cepit loqui*: quod certius erat vitæ redditæ argumentum, & maius suæ resurrectionis indicium, loqui nimirum gratiarum actiones. Et redditur matri à Christo, in consolationem: qui dixit: Honora patrem & matrem tuā, vt sis longæuus super terram. Dat viduæ solatium, dat senescenti baculum, dat miseræ præsidium, vt redituum eum domum reduceret, suis inambulanti pedibus, quem mortuū quatuor baiulis extulerat. Sic Elias cum filium Sareptanæ suscitasset, reddidit eum matri, 3. Reg. 17. Idem Eliseus fecit Sunamitidi, cuius filium suscitabat, 4. Reg. 4.

*Fructus veræ
pœnitentiæ.*

Sunt enim hi veræ pœnitentiæ fructus, qui sequuntur iustificatum, vt ambulet in nouitate vitæ, vt deposito mendacio loquatur veritatem, nec circumueniat in negotio fratrem suum, 1. Thess. 4. Ephes. 4. Quòd verò ipsum matri reddit Christus, hoc esse opinor, quod ad Rom. ait cap. 6. Paulus: Liberati autem à peccato, serui estis facti iustitiæ, ne post hac regnet peccatū in eius mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius, neq; exhibeat membra sua arma iniquitatis peccato, sed vt exhibeat se Deo tãquam ex mortuis viuens.

*Matti mortuū
vium reddit
quid sit.*

Spectatores autem timor inuasit, viso tam insigni miraculo, à seculis inaudito, vt ex virtute verbi mox qui mortuus fuerat, resideret viuus & incolamis in loculo: & Deum magnificent, d. *Propheta magnus surrexit in nobis, et Deus visitauit plebem suā.* Magnus propheta, vtique ille, de quo dicitur Deut. 18. Act. 7. per cuius spiritū locuti sunt omnes alij prophetæ. Maior morte, potētior inferno, atque adeò omnibus numeris mag-

*Propheta ma-
gnus Chri-
stus.*

gnus,

gnus, qui sua infirmitate venit nostrę mederi infirmitati, suaque mortalitate nostram sustollere mortem. Luc. 1: Visitauit plebē suam, vt medicus ægrotum, Mat. 9. pastor ouem, Ezech. 34. Ioan. 10:

Est hoc enim verę fidei peculiare, vt opera diuina & admiretur & laudet, quorū hoc primarium est, quod auersum reuocat, peccatorem iustificat: de huius salute gaudet fidelium Ecclesia. Vera enim charitas non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati, 1. Cor. 13.

Fidei peculiare quid sit.

EPILOGVS.

In hac historia Evangelica Domini nostri Iesu Christi maximam competimus cum potentia misericordiam. Nam quod audimus eum defuncto elato, & vidua eiusdem matri obuiasse, misericordia super eam esse motum, & vnicodenique verbo mortuum excitasse, dedisseque illum matri, id ipsius & misericordiam & potentiam nobis declarat, additque fiduciam; vt qualis erga hunc defunctum & viduam, inō & omnes alios calamitosos fuit, talem ipsam & erga nos tum esse, tum fore, constanter credamus. Sic nimirum certificamur, ipsum dominum esse, & sanitatis & morborum, & vitę & mortis, Apoc. 1. Quicumque igitur sanus est, ab ipso sanitatem habet: qui morbidus est, ab hoc curari potest: qui viuuit, per hunc viuuit: & qui mortuus est, per hunc reuiuiscit, Ioan. 11. Sensus mysticus est de peccature mortuo per peccatum, quod mors anima est, Ezech. 18. Sap 1. Rom. 8. qui post veram resipiscentiam à Christo renouatur ad vitam gratie, restituiturque matri Ecclesie. Si spiritus facta carnis mortificaueritis, viuatis, Rom. 8.

Potentia Christi cum misericordia.

Peccatū mors anima.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE
QUARTAE QUADRAGESIMAE,
EPISTOLA.

Factum est autem post hac, ærotauit filius mulieris matris familias, &c. Finis Epistolę: Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es: tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

3. Reg. 17.

PRÆSENS historia miraculi magnaliorum Dei ferè similis est cum ea, quę commemorat Heliseum quoque hospita suę filium vnicum exanimem ad vitam reuocasse, 4. Reg. 4. excepto hoc, quod hæc, de qua hęc agitur, mater pueri fuit vidua: illa vero, cuius filium emortuum excitauit Heliseus, maritum adhuc superstitem habuit: & quod alterum miraculū editum est in Israël, alterum in terra aliena, in Sidonia nimirum: illud Israëlitę, hoc Dei clementię beneficium contigit extraneę. Crucis ergo hic præmium declaratur. Si compatimur, inquit Apostolus, cōglorificabimur. In patientia, ait, vestra possidebitis animas vestras. Persecutionem patiuntur sancti prophetę, & omnes amici Dei, sed cursum

cursum sibi à Deo præscriptum peragunt, atque brachium ipsum apprehendunt, 1. Cor. 4. & 9. 2. Tim. 4. Act. 20. Phil. 3. Exëplum huius relationis sunt Helias & Heliseus, quorum encomia profecutus est Iosue filius Sirach, in suo Ecclesiastico. Historia tria complectitur.

Virtutem & patientiã suorum quomodo Deus exercet.

1. Primò, Quomodo suorum virtutem & patientiam exercere soleat Deus, variis nempe aduersitatibus, pœnis & afflictionibus, quibus nõ secus ac ignis aurum eos probat. Quemadmodum hæc Sareptana vidua quæ in summa rerum inopia tẽpore famis non sine periculo proprię salutis, Eliam hospitio exceperat, ac victu liberaliter aluerat: hoc videtur à Deo beneficium consecuta, quòd unico filio, cui tanquam baculo senectutis inniti poterat, inopinata morte priueretur. Vnde oblita miraculi, quo eam ministerio Prophetæ toto tempore famis aluerat Deus, grauius cum propheta expostulat, infirmitate naturæ, & doloris acerbitate victa, qua sanctissimi quique sæpius laborantes, vt Iob cap. 3. quasi iniuste affligerentur à Deo, submurmurant. Imputat autem hæc filij mortem præteritis peccatis, sine quibus nemo viuunt Eccli. 7. 1. Ioan. 1. non obscure significans, peractis peccatis remanere peccati reatum, quo iuste postulatur ad pœnam, nisi subsequens deleat remissio. *Ideòne, inquit, ingressus es vt rememoretentur iniquitates meae, & interfices filium meum? Quasi dicat: Hoccine merita sum tantis in te collatis beneficiis, vt hanc mihi gratiam referres? Pulchrè autem carnis naturam exprimit hæc mulier, quæ de rebus diuinis non aliter iudicare solet, quàm ex iis quæ ante pedes cernit: neque enim potest diuini consilij rationem inuestigare.*

Natura carnis exprimitur.

Nicol. Lyranus ex opinione cuiusdã Rabbi.

Humilitas innocētis probanda.

Quidam dicunt mulierẽ hanc se humilitatis causa peccatricem vocasse. Nam iustus prior sui accusator est, Prou. 18. Vera innocentia est, quæ se sic nouit humiliare. Bernardus siquidẽ super Cant. sermone 45. sic ait: Si quis innocentiam retinet, & nihilo minus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminũ animæ possidere decorem? Rara auis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimoniam non excludi: & ideo beata quæ vtramque retinuit. Sic ergo mitè eius verba possunt interpretari: Vir Dei exi à me, quia prophana sum mulier, ethnica, catula, atque adeò indigna, ad quam intret veri Dei tantus cultor. Si enim mecum manseris, vnà cum filio periero, Exod. 19. Luc. 5.

2. Secundò, Complectitur admirandam Eliæ sanctimoniam, quam commendat, tum à miraculo, tum à vitæ puritate, fidei zelo, oratione, charitate, & iustitia, quibus virtutibus vsq; adeò placuit Deo, vt Apostolo Iacobo auctore cap. 5. naturę quasi imperare videretur: nã oratione pluuiã impediuit,

fuit, & eandem à Deo, suo penè arbitrio impetrauit; cuius lingua (teste B. Chryfost.) clavis cali facta fuerat, non regibus tantum, sed ipsi quoque morti formidini, cuius aculeum non solum ipse nondum sensit, sed eius tyrannide alios abfoluit. Tanti namque apud Deum semper vera virtus fuit, vt facile omnia quæ saluti necessaria forent, impetraret. Neque enim putabimus, aut Prophetas, aut Apostolos, aut martyres prodigiosa illa, quæ fecisse passim leguntur miracula, propria virtute fecisse, fiunt enim in ipsis ab ipso Deo in illis operante, vt ostendit August. de ciuitate Dei libr. 10. cap. 2. Semper autem Deus tam in veteri, quàm in noua lege miraculis suâ doctrinam confirmare solet, vel ad ipsam doctrinam, ipsos doctores, & auditorum fidem confirmandam: vel ad incredulitatem, malitiam & pertinaciam impiorum conuincendâ. Signa enim Apostolo teste, non dantur fidelibus, sed infidelibus, 1. Corinth. 14.

Lingua Eliæ
clavis cali.

Doctrinâ suâ
cur miraculis
Deum confir-
mare semper
voluerit.

Vt certius igitur mulieris fides, quæ nutare videbatur, confirmaretur, datum est hoc miraculi donum Prophetæ. Perpendendæ autem sunt, quibus vsus est Prophetæ, cæremoniæ. Non enim est vsus incantatione, magia, aut aliqua dæmonû inuocatione, more magorum Aegyptiacorum, sed oratione supplici, qua sese veri Dei esse ministrum est protestatus. Ita in Actis Apost. cap. 3. 4. 5. 7. 9. & 14. Adhibet itaque Prophetæ inuocationem nominis veri Dei, d. Domine Deus meus etiam ne viduam apud quam ego vicinque sustentor, affluxisti, vt interficeres filium eius? Prophetæ pro hospita sua oraturus, ius hospitalitatis allegat, ac si dicat: Nosti bone Deus, etiam apud ethnicos ius hospitalitatis sanctè obseruari, adeo vt Iouem ipsum quem Deum putant, eius iuris vindicem faciant. Eia ergo ne patiaris nomen sanctum tuum apud ethnicos vilescere: quasi aut infirmior sis, quàm vt tui serui hospitiæ adesse possis: aut crudelior, quàm vt eam quæ de tuis, atque adeo de te benè mereri studet, adiuuare velis. Fac, oro, gentes videant te mortem & vitam tua continere dextera: te occidere, & ad vitam reducere: te Deum esse, facientem mirabilia talia solum. Psal. 71. Adhibet etiam visibiles cæremonias, & humilem deprecationem: Nam expandit sese, atque mensus est super puerum in vultu vicibus, & vs. Septuaginta addunt: insufflauit in faciem pueri, & clamauit ad Dominum & ait: Reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. Quæ omnia secundum literam affectum promptum explicant. Modus hic à morte excitandi Eliæ & Heliseo vnus propemodum fuit: non enim erat per discipulum, aliam habere formam, quàm habuit suus magister, 4. Reg. 2. notum est Heliseum esse discipulum. Significauit ergo his cæremoniis, se planè esse

Eliæ quomodo
miraculis
dono vsus sit.

in am Eliæ
Heliseum Eliæ
discipulus.

esse ad adiuvandum promptos, viscera eorum aperta: sed penes Deum esse, verbo suo & viuificare & saluare; quod denotat ipsorum ad Deum oratio.

Quibus haud obscure præfagire etiam Spiritus S. voluit, cuius nutu est allata scriptura, nouæ legis sacramenta, quibus tanquam instrumentis mortui peccatis ad vitam reuocamur; non verbis tantum, sed visibili elementorum specie fore efficacia. Est enim sacramentum, non nudum tantum verbum, aut nudum signum elementi, sed necesse vt verbum accedat ad elementum, vt fiat sacramentum.

Miraculi Elie
duplex esse-
ritus.

3 Tertiò, Miraculi complectitur effectum, quem duplicem fuisse proponit, scilicet: Defuncti ad vitam reditum, partim ex virtute diuina, partim ex cōtactu corporis viui Elie, qui veri Messie Christi typum, cum alibi sæpius, tum hic expressit, maxime qui cōtactu mūdissimo diuinitatis, quo sibi hypostaticè naturam vniuit humanam eam, damnationi obnoxiam, restituito vitali spiritu gratiæ, pristinæ reddit integritati, innocentæ, nouitati vitæ & gloriæ. Hæc enim confert beneficia Christus iis qui ab ipso proposita sacramentorum remedia amplectuntur ea qua decet fide. Tollit enim præsertim baptismus, vt docet Apostolus Rom. 6. vetustatem veteris vitæ, æternæ mortis reatum, quo rei sunt omnes ex vitio originis; & cæcitatē mentis: vnde & sacramentum illuminationis à patribus appellatur. Non quidem ita, vt nulla prorsus in baptizatis maneat vetustas carnis, aut concupiscentia, contra quam bonus spiritus concupiscat. Non enim auferunt sacramēta vitæ præsentis miseras, que iustis ad exercitium virtutis relinquuntur, vt puer hic iterū moriturus reuixit: effectus etenim sacramentorum æternæ vitæ felicitatem respiciunt, non præsentis. Quo fit, vt iuxta Apostolū exterior homo noster corrūpatur de die in diem, & interior renouetur. Vide B. Augustinum lib. 3. cōtra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7. & 8.

Baptismus sa-
cramentū illu-
minationis.

Alterum effectum proponit, scilicet matris in fide confirmationem, Deum pro accepto beneficio glorificantis, & veritatem prophetiæ doctrinæ agnoscentis. Ita olim prædicantibus Apostolis verbum fidei, & Dominus, signis & prodigiis sequentibus, sermonem confirmat. gauiſa est Ecclesia, dum in gentibus gratiam fidei esse effusam agnouit, Act. 10. personarū acceptionem ablatam, medium parietem maceræ solum, Ephes. 2. & deletum esse chirographum decreti. Coloss. 2. vt iam sit vnum ouile, & vnus pastor, Ioan. 10. per oue restituta, humeris pastoris ad caulam relata, vt omnes in ore glorificent Deum ac patrem Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula. Amen.

EPILOGVS.

Sacra præfens historia est de miraculo quod edidit propheta Helias hospite sua vidua Sarepthana, unicum filium baculum senectutis vitæ defunctum à morte excitando. Historia declarat Deum Israël esse unicum, verum & vnum Deum: alios Deos vniuersos, esse vanos, & diaboli spectra. Deum nobis declarat talem, qui esurientes pascit, & mortuos viuere facit, Mar. 7. Psal. 144. 1. 46. 1. Reg. 2. Opus misericordia erga viduas & pupillos, gratitudinem, & hoc genus virtutes, nobis denique eadem historia sacra commendat.

FERIA SEXTA HEBDOMADAE
QUARTAE QUADRAGESIMAE,
EVANGELIUM.

Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Maria, & Marthe sororū eius, &c. Finis Euangelij: Multi ergo ex Iudeis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Ioan. 11.

OMNIUM corum quæ Christus in terris egit miraculorum, hoc est præcipuum, quod præfenti Euangelio solus Ioannes describit, in quo cum totius religionis Christianæ summa contineatur, & plura quàm breui concione completi queant, præcipua tantum attigisse suffecerit. Diuinitas Christi præcipue declaratur, cuius potentia Lazarū quatuor iam dies in monumento agētem è mortuis reuocauit, eandem potentiam declaraturus in futuro iudicio, quando mortui audient vocem filij Dei, & euigilabunt atque resurgent qui in terræ puluere dormierunt, Philip. 3. Deinde duarum sororum exemplo docemur Christum & ægris corporibus & animabus medicum inuocandum esse. Corpori quidem nostro remedia & medicos exquirimus: & si quis ex nobis ægrotet corpore, protinus adsunt amici, qui omnem moueant lapidem, quo is qui æger est, pristinae sanitati restituatur. Quamto magis verò animæ ægrotanti succurrere omnes, & pro eadem Deum opt. max. Christum quoque verum animarum medicū votis & precibus pulsare debent, vt conualescat, & à gehennæ laqueis libera, pristinae iustitiæ reddatur: Vtrumque sanè hodierno discimus Euangelio. Sorores enim Lazari, quum eum animā agere vidēt, ad Christum legationem mittunt, utique obsecrantes ne quem amat, in necessitate deserat. Christus verò vt non frustrā inuocari se probaret, quatruiduanum etiam mortuum è monumento fætidum suscitauit fons omnis vitæ, hoc factō suam diuinitatem Iudæis testibus confirmans. Complectitur autem potissimum quinquē.

Miraculorum
omniū Christi
præcipuum.

Mat. 12.

1. Primò, vt ex omnibus Euangelistis, vnus Ioannes hanc historiam, ad confirmādā etiam Iesu diuinitatem, & Marcionem

cionem & Cerinthum, qui suo tempore Euangelium impi- gnabant, enarrat: ita rem certam & indubiam quasi ob oculos proponere volens, omnes facti circumstantias pandit. d. *Erat quidam linguens Lazarus à Bethania, &c.* Pro primo quis ager sit, explicat ex nomine, Lazarus nimirum. 2 Cuius, de castello, scilicet *Maria & Marthe sororum eius.* 3 Quos parentes habuerit, nempe Mariam & Martham sorores ipsius. 4 Regionem ponit, A Bethania, non illa in regione trans Iordanem, ubi quondam Ioannes baptizabat; sed altera villa secundo miliario ab Hierusalē in latere mōris Oliueti, ad Orientem sita. Habebat autem ibi Lazarus cum fororibus suis, unde additur: de castello, &c. Siquidem partitis inter eos paternis bonis, media pars Hierusalem Lazaro contigerat: Magdalum castrum Mariæ, à quo & Magdalena dicta est: Bethania autem Marthæ, ita tamen vt quasi indinisa fuerint, quæ duarum sororum erāt, adeo vt Bethania dicatur vtriusque castellum. Simul enim morabantur & viuebant. Hic ergo ægrotabat Lazarus: commodè quidem, vt ab optimis fororibus sollicitaretur.

Porro quod permultæ nomine Mariæ insignirentur, ne quis in ista dignoscenda erret, addit Euāgelista factum illius percelebre. Maria autem erat (ait) quæ vixit Dominum vnguento & extersit pedes eius capillis suis. Hoc vtrique antequam Christus Lazarum suscitasset: nimirum anno vno & dimidio, quod nullam aliam fecisse legimus, nisi peccatricem illam, de qua Luc. 7. Vnde liquet aperitissimè non vnam & alteram, sed eandem mulierem fuisse, vt hebdomada futura falius dicitur. Hinc igitur laudatur, & memoria illius celebratur: quod etiam angeli, & omnis triūphans Ecclesia exaltet super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15.

Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas, infirmatur. Ante omnia mittunt ad eum qui saluum facere poterat, etiam animam exhalantem: hoc ipso satis contestantes, quam fidem de Christo assequantur: nosque admonentes, vt si qua nos aut nostros aduersitas aut infirmitas obsederit, ad Dominum recurramus. A Deo est enim omnis medela, Eccles. 38. Proinde Ezechias ad eum clamans, sanus euasit, Isai. 38. Econtrà Ochozias mittens ad Beelzebub, mortuus est. 4 Reg. 1. Habes Hemorroissam solo Christi fimbriæ tactu sanatam, Luc. 8: & permultos etiam vmbra Petri curatos, Act. 5. Discamus igitur in necessitatibus ad Deū recurrere, & primum quidem peccati morbū abigere studeamus per pœnitentiam & confessionem, eo quod sæpenumero aduersitates nobis ob iniquitates Dominus immittat. *Infirmitatur etiam quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, &*

orient

erent pro eo, & oratio fidei saluabit infirmum, Iac. 5. Pro fratre patrociniatur, vt discamus hoc ipso nostram in parentes & amicos dilectionem testari, si in necessitatibus eos non deferamus, sed continuam pro illis curam impēdamus, Proverb. 17. Omni enim tempore diligit qui amicus est. Hinc est quod patrociniij & auxiliij quod exquirunt, argumentum sumunt ab amore quo Christus Lazarum prosequabatur: veram orationis formam nos edocentes: nimirum quæ diuinæ bonitati, non autem nostræ innitatur. Hoc enim modo pro nobis orare possumus: Domine Deus, diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, maxime verò homines, pro quibus & filium tuum vnigenitum misisti, Ioan. 3. Per hanc quæso in nos dilectionem miserere nostri, & parce peccatis nostris.

Porro nudè necessitatem proponunt. Non enim aiunt, veni, aut cura. sed dicunt: *Ecce quem amas infirmatur* vt doceant satis esse nostram ei afflictionem declarasse, & cætera eius committere vofitati oportere, qui optime nouit quid nobis ad salutem conducat. Ex quibus quoq; verbis satis constat, se etiam eos quos diligit, castigare. Heb. 12. Nam Lazarum, Martham, & Mariam Magdalenam quanquam diligeret, *Christus quos diligit, castigat.* patitur tamen illum graui infirmitate affligi, morte opprimi; sorores verò nimio dolore ex fratris morte consternari: nec ante accedit quàm gloriæ suæ expedire iudicauit. Sic etiam num Christus suos qui de eius fauore, clementia, & benignitate sibi nimium confidunt, quandoque deserit, vt se, suasque vires, quid sine Christo possint, experiatur. Sed mox languet natura sine gratia, imò moritur, quia nihil nisi ad peccadum valet, si lateat veritatis via. Prou. 4. Vbi verò fidei lumen animum illustrat, tum si quæ irruant aduersa, non aliò quàm ad animarum & corporum verum medicum Christum, humilem piarum orationum nuntium mittunt, iuxta illud: Ad Dominū cum tribularet clamauī, & exaudivit me, Psal. 119. & 122. Hoc enim est: *Ecce quem amas infirmatur* Huc enim dirigit fides, vt de Dei bonitate confidat, eique licet omnia cognoscenti necessitatē tamen aperiat suā, quia credit Deū ponere lachrymas in conspectu suo, & gemitus nostros non esse ab eo absconditos. Vide B. August. epistola 121. ca. 9.

Ceterum ne quis sibi persuaderet Deum, statim vt orarit, aut vi orationum, aut fatali quadam necessitate adstringi, frequenter etiam charissimis aut differt, aut negat quæ petunt. Vt enim gratiæ donum est ipsa oratio, ita est & orationum effectus. Proinde Christus negat huius sui familiaris ægri tudinem mortiferam fore, sed ad gloriā Dei.

Audians autem Iesus, dixit eis: (per internuntium scilicet) Infirmis hæc non est ad

est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Multæ enim infirmitates alium habent exitum, & alia de causa immittuntur à Deo. Quædam enim sunt ad mortem corporis, ita ut non statim resurgant, donec generale iudicium angelica tuba præcesserit. Quædam ad mortem vtramque, corporis scilicet, & animæ: corporis per illius corruptionē, & animæ per pœnam æternam. De qua morte meminit Psal. Sicut oues, inquit, in inferno positi sunt impij, mors depascet eos. Talis mors Antiochi, Herodis, infidelium, hæreticorū, schismaticorum & impiorum omniū. Porro infirmitas hæc non ad mortem erat animæ, cum Deo dilectus fuerit Lazarus: neque corporis; nam statim antequam in vermes omnino corpus eius, licet fœtidum, abiret, Christi beneficio resuscitatus est. Rationem ergo reddit cur hæc immissa sit infirmitas, nimirum ut mortuus tandem excitetur à Christo, & sic glorificetur ipse ut Deus. Nimirum Christus obscure quodammodo (teste Theophylacto in Ioan.) his verbis, indicat se Deum, & vnam esse suam & Dei gloriam. Ait enim; pro gloria Dei, ut glorificetur filius, &c. Quibus etiam verbis Dei patris prouidentiam commendat, qua res humanas dirigit ac dispensat, Iob 21. Thren. 3. Deinde quod afflictiones non sunt perpetuò signa Dei irati. Sap. 1. Pro. 3. Psal. 9. Posteaquam enim suos ad tempus probè exercuit, seq̄ue occultauit, prodit demum sua gratia in publicum, & præter omnium expectationem ex vniuersis eos eripit malis: adeò ut cum B. Paulo dicere iure optimo possint, 2. Cor. 6. Videmur ignoti, & sumus cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: ut castigati, & nō mortificati: quasi tristes, semper autē gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habētes, & omnia possidentes. Quapropter fidem nostram hic confirmabimus, & quæcunque aduersa libenter patiemur, id quæ cum propter immitentis amorem, tum propter certissimam secuturam consolationē. Hinc subditur: *Diligebat autem Iesus Martham & sororē eam Mariam, & Lazarum.* Quæ verba redditio causæ sunt, cur hæc illi immissa sit infirmitas, ad gloriam Dei potius quam alteri: & cur hunc potius, quam tot in Iudæa mortuos suscitauit. Nimirum diligebat Christus Lazarum & sorores eius, quod ab his exceptus fuisset domo, Luc. 7. & necessaria accepisset. Ego diligentes me diligo, inquit. Et sicut præmissum est, quos diligit castigat, & quos amat arguit, Apoc. 1. An non dilectus Deo Dauid? de quo Dominus ait: Inueni virum secundum cor meum, & tamē quot afflictiones accepit à Saule, Semei, Absalon, & cæteris? Proinde Psal. Probasti, ait, me Deus, & igne examinasti: Nam sicut aurum in fornace, sic tribulatio-

*Afflictiones
non sunt per-
petuò signa
Dei irati.*

tribulationibus probat electos Dominus. August. in Psal. 61. Fornax, inquit, mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Vt ergo ignis paleam cōsumit, aurum purificat; ita tribulatio impios consumit, emundat autem iustos. Nimirum, ait Chrysof. homil. 3. in Matth. cap. 3. sicut triticum trituratur, vt separetur à palea; ita iustus affligitur, vt ab impio discernatur. Propterea ne tristemur, si qua nos aut pios viros infirmitas & tribulatio inuaserit; imò in finem respicientes, Deo gratias referamus.

2. Secundò, Quia voluit Christus te ipsa cōprobare, quòd dixerat fore, vt omnes qui in monumētis essent, audirēt vocem filij Dei, noluit sanare nec languidum, vt paralyticum in lecto, & puerum Centurionis in domo: nec mortuum in cubiculo, vt filium Archifynagogi, Mat. 9. nec delatum iam extra portas tātum, vt viduę filium, Luc. 7. sed iam fœtidum in monumento, vt ostenderet nullum adeò deploratum esse peccatorem, qui non possit potentia redemptoris ad vitam gratiæ reuocari. Spectabat enim hoc factò discipulorū confirmationem in fide, & Iudæorum cæcitatē semel confundere, ne quid excusationis superesse illis posset. Propterea: vt audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Vt Lazarus mortuo, & iam quadruidano sepulto, cum Bethaniam appulerit, gloriosius suscitetur. Tum enim quasi omni expectatione deperdita, potentiam suam mirabiliorem reddidit, vt Chrysof. in hunc locū obseruat. Ex quo discere oportet, in tebus penè etiam desperatis non despondere animū, nec amittere confidentiam nostram, quæ magnam habitura est remunerationem. Sic non statim exauditus est Israël afflictus ab Aegyptiis, Exod. 3. Non statim Iob, qui tamen indubia confidentia semper dicebat: Etiam si occiderit me, in ipsum sperabo. Et ideo tandem reddita sunt ei duplicia omnia. Ita quoque licet non statim afflictam videatur Deus exaudire Ecclesiam, non tamen spem nostrā deponamus: exurgat enim Dominus velut dormiens, & velut potens crapulatus à vino. Porro locus hic in quo mansit Dominus, & ad quem nuntius duarum sororum venerat, erat Bethania, de qua suprà diximus, seu alio nomine, Bethabara, trans Iordanem ex aduerso Hiericho, ad stagnū Genesareth declinans, vbi populus Israël sicco pede Iordanem pertransisse legitur. Hoc ergo in loco, in quem Christus Iudæorum cedens furori, sese contulerat, duobus diebus mansit post acceptum à Martha & Maria nuntium. Vide Chrysof.

Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Nusquā alibi Dominus prædixit discipulis suis quòd irurus esset, ait Chrysof. homil. 61. in Ioan. sed hic prius prædixit, ne repen-

Peccator deploratus adeò est nullus qui non possit redemptoris potentia ad vitam gratiæ reuocari.

tino discessu perturbarentur. Ex quo loco Augustin. obseruat adeo Dominum ad salutem hominum promptum esse, vt si pro vnus hominis salute adhuc necesse esset ipsum crucifigi, mortem non refugeret: adeo est amator hominū. Nec enim Iudæos sibi in fensos veretur, vt Lazarum excitet.

Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare. & iterum vadis illic: Hebraica dictio est Rabbi, idem sonans quod doctæ magister. Tamen si iam quinque menses effluxissent, nunc dicunt, eò quod nec adhuc sopitus esset eorū in ipsum furor. Quæsierant autem eum lapidare 25. mensis Nouembris in festo nimirum Encœniorum, Ioan. 10. Carnales igitur discipuli sibi & Christo timent, quemadmodum & Petrus. d. Absit hoc à te Domine, &c. Cui Christus: Vade, inquit, post me sathana, non sapis quæ Dei sunt. Sic Paulum ipsius discipuli cohibere volebant, imò & Agabus, Act. 20. ne in Hierusalem descenderet, quod ibi multa passurus esset. Sed spiritualis Paulus, ego, ait, non solum ligari, sed & mori pro nomine Domini Iesu paratus sum. Mori enim mihi viuere est. Detrimentum putant carnales, si Christus, & ipsi pro Christo moriantur: qui tandem spirituales effecti, discunt mori pro Christo lucrum esse. Hinc post acceptum Spiritum libant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni erant pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. Porro cum Christus adhuc rudes & imbecilles haberet discipulos, qui à morte nõ secus atque ab angue, abhorrent, imò ab ipsa Iudæa, in qua illius sæpe mors erat intentata, quod nondum mysterium crucis intelligerent, aut Dei consilium in ratione humanæ salutis: tentat Christus ipsorum animos, significans timore periculi temporalis non debere nos à beneficiis abstinere, nec non in iis quæ Dei honorem & animarum spectant salutem, amorem ac timorem cuiuscunque postponere, admonens hominum malitiam, impietatem, ac improbos conatus, tum diuina potentia coërceri, impediri, frangi, ac mutari: tum etiam ex ipsa humanæ naturæ instabilitate, iuxta horarum varietatem: proinde etiam de pessimis quandoque bene sperandum, cum pridie lapsi, postridie Dei gratia resurgere possint. Respondet ergo ad singula. Primò ad hoc quod Iudæorum malitiam, qui eum lapidare quæsierant, obiectabant, opponit hominum mobilitatem. d. *Nõne duodecim horæ sunt diei?* quibus homo, scilicet, immutatur. Modò tristis enim est, & modò lætus: modò hospes, & modò inimicus. Quod & in Iudæis paruit. Nam cum Christum felici acclamatione excepissent cum ramis oliuarum, paulò post vt crucifigeretur postularunt. Sic homo nunquam in eodem statu permanet. Secundò, quod locum periculosum obiectant, dicentes:

centes: Iterum vadis illuc: docet ubique securum esse iustum. Nihil enim contristabit iustum, quicquid illi acciderit. Proverb. 12. *Nam si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Parabolica est locutio, & metaphorica, sumpta à peregrinantibus, qui ne corporaliter labantur & errent, lucem hanc sensibilem conducticiam habent: qua formidinem illorum consolatus est, significans nihil esse metuendum iis qui Christo adherent, qui lux est mundi, Ioan. 8. Nam si quis videns lucem, non offendit, multò magis qui Christo adheret, nisi ab eo defecerit, non offendit, Hier. 20. Dominus autem mecum est tanquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt, & confundentur vehementer, &c. Sic luce gratiæ priuati, impingunt in peccata, 1. Ioan. 2. Dies tempus est iustitiæ. Sicut in die honestè ambulemus, ait Apost. 1. Corinth. 13. Lux gratia: mundus Ecclesia, seu electorum congregatio. Si quis igitur in via iustitiæ ambulat, gratia illuminatus, quæ eos qui veram Ecclesiam sequuntur, illustrat, offendere non potest. At qui in nocte errorum & peccati ambulant, quos diuina non illuminat gratia, offendunt faciliè. q. d. Illis mors & afflictio offensio est, qui in peccatis ambulant: at his qui iustitiam sequuntur, mors gloria est. Idcirco cum talis sim, quid est quod timeam? Nam propterea Deus exaltauit illum, quòd factus sit patri obediens vsque ad mortem. Quem delectat alia interpretatio, videat August. tract. 49. in Ioan. Item Theophylact. in hunc locum.

Christo adherentibus nihil est metuendum.

Indicat præterea Christus reditus sui causam necessariam, ait Chrysost. in Ioan. non Hierosolymam versus, sed Bethaniam; idque non ad reprehendum Iudæos, sed ob Lazari amici ægritudinem atque mortem, ne quid formident, cui amicitia & hospitalitatis iure, præsentiam suam negare nec debuit, nec potuit. Atque ideo etiam miraculi beneficio se ei succurrere debere, nisi ingratiitudinis notam subire vellet. Hinc ait: *Lazarus amicus noster dormit, nostrum est ipsum excitare.* Maluit autem Dominus primùm dormientem quàm mortuum dicere, vt iuxta sacra scripturæ consuetudinè, ostenderet spem resurrectionis, 1. Thess. 4. Deo quippe omnes mortui dormiunt, quia tanquam dormientes eos excusitare potest. Dormiebat ergo ille Domino, mortuus erat hominibus, ait August. in tract. quia facilius fuit ei mortuum ad vitam reuocare, quàm nobis dormientem excitare. Secundò ob dulcedinem requietionis, Apoc. 14. Tertiò ob meliorationem immutationis, 1. Corinth. 15. Obseruandum ex his, Christum hic tanquam filium Dei loqui, mortem extenuando, quasi eius aculeus contra se nihil possit, Osee 13. 1. Corinth. 15.

Mortui Deo dormiunt.

Quòd verò ait, *amicus noster*, significat veram membrorum Christi vnionem, veramque sanctorum communionem: qua fit, vt is qui Christi amicus est, is sit & omnium fidelium. Obseruandum insuper, homines & maximè fideles non proprie dicendum esse mortuos, sed dormientes, si quando è vita excefferint, vt docet D. Hieronymus, epist. 2. ad Riparium in Vigilantium hæreticum. Lege enim Euangelium, inquit, Mat. 22. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuentium.

Dixerunt ergo discipuli: *Domine si dormit, saluus eris.* Vnde nec necesse est te eò pergere. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem intellexerunt quòd de dormitione somni diceret. Adeò omnia ad literam interpretabantur, cum interim litera occidat, spiritus autem viuificet: nec in verbis, sed in sensu: nec in foliis, sed in medulla sit verbum Dei, vt Hieronymus in ca. 1. ad Galat. docet.

Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.* Credatis, inquam, me Deum esse, vt qui licet absens, nec mortis, sed ægritudinis nuntium acceperim, eum tamen defunctum esse sciam. Sensim enim tum miraculis, discipulorum fides ædificabatur, non vt adhuc inciperet, sed vt inchoata cresceret. Vel credatis quia non eram ibi. Si enim ibi fuisset, nec tamè eum, pro quo rogatus fui, curassem, imbecillitatem in me suspicari possitis. At tandem cum videritis me iam putrescentem excitare, magis magisque meam virtutem demirabimini. Hæc Theophylactus. *Sed eamus ad eum: vt glorificetur filius hominis.*

Dixit ergo Thomas qui dicitur *Dydimus*, ad condiscipulos: *Eamus & moriamur cum eo.* Quæ verba vel constantiæ adscribuntur, vel coactæ ad extrema voluntati, & quasi desperatæ de Christi salutè. Nec id maculam gloriæ d. Thomæ impingere potest, cum crassa illa & ignorantia & timiditas in contrarias virtutes demutata sit, postquam Christus die Pentecostes Spiritum s. eis misit. Vel eamus, ait, & moriamur, id est, sic armis pro tuendo Domino agamus, vt potius illi commoriatur, quam aliquam illi iniuriam incuri sinamus: adeò, vt postea Petrus, etiam fragilis Thomas de se præsumit.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum iam quatuor dies in monumento habentem. Nam biduo illuc venit, & biduo in priore loco remanserat, eoque die Lazarus decesserat, quo nimirum acceperat Christus. Hoc autem tempus expectat, vt miraculum sit illustrius. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim, id est, miliario secundo: octo enim stadia miliare efficiunt. Multi ergo ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eam de fratre suo. Vna hæc ex rationibus est, ob quam citius venire distulit Christus, nimirum vt inimicos suos haberet miraculi

culi testes, & non sine causa diceret, Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, &c. & illud Osee 13. Perditio tua ex te Israël. Ex hoc etiam loco observa piorum & antiquorum fidelium morem de flendis defunctis, iuxta illud Ecclesi. Modicum plora super mortuum, &c.

3 Tertiò, Vt ubique fugiendam moneret ambitionem & iactantiam, non antè miraculum hoc aggreditur, quàm ambas sorores singulari quadam mansuetudine de resurrectionis mysterio edocuilset. Imprimis autem Martham, non solum occulta inspiratione, sed etiam externa vocatione, ad se vocat, quòd sciret eius ægritudinem magnatum & principum visitatione, qui venerant ad ipsius consolationem, augeri potius quàm minui. Nam humana solatia plerunque friuola sunt & inania, Isa. 55. Quare appenditis argentum, & non in panibus. i. cur Deo neglecto, aliunde solatium quaeritis? Ipse enim est qui consolatur in omni tribulatione, 2. Cor. 1. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, &c. Heb. 4. Natura quidem vult ut afflictis adsimus, & charitatis humanitatisque officium hoc requirit, quemadmodum filios Israël in funeribus patriarcharum semper officiosos fuisse, historiæ sacræ vndique commemorant, & Dauidem regem tradunt misisse ad consolandum Hanon super morte patris sui Naas, quanquàm ipse in malum sibi metipsum abusus fuerit, 2. Reg. 10. sed abusus nostratum varius circa funera arguendus & corrigendus, apud quæ rarò cogitatur de morte, parùm aut nihil recitatur de futura corporum resurrectione, sed potius omne genus petulantiae exercetur, si quòdo iuxta patriæ morem contingat ad excubias circa cadauera defunctorum agendas quosdam vocari. *Martha ergo ut audiuit quia Iesus venit, occurrit illi.* Nescit enim bonus animus morari. Siatim ut audiuit occurrit. Sic pater cum vidisset filium, à longè occurrisse dicitur, Luc. 15. Et nos si quando Deum aduenire in corda nostra sentiamus, præoccupemus faciem eius in confessione nostrorum peccatorum, & illius bonitatis, & in psalmis, & canticis spiritualibus, & gratiarum actionibus iubilemus ei. Surge igitur qui dormis, ne pigrescas. En sol iustitiæ Christus, te suæ miserationis radiis aspergit, quin caput exeris, & cum prompto animo non attendis? Occurramus ei cum feruore pietatis & deuotionis. *Maria autem domi sedebat.* Hoc addit Evangelista, ne cui mirum sit, cur non cum sorbre accesserit, cum tanto animi ardore Christum attendisse legatur, Luc. 7. vt oburganti Marthæ Dominus dixerit Mariam optimam partem elegisse. Ignara igitur aduentus Christi, domi sedebat.

Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio quia quacunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

Ec 5

Oratio,

Solatia humana plerunque friuola & inania.

Oratio, imò potius querimonia fuit Marthæ, quòd Christus viuenti fratri non adfuerit. In hoc sanè incredula, quòd Christum absentem sanare potuisse diffidat. Quasi verò absente humanitate, non vbique diffusa sit eius diuinitas, cum per Prophetam dicat: Ego cælum & terram impleo. Vnde Ioan. 1. Filius Dei vnigenitus qui est in sinu patris, ipse annuntiavit nobis. In sinu patris erat, & annuntiabat nobis in terris voluntatem eius: cur non esset etiam cum Lazaro diuinitate, & si absens esset carne? Non ergo tanta erat istius Marthæ fides, quanta Centurionis, Matth. 8. Chrysofost colligit hic ipsam non credidisse Christum esse Deum, imò neque cognouisse quòd propria virtute miracula faceret, cum addat: Sed & nunc scio quia, &c. Vera tamen loquitur si introspexeris, cum ait: *quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ipse enim interpellat pro nobis, qui & cum multis lachrymis exorâs in cruce, exauditus est propter suâ reuerentiâ, Heb. 5.

Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus, quod amplius est, quàm si à morte conseruatus fuisset. Iuxta Chrysofost. vtrumque mulierem docet Christus. Non enim ait: Petam vt resurgat, sed quod erat medium, resurget, ait: & quòd etiâ non fulis precibus eum excitare queat. Sed & absentiam retundit, cum absens ab inferis corpore, hinc tamen animam Lazari sit reuocaturus. *Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Hoc ait quoniam indeterminatè Christus dixerat eum resurrecturum. Nec enim temporis circumstantiam addiderat, aut modò, aut tandem, aut in nouissimo die. Martha igitur attendit quod fide determinatiùs erat, generalem illam resurrectionem, de qua sæpissime prophetas, & Christum Iesum loquentem audierat. Sic Iob ait: In nouissimo die de terra surrecturus sum, &c. *Ossa vestra sicut terra germinabunt.* *Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita.*

Complectitur autem hic dialogismus, Marthæ & Christi, de maximis mysteriis fidei & religionis nostræ consolationem, doctrinam, & instructionem, dum docet se esse resurrectionem. i. resurrectionis causam. 1. Thes. 4. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo, 1. Cor. 15. Ergo si infirmitatis, mortis, paupertatis, & miserie terror animum deiiciat, non moueamur. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: Item dum docet se esse vitam. i. vitæ causam. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. & Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant, temporariam scilicet, & æternam. Ioan. 3. Omnis qui credit in eum, habebit vitam æternâ, Act 17. In ipso

*Resurrectio
nostra Christi.*

*Vita nostra
Christi.*

ipso viuimus, mouemur, & sumus. Iustificatio enim, sine qua æterna vita non contingit, ab ipso tantum cõfertur: qua fit, vt pacem habeamus cum Deo, Rom. 5. Si tamen ea quæ ad hanc cõparandã sunt instituta media, amplectamur ea nempe fide, quæ per charitatẽ operatur. i. vera pœnitentiæ opera producit. Credens ergo mortuus viuuit, Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace: sicut nõ credens viuens, mortuus est. Apoc. 3. Nomen habes quod uiuas, & mortuus es.

Consolatorius hic sermo est omnibus mortem horrentibus, quòd Christus dicit: *Ego sum resurrectio & vita*. Resurrectio est, quia vita. Et hoc ipso diuinitatem suam pandit: nam si ipse est vita, ait Chrysost. non loco circumcluditur, sed ubique potest sanare. *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet; & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum*. Viuet in anima, donec caro resurgat, & nunquam morietur morte spiritali. Aut mortuus corpore, uiuet anima in gloria: & licet ipsius corpus mors detineat, non morietur in æternum, id est, mors non erit æterna, quia caro ipsa resurget in nobilitate & gloria, 1. Corinth. 15. Hoc sermone contra omnem inimici potestatem roboramur. Nunquam ergo desperandum, etsi omnia humana pœsidia destituant. Non enim erit impossibile apud Deum omne uerbum, Luc. 1. Hac spe primi parentis animum deiectum subleuauit, cum sopore immisso, uidit Ecclesiam Christo iungendam, & per ipsum glorificandã, Gen. 2. Hac Abraham filium suum Isaac, in cuius semine benedicendã omnes gentes, ad diuinum pœceptum immolare uoluit, Genes. 22. plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere, Rom. 4. Iob hac spe cõfirmatus ait, cap. 13. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo; & causam suæ spei subdit, cap. 19. d. Scio quòd redemptor meus, uiuit, &c. Hac spe animosus factus terribus septem fratrum, qui ob legem Dei ab Antiocho trucidabantur, linguam postulatus, citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E caelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Hæc vnica est spes quæ fidelium animos ob mortem amicorum contristatos etiam solatur. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde dolet humana cõditio, hinc sanat diuina promissio. *Credis hoc? Quod sciscitatur vt tenacius menti eius inculcet*. Non ait: *Quæris quomodo fiat, sed credis? quia accedentem ad Deum oportet credere*, Hebr. 11. Et sine fide impossibile est placere Deo.

*Sermo Christi
quo se resurrectio-
nem & vitam dicit,
consolatorius
omnibus mor-
tem horrentibus.*

Fides sua habet incrementa.

Horum Christus non à Martha solum, sed ab omnibus fidelibus cognitionem & fidem stipulatur, quòd sine ea impossibile sit placere Deo: per hanc autem etiam qui mortuus fuerit delictis & peccatis, viuet per pœnitentiam, fidẽ, & remissionem peccatorum. Videmus autem in hac muliere quibus incrementis adolescat in homine fides ex auditu verbis Dei, & gratia Spiritus S. mentem illustrante. Nam quem antè credidit tantum vt sanctum, qui precibus à Deo quod vellet, impetrare posset, etiam si mortuo sepultoq̃ue vitam, more Helix, 3. Reg. 17. & Helisei, 4. Reg. 4. postulasset; & hominem, qui nisi præsens operari posset, hunc iam agnoscit vt filiũ Dei, non adoptiuum, aut aliorum more per gratiam, sed naturalem. Nam respondit: *Vtique Domine: Ego credidi quia tu es Christu filiu Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Tribus titulis Christum honorat. 1. Christi nomine, vtique communi regibus omnibus & sacrificis: sed in spirituali gradu proprio Christo. Hunc enim vnxit Deus Spiritu s. Act. 10. Isa. 61. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, Coloff. 2. De cuius plenitudine nos omnes accepimus. Proinde hoc nomine Christus p̃otifex noster, rex quoque totius fidelis populi iudicatur. 2. Filius Dei viui dicitur, ad diuinitatem ipsius exprimendam. Deus enim est de Deo: lumen de lumine. Filius vtique per naturam, cum nos tantum per gratiam eius filij simus. Filius Dei viui, qui & vnus est. Ostendent nimirum alij ex gentibus se Ioue genitos, alij se Herculis, aut alterius cuiusuis fictitij Dei sanguine cretos: solus Christus filius est Dei viui. Omnes dij gentium dæmonia, Psal. 3. Quòd eum in hunc mundum venisse fatetur, hoc ipso incarnationis & humanitatis mysterium agnoscit, & cur Christus in hunc mundum missus sit, nimirum vt saluetur mundus per ipsum, Ioan. 3. 4. Proprie ait, venisti, vt eum suiipsius liberum fuisse antequam nasceretur, doceat. Vnde nec coacto, nec velut cæteri homines cum nascuntur, carens arbitrio, natus sit, cum & mulier virum circundedisse dicatur, Matth. 16. eadem est Petri confessio, d. Tu es Christus ille filius Dei viui. Facta autem hac fidei protestatione, *abit, & vocat sororem suam silentio, & Magister adest. & vocat te.* Vera enim charitas non sua tantum salute contenta est, sed proximi quoque ex animo desiderat. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo. Silentio vocauit, id est, voce suppressa, ne simul & audirent, & venirent Iudæi, quos Christo offensos esse satis nouerat. *Ille vt audiuit surrexit cito, & venit ad eum, eodem seruore percita quo eius soror. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* Vnde necesse habuit illi occurrere.

Charitas vera de proximi salute est sollicita.

Eccl. 17.

Iudæi.

*Judæi ergo qui erant cum ea in domo, &c. vsque, vadit ad monumentum ve-
pioret ibi.* Hoc quoque maxime mulieribus vsitatum fuit. Illi
potrò sequebantur, vt eam cōsolarentur. Potrò, vt Chryso-
st. obseruat, feruentior hæc soror fuit: nec enim turbam vere-
cundata est, nec suspensionem timuit, quam de Christo Iudæi
habebāt, cum aliqui inimicorum Christi interessent: sed om-
nia contempsit humana, præsentē cælesti magistro, quæ ali-
quando recumbentes non erubuerat, quin Christi pedes vn-
geret, Luc. 7. Perfecta enim charitas foras mittit timorem,
1. Ioan. 4. *Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad
pedes eius.* Id illi familiare fuerat, tum in humilitatis signum:
tum quòd remissionem peccatorum ad eos prostrata accepis-
set. Et nos quidem eius exēplo adorare debemus in loco vbi
steterunt pedes eius, & cadere ad pedes illius, nimirum pres-
byteris aduolui, vt docet Tertullianus lib. de pœnit.

4. *Quartò*, Post eandem cum Magdalena repetitam fidei
doctrinam, interea dum, vt cupiebat Christus, accurrit ma-
gnatum turba, qui futuri miraculi testes essent. Vbi eam iam
accendisset spe futuri, & vera fidei confessione confirmasset,
vt humanæ naturæ veritatem, & singularem quoque erga de-
functum amorem demonstraret, conspectis fororum, & Iu-
dæorū lachrymis, *infremuit spiritu, turbauit semetipsum.* Infremere
metaphora est, sumpta à fluctibus maris mugientibus: signifi-
catque Christum ita totis visceribus fuisse commotum at-
que concussum, vt nullam vocem edere potuerit. Turbare
pro commouere dicitur, non autem pro extra limites ratio-
nis ponere. Hæc ergo fecit Christus, quoniam affectus eius
essent in ipsius potestate. Et probè spiritu infremuisse dici-
tur, quòd non ex carnis concupiscentiis hæc illi passio obue-
niret. Vnde nemo putet non conuenire mansuetudini Chri-
sti, vt aliquo fremitu perturbetur, quod in fremitu sit indi-
gnatio. In rebus quippe priuatis ac lenibus fremitu concuti
non est hominis pij ac mansueti: at in rebus vel gloriã Dei,
vel salutem mortalium concernētibus, etiam Moses alioqui
omnium Israëlitarum mitissimus, seuerissimus redditur: &
Christus omnium mortalium mansuetissimus, spiritu fre-
mit ac perturbatur. Ratio autem huius fremitus & turba-
tionis est malitia Iudaica: & diaboli in homines impe-
rium, quod Christus sua morte euersurus erat. *Et lachrymans
est.* Humanæ naturæ cōditionem. Homo enim sicut fœnum,
dies eius sicut flos agri. Psal. Qui quasi flos egreditur & con-
teritur, &c. Sic Xerxes in Abydo numerum exercitus con-
templatus fleuit: quòd ante multos annos nec vnus quidem
ex eis superstes futurus esset. Deslebat & Iudæorum ruinam
propter cordis sui duritiem, vt & cum Hierosolymã ascen-
deret,

deret, Luc. 19. Aut flebat quòd denuò Lazarum ad miseriam vitæ reuocaturus esset, ait Glossa. Cæterum fletu & fremitu Christus humanæ suæ naturæ veritatem contestatus est, cum qua omnes defectus naturales assumpsit, vt in hunc locum obseruat Athanasius lib. 4. contra Arrian. Flere enim, carnis accidens connaturale fuit, ait d. Basilus homil. de grat. act. Augustin. tract. 49. in Ioan. Turbatus est, inquit, quia voluit, &c. Verbum enim animam suscepit & carnem: totius hominis sibi coaptans in personæ vnitæ naturam: ac per hoc vbi summa potestas est, secundum voluntatis nutum, turbatur infirmitas, Hebr. 2. Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum. Qui affectus in Christo nequaquam fucati aut commentitij, sed veri, non secus atque in nobis, in ipso ex principiis naturæ oriebantur, sed aliā longè ratione. Siquidem in nobis etiam contra rationis arbitrium erumpunt: Christus autem ex arbitrio rationis eos admisit. Nam summa in illo erat harmonia partium superiorum & inferiorum; proinde affectibus, vbi, & quando voluit, est vsus. Christus verò risisse non legitur, quia saltem hoc quod ad pœnam facere potuit, assumpsit. Affectus & passiones culpæ assumi ab eo non debuerunt, cui culpa nostra abstergenda fuit. Porro Basilus homil. de grat. act. ex hoc Domini fletu, obseruat Christum docuisse lugēdos amicos defunctos, cum superius dixerit: Lazarus amicus noster dormit, incondolentiam quidem velut ferinam declinans: tristitiæ verò studium, & lamentationum multitudinem deuicantis ingenerosam. At Chrysof. homil. 69. ad pop. lugēdos docet peccatores defunctos, vt nostræ lachrymæ & preces illis profint: & pro iis sanctos orandos, non autem lugēdos.

Affectus veri in Christo, sed alia ratione quàm in nobis.

Christū risisse non legitur.

Affectibus his quid declarauerit Christus.

Summatim his declarauit Christus, quàm grauiter commouetur aduersus peccati, mortis, inferni, & diaboli tyrannidem, qua omnes ab orbe condito semper oppressit, eamque se perpetuò odisse. Ezech. 18. Sap. i. Psal. 29. sed ita vt humanæ naturæ miseriam perpetuò deplorarit, & naturam ipsam dilexerit: propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos, venit peccatores saluos facere. Insuper his quoque affectibus comminabatur seu interminabatur morti ac tartaro, declarans se mortis morsum fore, iuxta oraculū, Osee 13.

Proinde rogat: *Vbi posuisti eum?* non quasi ignorans, cum præsciuerit mortuum absens, sed vt indicet quàm longè sit à peccatoribus salus; eosque ignoret, iuxta illud Mat. 7. non noui vos: & lachrymatur, vt eandem charitatem nobis inculcaret. Heb. 4. Non habemus pontificem, qui non possit compati

compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Hos tamen tanti amoris affectus quidam Iudæi attendentes, dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum.* Nam deslere mortuum, maximum est in eum dilectionis argumentum. Sic fiebat Darius Daniele, Danielis 14. David Ionathan, 2. Reg. 1. & 2: sed quorundam perfidia Iudæorum sinistrè est interpretata. Dicebant enim: *Non poterat is qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur.* Meminerunt cæci curati de quo Ioan. 9. sed alius putant esse curare infirmum, ad eum cæci sunt & duces cæcorum, Matth. 15: & semper impij habent unde murmurent. Ex quo loco discimus diuersa hominum iudicia de nostris factis sufferte; nunquam enim decernunt calumniatores: quare conandum vt dignè Deo ambulemus, offendicula amputantes. Verùm aliud longè Christo propositum fuit, quàm ipsi intelligere poterant. *Iesus ergo rursus fremens in senectipso venit ad monumentum.* Sinebat naturam quæ sua sunt ostendere: rursus tamen fremens affectum cohibuit, vetans ne vitra modum progrediatur. Erat autem spelunca & lapis superpositus: ne vapor & fætor exhalaret. Et dixit: *Tollite lapidem.* Hoc iubet Christus, vt cadauer viderent, & fætores sentirent, & miraculum fateantur. *Dicit ei Martha soror, &c. vsque, quatruiduanus est enim.* Iterum suæ fidei infirmitatem pandens, quòd Christum impossibile putet quatruiduanum excitare posse: neque ex relevatione lapidis aliquod emolumentum, sed potius fætores consecuturum putet.

Dixit illi Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam dei. Omnia enim possibilia credenti. Docet autem Christus se ad benefaciendum alicui etiam defuncto, fide probari: & fidem viuorum etiam vita sanctis prodesse. Tantum namque potuit illa sororum fides, vt mortuus à porta inferni reuocaretur, ait Cyrillus. Fide quoque Samaritidis, & Helisei oratione puer eius à mortuis suscitatus est. Precibus & fide Helix filius Sarephang vitæ restitutus est. Sed & fides Christianorum, & oratio Petri profuit Dorcadi defunctæ. Sileant ergo impij illi Necromachi, qui defunctos fide & precibus viuorum adiuuari negant. 2. Machab. 12. Sancta vtiq; & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. B. Dionysius Areopag. libr. Eccles. hierarch. Rogat, ait, Pontifex, vt Deus omnia peccata quæ humana fragilitate admissa sunt, aut imbecillitate, ei qui excessit è vita, remittat. Clemens Roman. libr. 6. constit. Apostolic. cap. 3. recenset antiquitus diaconum orasse idem dum sacra Liturgia celebraretur. Proinde D. Athanasius libr. de variis quæst. 39. quæst. dicit: Si non aliquo beneficio animæ

animæ peccatorum defunctorum participarent ex illo factificio corporis Christi, non vtique in cura & exequiis fieret commemoratio. Nec enim animæ piorum mortuorū separantur ab Ecclesia, quæ est regnum Dei, ait August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 9. Aded vno ore antiquissimi patres testantur fidem & preces viuorum mortuis profuisse: quod ij dum viuerent, & in charitate morerentur, meruerint hæc sibi suffragia tandem prodesse.

Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Qua elatione oculorum docet se non virtute Beelzebub operari, vt Iudæi calumniabantur, sed Dei. Olim qui dæmoniis feruiebant, submissi aurem in terram inclinabant: Christus verd sursum aspicit, quia de supernis est. Pater gratias ago tibi, &c. vsq; quia tu me misisti. Omnia quippe eius miracula ad hunc finem tendebant, quod nollet aliquem perire, sed omnes ad veritatis agnitionem venire. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, sicut & in cruce, vt doceat vocem suam pertingere vsque ad abyssos & infernum. Lazare veni foras. Vox imperatis est, quod quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra, &c. Vt ergo prius orauit pro mortuo: ita & nunc ei imperat, ne tu non proficuum Christum mortuis putes. Quod si proficuum, recte utiq; Ecclesia corpus Christi offert pro viuus & mortuis, vt omnibus proficit, quod pro omnium salute est institutum, ait D. Thomas Aquinas. Et statim prodit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus in stratis, hoc est, fasciis lineis. Statim, addit, vt intelligas sine mora esse operationes Dei: nec successiuè verbum Dei operari, sed vt prolatum est, mox fieri, iuxta illud Psal. Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Ex hoc ergo quod solo imperio Christi quatruiduanus mortuus suscitatur, docemur quanta cum potestate tuba Archangeli & Dei missus succedet, de quo 2. Thess. 4. tum scilicet, cum mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Discimus quoque nihil concludi ex carnis putore & corruptione ad resurrectionis negationem. Ecce, inquit Tertull. li. de resurrect. carn. in Lazaro precipuo resurrectionis exemplo: caro iacuit in infirmitate: caro penè computruit in dedecoratione, & tamen Lazari caro resurrexit cum anima quidem, sed incorrupta. Et facies eius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire, ad plenissimam miraculi manifestationem. Augustin. lib. de pœnit. colligit Dominum per hoc ostendisse potestatem soluendi peccatores concessam Apostolis & sacerdotibus, quibus nimirum dixit Matth. 18. Quodcunque solueritis super terrâ, erit solutum & in cælis, &c. His summatim omnibus ostendit Christus, quàm sit magnæ molis hominem praua peccati consuetudine pressum, in vitâ reuocare, non ex parte Dei,

sed

sed ipsius peccatoris difficultate. Peruersi difficilè corriguntur, Ecclesiast. 1.

§ Quintò, Diuinitatis suæ potètiã, qua oratione ad patrem, & vocis potentia (qua fœtidum & quadriduanum è spelunca in vitam reuocat) sese verum Deum, vt ex fletu & lachrymis hominem, demonstrat, qui diuina virtute faciebat quicquid faceret, & non satanæ commercio, quemadmodum Pharissæi calumniabantur, sicque populus ipsum non Dei aduersarium, sed à Deo patre missum cognosceret. Dedit enim voci suæ vocem virtutis, Psal. 28. Venon possit non esse efficax etiam in iis qui deploratissimi hominum iudicio æstimantur. Est enim vox Euangelij efficax (qua auersos vocat Christus) in cordibus prædestinatorum, & fidelium. Nam potentia Dei est in salutem omni credenti, Rom. 1. Hac voce audita, prodit è monumento peccati per veram contritionem ad iustitiam, è morte ad vitam: sed ligatus adhuc manus & pedes inistis: quia funibus peccatorum adstringitur peccator, Prou. 5. Psal. 118. Ablata etiamnum bene operandi facultate: quia facies est sudario ligata, cæcitate scilicet mentis oppressa, vt malum bonum, & bonum malum arbitretur, Isa. 5. Christus autem licet ipse sua gratia præueniat, & illuminet peccatorè, non tamen soluit per se, sed ministris Ecclesiæ, quibus ligandi & soluendi potestatem dedit, Matth. 18. Ioan. 20. iuber à Lazaro, sed sua voce excitato (ipsius enim gratia præuenit peccatorem, vt peccatum agnoscat & displiceat) tolli sudarium, & vincula, auctoritate clauium ministris concessarum. i. virtute sacramentorum, per quæ Deus operatur in cordibus fidelium. Sed dum Sacramenta & ministros Ecclesiæ non spernunt, per quæ tanquam certissima fidei nostræ symbola & instrumenta, salutem nostram operatur Deus, vt humilibus huiusmodi signis humana mētis arrogantiã frangat, & in obsequio fidei captiuos teneat. Siquidem non nisi humilem, & peccata sua confitentem respicit Deus, & verbo suo obtemperantem. Multi ergo ex Iudeis qui venerant ad Mariam & Mathiam, & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Sic Christus finem suum assecutus est, quia per infirmitatem Lazari, gloria Dei manifestata est. Allegoriã huius facti, si arrideat, habes apud D. August. lib. quæst. 83. q. 165.

EPILOGVS.

Lesio hæc historica tam salutaris, quàm iucunda, ostendit vt Seruator noster Christu Lazari amicum suum mortuum, & iam fœtere incipientem, è sepulchro euocauerit. atque reuiuiscere fecerit. non tali conatu & modo, quali Helias & Ieliseus summi prophete mortuos pueros excitauerunt sed solum verbo imperiosè, declarans se omnibus sanctis maiorem, qui non imperando, sed

orando, miranda per Dei virtutem faciunt. Fidem Maria & Marthe Lazari germanarum confortauit istoc facto, suamque diuinitatem satis superque declarauit August. Inter omnia miracula que fecit Christus, Lazari suscitatio maxime predicatur: sed si attendamus quis fecerit, delectari potius debemus quam mirari. Ille suscitauit hominem, qui fecit hominem. Præterea ostendit Dominus hoc exemplo, horrendum esse statum hominis iam in peccatis inueterati, quantumque penitudine, quot lachrymis sit opus, ut per Dei misericordiam resipiscat ad vitam innocentiam.

SABBATO HEBDOMADAE QUARTAE
 QUADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Isaia 49.

2. Cor. 6.

Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, &c. Finis Epistolæ: Et si illa Oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

Rex Cyrus
 Christi typus.

VATICINATUR Propheta hac Epistola de gratia noui testamenti per Christum allata. Vnde neque de Cyro rege, neque de synagoga è Babylonica captiuitate liberata, intelligi potest, sed de Christo Iesu mundi Saluatore sine omni controuersia accipi debet. Ille Cyrus typus Christi: Christus ipsa veritas. Ille dimisit populum Iuda in Palæstinam; hic dimittit vniuersos omnium nationum, omnium seculorum homines, in se credentes, in paradysum, atque patriam cælestem. Accedit huc quod Apost. Paulus sententiam capitis huius in 2. epist. ad Corinth. cap. 6. citat, atque de Christi tempore, hoc est, de nouo testamento interpretatur. Agit autem potissimum tria.

1. Primò, Christum proponit, qui tempore passionis sese quasi desertum in cruce pendens conquerebatur, Marc. 15. Psal. 21. à patre æterno cõsolationem accipientem, dum ait: *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* Quibus verbis pulchrè significatur mysterium redẽptionis humane, quod Christi morte & passione est comparatum, non meritis humanorum operum, sed Dei beneplacito accidisse. Vocat autem Propheta tẽpus placitum, illud quo Christi obedientia, qua sese ad mortem vsque crucis, Philip. 2. demisit, placatum reddidit æternum patrem homini offensum. Diem salutis, vocat tempus noui testamenti, quo per Christum salus parata est omnibus perfecta fide, id est, per charitatem operante, credentibus, qui reconciliati salui fiunt ab ira per ipsum. Vide ad Ephes. 2. vbi docet Christum esse pacem nostram, medium parietem dissoluisse, pacem fecisse, vt reconciliet Iudæos, ac gentes in vno corpore Deo, per crucem, & interfecisse inimicitias in semetipso.

Hæc sunt sublimia illa mysteria, abscondita à sapientibus & pru-

Mysterium
 redemptionis
 humane si-
 gnificatur.
 Tempus pla-
 citum.
 Dies salutis.

& prudentibus, ac reuelata paruulis, quæ ut perficeret Christus, auxiliatus est ei pater. Sola enim humana natura iis peragendis non suffecisset, nisi diuinitas per vnionem hypostaticam coniuncta succurrisset, & quia opera trinitatis sunt indiuisa; vna siquidem patris & filij diuinitas: hinc auxiliatum se pater filio dicit. Illud autem hic obseruent studiosi, hæc non inèptè posse ad Christi membra, id est, fideles in afflictione constitutos, referri. Quod enim semel est adimpletum in Christo, hoc quotidie adimpletur etiã in nobis orantibus, Libera nos à malo. Nisi enim quoridie nos liberaret, Ecclesiæ ne nomen quidè adhuc superesset. Ad hanc nostram salutem & auxilium, maiestati diuinæ prompta est voluntas, quam Græci biblici Eudoxian, vocant, 1. Theſ. 4. Voluntas Dei est sanctificatio nostra, redemptio & gloria nostra.

Opera trinitatis indiuisa.

eu d'oficit.

2. Secundò, Ostendit tum Christi à patre in mundum missi officia præcipua esse, ut esset in fœdus populi, id est, ut loquitur Ioannes, vera apud patrem propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. Per Christum namque ablata est maceries similitatis, interstitium æmulationis, ut ex duobus fieret vnus populus. Fœdus hoc ipsum est nouum testamentum, Hierem. 31.

Fœdus in quod Christus est datum.

Ut suscitaret terram, & possideret hæreditates dissipatas, hoc est, eas gentes, quæ habitatorem Deum ignorantia veritatis laborantes non habebant, possideret, regeret, ac gubernaret spiritu suo. Vide Hier. 11. Vocatio gentiũ hoc loco exprimitur, aliàs etiã à prophetis prædicta, & à Deo promissa, Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi hæreditatè gentium.

Vocationis gentium assertio.

Ut diceret iis qui vinculi sunt: Exite. id est, remissionem peccatorum iis annuntiaret, qui peccati vinculis detinebantur, Zachar. 9. Luc. 1. Et qui in tenebris: Reuelamini. id est, iis qui ignorantia rerum agendarum laborabant, lucem adferri Euangelij, qua verum Deum agnoscant, & quem misit Iesum Christum. Propriũ & præcipuũ Christi officiu fuit euangelizare, Isai. 61. Lucæ 4. Dixit ergo captiuis: exite, hoc est, poenitentiam agite, & remittentur vobis peccata vestra, Matth. 4. Ioan. 5. 8. Dixit etiã excæcatis, Rom. 1. reuelamini, hoc est cognoscite lucem, viam & veritatem. Iesum nempe verbum æternum, & sapientiam Dei, illuminatorem omnium cordium, Ioan. 1. 3. 8. 9. 12. 1. Ioan. 1. Duo hæc verba præsentis lectionis, exite, reuelamini, summam complectuntur doctrinæ Euangelicæ. Illud monet, ut peccatis abistamus; hoc iubet, ut bona faciamus, Psal. 30. Illud infidelitatè exue- re præcipit; hoc fidem recipere, & Christum induere. Vides hæc quæ requirantur ad salutem. Vide etiam, ut cum S. Patriarchis, Prophetis, Apostolis & martyribus in testamen-

Vinculi & excæcatis gentes sunt.

Summa doctrinæ Christianæ.

tum & scdus recipiaris, hæresq; Dei fias, Rom. 8. 1. Petr. 1. non sola fide, sed operosa fide, qua à malis cessatur, & qua bonum opus perficitur.

Promissiones
suas omnes
Christus ad-
impleuit.

Christus etenim promissiones omnes per prophetas aut Mosen factas, quæ ad noui testamenti gratiam commedandam pertinent, adimpleuit, nobis fidelibus factus à Deo pater, 1. Cor. 1. iustitia, sanctificatio, & redemptio, ita vt per ipsum accessum habeamus ad patrem, Ephes. 2. iam scilicet in sanguine eius, 1. Cor. 6. abluti, videlicet à sordibus peccati, originalis & actualis; sanctificati videlicet per spiritum inhabitantem, per quem vt in sanctitate & iustitia coram ipso ambulemus, dirigimur: & iustificati, videlicet à peccato, & serui facti iustitiæ, habemus fructum in sanctificationem, finem verò vitam æternam, Rom. 6.

Tum proinde ostendit felicitatem eorum, qui electi tanquam vasa misericordiæ participes erunt tantorum beneficiorum. Hi etenim, *super vias pascuntur*, sanctarum scilicet scripturarum, dicentes cum Propheta: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, & c. Psal. 22.

In omnibus planis erunt pascua eorum. Electis enim secundum Apostolum omnia cooperantur in bonum: iis scilicet qui secundum propositum vocati sunt sancti, Rom. 8. Summa, Nihil ibi eluriet neque sitiet, vbi Christus est pastor, qui & ipse est cibus & potus, Ioan. 6: & 10. vnde sequitur: *Non esurient neque sitient.* Maior est hæc promissio, quam vt præsentis vitæ conueniat, in qua etiam sanctissimi calamitatibus & miseriis corporis subiiciuntur. Proinde ad cælestem illam beatitudinem est referenda, de qua Daniel. 12. Apoc. 14. Matth. 13. Apoc. 7.

Christus pas-
tor & pabu-
lum.

Non percutiet eos æstus & sol. Ictus solis aut æstus, de quo hic agitur, significat omnigenas tribulationes, quæ manent fideles. Qui enim in Christo piè vivere volunt, persecutionem patientur. Sed perficitur oraculum hoc, quod tribulatio ea atque tetratio sanctis in profectum vertetur. Non enim cõtristabit iustos quicquid acciderit illis: qui si ceciderint, non collidentur, quia Dominus supponit manum suam, Psal. 36. imò sub vmbra alarum suarum proteget eos. De commoditate tribulationis, vide Rom. 5. & 12. 1. Cor. 4. 2. Cor. 1. 4. 7. 8. 1. Thess. 1. 1. Tim. 5.

Æstus tribu-
larionū ma-
net fideles.

Quia maiora sunt hæc promissa, quam vt facile credantur, ostendit Propheta per quem hæc tanta beneficia contingunt electis, quia videlicet *miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*: Ille nimirum miserator fortis & potens, de cuius manu nemo potest capere electos, Ioan. 10. Is enim suos regit per spiritum inhabitantem, pascit non solo pane, sed
verbo

verbo suo. Deut. 6. & potat suauissimis scripturarum fontibus, scaturientibus aquam viam, Ioan. 4. Esa. 13. Ioan. 7. Neque verò hæc soli contingent populo Iudaico, sed omnibus vbique terrarum gēribus dispersis. Peruasit enim Euangelij doctrina orbem vniuersum, vt meritò cælos, terram, & montes, hoc est, omnem prorsus creaturam tanti huius beneficij causa, ad Dei laudes hortetur Propheta: quia consolatus est Dominus populum suum, Isai. 51. & pauperum suorum miseretur, Psal. 9. Summa consolationis est, Messie aduentus, qui seclusis nostris meritis, ex singulari Dei gratia & misericordia nobis contigit, Luc. 1. Tit. 3.

Euangelij doctrina orbem vniuersum peruasit. Consolationis summa quæ.

3 Tertiò, Commendat insignem Dei erga suos electos amorem, dum tanta benevolentia querimoniam ipsorum respondet, qua occasione malorum presentium, desertos sese esse à Deo, & Dominum oblitum esse ipsorum, conqueruntur; idq; sumpta cõparatione à matre, quæ maiori quàm seipsam amore pignora sua prosequitur, dicens: sese auquam vocatos secūdum propositum gratiæ Dei, electos ante mundi constitutionē, Eph. 1. & prædestinatos ad vitã desertorum. Siquidem hos tanquam vasa misericordiæ, quæ à massa perditionis sola sua misericordia seceuit, sibi sponsauit in fide, Osee 2. & in manibus suis descripsit, Isai. 49. adeò vt licet quandoque *ad agros* laborans mater suorū liberorum obliuiscatur: ipse tamen suorū obliuisci nequit. Sic ita vt periclitari subinde videantur, quia cum carne, dæmone, & mudo hostibus grauissimis & potentissimis illis est perpetuò luctādum: tamen cum in protectione Dei cæli cõmorentur, Psal. 90. in omnibus superant, vt cum Propheta dicat: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me, Iob 17. & cum Apostolo: Quis nos separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu; Roman. 8. Hæc in genere ad Ecclesiam vniuersalem dicta sunt; in specie verò ad quemlibet fidelem. Debet ergo pro se quisque hæc verba cordi suo habere inscripta, vt ea semper in promptu habeat aduersus omnia tētatoris iacula.

Amor Dei insignis erga suos electos.

Apud Marthæum eundem affectum sub parabola gallinæ pullos suos sedulo seruantis, itidem exprimit Dominus, cap. 23. 4. Esdræ 1. Talem affectum erga plebem & subditos debent habere fideles Episcopi, pontifices, & optimates omnes. Tali fuit præditus Apostolus, qui se nutricis figuram assumpsisse ait, 1. Tessal. 2. Qui tales sunt, mercenarij non sunt, sed pastores boni, Ioan. 10.

Gallina parabola affectum sui erga electos exprimit Christus.

EPILOGVS.

In hac lectione Dominus Deus celestis pater prædicat per prophetam suum Esaiam, tempus acceptabile, tempus salutare noui testamenti, in quo promittit

Tempore acceptabili & die salutis quid Deus promittat.

se intercessionem tam Messie siue Christi sui (iuxta assumptam humanitatem & formam serui) Hebr. 5. quam Ecclesia Christi sponsa electa & praelecta, exauditurum. Promittit item se Messiam eum humilem summe coram omni populo exaltaturum; Ecclesia vero sponsa Messie, se omnia commoda & necessaria suppeditaturum. Hanc denique promittit se multiplicaturum, ac fore tam amplam & magnam, ut innumeri populi omnium gentium & linguarum haberet ciues & incolas, nec unquam in aeternum eandem deserturum. Apertamur ergo Christum huius mundi gloria fugitantem sequentes, sed non desistimus. Hinc abiens ait: Non derelinquam vos orphanos. Misit & nobis alium paracletum,

SABBATO HEBDOMADAE QUARTAE
 QUADRAGESIMAE, EVANGELIUM.

Ioan. 3.

I. Ioan. I.

Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, &c. Finis Euangelij: & nemo apprehendit eum, quia nec dum venerat hora eius.

VT QUI terrenam peregrinationem perficiunt, lumine hoc sensibili diriguntur, nec in tenebris nisi cum maximo periculo ambulare possunt: ita & nos qui in caelum tendimus, & ad aeternam felicitatem hac peregrinatione peracta suspiramus, spirituali lumine indigemus. Hoc vero lumen Christus est, de quo Paulus, Ephes. 5. Surge qui dormis, & illuminabit te Christus. Quod Iudaeis, quanquam desperatis, proponit consequendae salutis remedium, si modo amplectantur. Vnde etiam linum fumigans extingueri nolens, testimonium Nicodemi & seruulorum sacerdotum, quod superiori cap. de eo dederunt, confirmaturus, suosque amulos confutaturus, quis sit, & quid de se sentiant, manifeste aperit. Sed cum in reprobum sensum sese tradidissent, docet sua ipsorum culpa ipsos perituros, quod propria malitia excacati illum nolent recipere, quem pater aeternus in mundum misisset. Agit itaque Christus in hoc Euangelio tria.

I. Primo, Suauissimam Euangelij doctrinam insinuat, cur scilicet a patre aeterno in mundum sit missus: ut scilicet, qui erat apud patrem lumen de lumine, Deus verus, de Deo vero, Ioan. 1. vnigenitus in sinu patris, mundo variis opinionum, errorum, & superstitionum tenebris obcaecato, lux fieret, atque ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Haec dicens respexit in oracula lucis, quae apud Isaiam de filio Dei extant, nempe cap. 9. 42. 49. 6. Lumen creauit. Ex hoc quoque magna luminaria, Ioannes Bapt. & Apostoli, una cum beatorum cohorte, lumen suum accepere: ex hoc fideles omnes lux sunt in Domino: ex hoc item lumine filij lucis appellantur, omnes Christum induti,

Matth.

Lux Christus iuxta prophetarum oracula. Lux sunt fideles omnes, sed in Domino.

Matth. 5. Ephes. 5. 1. Thessal. 5. Lux sunt, quia doctrina & vita Deum glorificant, quia huius mundi tenebras tam confessione quam religione fugant. Sed sunt lux saltem in Domino, hoc est, participatiue ex Christi gratia, & non ex proprio, hoc est, ex natura humana. Dicebat, quippe, Iesus turbis Iudæorum, adultera absoluta, vt Scribas & Phariseos obduratos ad tenebras pertinere; se autem & lumē animarum & saluatorem ostenderet: simulque ad hoc missum, vt omnem mundum suo fulgore illustraret. *Ego sum lux mundi.* Ego, inquam, maxime. Ac si dicat: Tametsi Ioannem lucernam esse dixerim: nec non & Apostolos lucere coram hominibus monuerim, non tamen tantus est fulgor illorum, quantus is qui à me est. Imò verò quemadmodum lumen lunæ à Sole abundat: ita & illi de plenitudine mea omnes acceperunt, Ioan. 1: & sine me nihil possunt facere, Ioan. 1 5. Vnusquisque illorum lux quidem erat (inquit Cyrillus Alexand.) per participationem gratiæ & spiritualis splendoris communicationem: Christus verò substantialiter & sua naturâ lux est vera & immensa. His igitur verbis, inquit Chrysof. homil. 51. in Ioan. objectionem Iudæorum refellit. Illi enim Christo improperabāt quòd Galilæus esset: alij verò eum vnum ex prophetis esse censebāt. Ne igitur aut soli Galilææ venisse, aut vt olim propheta Iudæis, destinatum eum esse credant, se lucem totius mundi nuncupar. Tritum quippe est Platoni, Hesiodo, Homero, & permultis antiquis, Deum lucem appellare, vt eum omnis boni authorem, & mali depulsorem insinuarēt. Porrò mūdi nomine, aut vniuersum genus hominum, quod mundum paruum dici testatur Clemens Alexand. Apolog. contra gent. aut etiam vniuersam rationalem creaturam, homines nimirum & angelos, quòd vtriusque, militantis scilicet, & triumphantis Ecclésiæ caput sit Christus.

Triplicem ob causam se dicit, lucem non particularem, sed omnium hominum. Nam quod sol est toti orbi, id ipse omnibus hominibus. Primò, illuminat, tenebras depellendo, 1. Ioan. 2. Tenebræ iam transierunt, & verum lumen iam luget. Secundò, viuificat, calorem præbendo. Sicut enim sol vitam ac vigorem præbet omnibus corporibus, multò præsentius Christus præstat animabus, Ioan. 1. Et vita erat lux hominum, Deut. 4. Deus noster ignis consumens est. Vnde scoriam peccati nostri & concupiscentiam, qua inuoluti sumus, exurit & purgat. Tertiò, dirigit, viam demonstrando, Psal. 42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuū. Nostrum ergo est accedere ad solem & radiantem & excalescentem, Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, &c. Filij Israël columnam

Lucem se dicit Christus triplicem ob causam.

lumnam ignis sequentes per noctem & nubis per diem, per desertum in terram promissionis peruenerunt, Exod. 13. Sic qui sequuntur Christum, non hærent amplius tenebris errorum & criminum, sed purgati à vitiiis, & illustrati Euangelica doctrina, habebunt lucem veram, quæ vitam præstat animæ, Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. In summa, depingitur lucis nomine, quòd Christus venerit vt omnes sine personarum acceptione illustraret: ad salutis iter dirigeret, à peccatis purgaret, ad pietatē promoueret, interius viuificaret: ad amicitia & charitatē conuocaret: & bonorū & malorū in Christo & per Christum discretio fieret. Nec enim noctu sed lumine, cæcus à vidente, homo ab homine, color à colore, & res à re discerni potest. Nam (vt Theodororus dicit ferm. 2. de princip. lib. affect. Græcar.) lumen hoc sensibile intuentibus planè indicat quid sit aurum, quid argentū, quid æs, quid ferrum: ita Christus indicat quid bonum & quid malum, & eius appensa doctrina & exemplo facilè intelligemus, qui boni & qui mali sint, qui fideles & qui infideles. Et vt lux solis alia liquefacit, vt ceram, alia indurat, vt lutum: sic Christus positus est in ruinam & resurrectionem multorum, Luc. 2: vtque latrones lumen oderunt, Ioan. 3. ita impij Christum: Nec lux causa est quòd quis impingat in lapidem, aut in præcipitiū cadat, cum æquè illi sicut & alijs luceat: ita nec Christus arguendus, quòd permulti etiam è fidelibus cadunt, aut igni æterno deuocentur. Hoc enim eorum peccato, non denegata gratia illius accidit, Osee 13. Tandem hoc nomine Christus vanos Iudæorum in ipsum conatus indicat, qui tantum profecerunt, quantum ij qui lumen solis efflando se extincturos putant: & vt eum sequatur potius admonet, non verbo aut lingua, sed opere & veritate. Hinc dicit: *Qui sequitur me, per fidem, dilectionem, & operum exhibitionem, quòd pertinet ad omnem Christianum, 1. Ioan. 2. non ambulat in tenebris, aut affectionum carnalium, cum mundo & sibi met renuntiauerit: aut peccatorum quæ sunt opera tenebrarum, Rom. 13. Luc. 1: aut falsæ doctrinæ. Nam vt vera doctrina lux est, ita mædax obscurissima caligo. Porro ambulare metaphorica est ab itinerantibus, quibus lumen proficit, vt ad patriam & portum perueniant. Nobis quoque Christus adeo necessarius est, vt non nisi ipso duce tot huius mundi in maligno positi naufragia & præcipitia effugere valeamus. Ambulare igitur in nobis dicit profectum de virtute in virtutem, & continuam in his quæ nos ad cælestem ducunt patriam, curam & sollicitudinem. Sed habebit lumen vite. Quod est verbum Christi, Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum: Item gratia in præsentem, de qua Paulus ait: Gratia Dei sum*

sum id quod sum: Gratia Dei per Iesum Christum, Ioan. 1. Præterea Spiritus s. lumen est vitæ, id est, Christi, quoniam à patre filioque procedit: & per eum Christus suam illustrat Ecclesiã. Spiritus cum venerit, docebit vos omnia. Tandem gloria in futuro; Psal. enim ait: In lumine tuo videbimus lumen, quia 1. Ioan. 1. Deus lux est. Psal. Placeam coram Deo in lumine iuventium. Cum enim lumen vitæ promittit Dominus, non de lumine isto corporeis spectando oculis verba facit, neque de vita corporali, sed de spirituali solum lumine, & vita cælesti atque perpetua loquitur. Quinimò hisce verbis seipsum pollicetur assuetis suis & sectatoribus, qui est lumen vitæ, sicut & fons vitæ, & panis vitæ: imò author vitæ, & vitam suis largiens æternam.

Sed quid? Ut lippientibus oculis odiosa est lux, & malè sano palato insuavis est panis; ita impiis istis Pharisæis ingrata est reprehensio: sed ipsimet e contra blasphemiis Christum adorant. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras ignorantie & cupiditatis, quàm lucem fidei, & veritatis, eò quòd mala essent ipsorù opera, Ioã. 3. Omnis enim qui malè agit, odit, nec venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Noluit enim intelligere ut bene ageret, Psal. 35. Sed Christus factum, diuitias, gloriam, hypocritism, & superstitionem, quibus tum Iudæi tuam volentes statuere iustitiam, Rom. 10. tum gentiles commutantes gloriam Dei in idolum, salutem sibi pollicebantur, taxans, ut vera lux mundi docet, nec per legem, nec per naturam salutem hanc acquiri posse; sed fide, spe, & charitate: quibus fit, ut Christum sequamur, in tenebris non ambulemus, & lumen vitæ habeamus.

Hæc enim dulcissima est piis omnibus Euangelij doctrina: Noua lux orta timentibus nomen Domini, Malach. 4. quam mundus non potest accipere. Quia enim per sapientiam non cognouit Deum, 1. Corinth. 1. placuit illi per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, id est, veram hanc lucem per fidem amplectentes. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Ioan. 1. sed iis qui credunt in nomine eius, quòd scilicet lux sit mundi, & tenebræ in eo non sint ullæ: quæ longè serenius & splendidius animos illustrat, quàm lucidus hic sol, dum supra nostrum horizontem emergit. Siquidem in nobis intellectum, voluntatem, & rationem perfundit radiis sapientiæ, iustitiæ, & perfectionis, ut ipsum qui factus est nobis à Deo Patre, 1. Corinth. 1, sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, sequamur, ambulantes in sanctitate, & iustitia coram ipso omni-

Lux noua
Christus orta.

Christum qui
verè sequatur.

discit ab eo, Matth. 11. quòd mitis sit, & humilis corde, id est, qui eius mansuetudinem, iustitiam, humilitatem, obedientiam, cæterasque virtutes imitatur. Iis enim summam illam felicitatem, quam oculus nō vidit, nec auris audiuit, Isa. 64. consequemur, per lumen fidei accepturi lumen gloriæ, iuxta illud Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen.

2. Secundò, Horrendam Iudæorum cæcitatem, qui magna malitia & pertinacia scripturis de Christo testantibus: ministris, quos ad capiendum Christum miserant, Ioan. 7: Nicodemo, innocentiam Christi defendenti, ibidem; & Christo ipsi, sese patri æqualem cōfidenti, Ioan. 8. 10: restiterunt, conuicit, insignem eorum blasphemiam arguens, qua non verebantur ipsum veritatis authorem mendacij arguere. Duo autem crimina impingunt Christo, scilicet, & quòd de seipso testimonium perhiberet, tanquam atrogans suam buccinans gloriam, contra illud Prouerb. 27. Laudet te alienus, non os tuum: extraneus, non labia tua. Tu de teipso, inquit Pharisei, testimonium perhibes. Adeò non ad discendum, sed contradicendum se vbique propensos ostendunt. Nam cum Dominus se lucem mundi dixisset; similes isti iis qui ne lumen solis intueantur, oculos palpebris obuelant, aut vultum auertunt, Christi doctrinam à se abdicant, imò calumniantur: & quòd falsum diceret testimonium, qui est ipsa veritas, neminem fallens. Quia enim semel impegerant in lapidem offensionis, & petram scandali: & mentis cæcitate affecti pepigerant fœdus cum morte, & cum inferno fecerant pactù, non verentur manifestam veritatem etiam contra conscientiam opprimere. Hinc addunt: Testimonium tuum non est verum. Quia ipsum nudum existimabant hominem, nube carnis obductum, nec splendore signorum aduerterunt deitatem, inualidum testimonium eius censent, quòd eum purum hominem esse arbitrentur. Idem verò hæretici Ecclesiæ improperant, quod Pharisei Christo eius sponso. Si quid enim illa decidisse, instituisse, obseruasse, & demutasse legitur: illi eòtrà, quasi hæc sola esset, & non Spiritum s. haberet, nec illi Christus ad finem vsque assisteret, oblatrât: Tu de teipso testimonium perhibes, &c. At verò nō à seipsa loquitur, sed à Christo, & à Spiritu s. Nec enim vos estis qui loquimini, ait Christus discip. s. sed spiritus patris, qui loquitur in vobis, Matth. 10.

Christus autem pro ea qua erat singulari clemētia, nolens aliquem perire, sed omnes ad veritatis cognitionem venire, 1. Tim. 2. manifestam calumniam aperta veritate confutat, ac suum de se testimonium docet patris æterni, diuinorum miraculorum, & propheticarum scripturarum testimoniis confirma-

Iudæorum cæcitas.

Blasphemia insignis Iudæorum.

Testimonium suū Christus probat esse verum.

confirmari; quibus & si destitueretur, suum tamen testimonium esse verum, quia Deus est, qui nec mentiri nec fallere potest, Numer. 23. Non est Deus quasi homo ut mentiat, neque ut filius hominis ut mutetur. Hoc enim tacite significat, dum ait: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est.* Hoc ipsum quod posteriore loco dixerant, imprimis refellens: nimirum eum falsum loqui, quod de se sermonem faciat. *Quia scio vnde veni, & quò vado,* id est, scio me esse filium Dei, exiisse à patre, & venisse in mundum, relicturum mundum, & iturum ad patrem, Ioan. 16. Vos autem non dignamini aperire oculos, ut cognoscatis verum lumen: hinc nescitis patrem, vnde venio, aut quò vado. Noluistis intelligere ut benè ageretis, Psal. 35. Quibus nimirum verbis se eximit ab hominum numero, quòd sciat vnde venit per æternam generationem, & quò vadit per carnis glorificationem. Hoc generationi non intellexerant Pharisæi, carnis tamen eius infirmitatem attendentes, ei notam mendacij inculcabant. Verum quidem est neminem in propria causa, aut testem, aut iudicem esse debere: sed interim Christus maior est homine: cum à patre exiuerit, & venerit in mundum. Duo igitur attendenda in omni teste, aut iudice Christus admonet. Primum, vnde venerit: secundò quo vadat, id est, à quo potestatem acceperit, & in quem finem. Nos quoque quoties in hæreticos de Ecclesiæ discretionem differimus, duo hæc semper ob oculos eorum ponimus: vnde venerit eorum Ecclesia, & vnde nostra: quò tendat eorum Ecclesia, & quò nostra: nimirum an à Deo venerit, ut idem statuatur, quod à Gamaliele: Si enim, inquit Acl. 5. secta hæc à Deo est, prævalere non poteritis: sin minus, interire eam necesse est. Omnis enim plantatio quam non plantauerit pater cælestis, eradicabitur, Matth. 15. Ut verò Ecclesiæ à Deo esse agnoscatur, Tertull. lib. de virgin. & lib. de præscript. contra hæreticos, monet ad antiquissimas Ecclesias recurrendum, in quibus aut Apostoli, aut Apostolici viri sederint: & ad nos vsque deducendam successionem, ut ab Apostolicis, & à Christo, doctrina Ecclesiæ, & ipsa Ecclesia profluere doceatur. Quod cum de hæreticorum Ecclesia concludi nequeat, de nostra tamen apertissimè liqueat, manifestum erit eam à Deo esse. Supererit & altera Ecclesiæ discernendæ ratio: nimirum quò vadat. Quærendum enim erit, quænam omninò spiritus in Dei honorem, reuerentiam, obsequium, laudes, seruitutem; non in blasphemias, arrogantiam, rebelliones, contempus, inobedientiam: quænam in pietatem feratur & charitatem, quænam in impietatem rapiatur & sanguinem: quænam antiquorum patrù doctrinam probat, & quænam contemnit: sic facillè assequeris,

ris, quænam mendax sit Ecclesia ex verbis Christi. Et in illa Ecclesia permanendum est, inquit Hieron. epist. in Luciferian, quæ ab Apostolis fundata, ad hunc vsque diem durat. Origen. in Matth. cap. 29. Non debemus exire, inquit, à prima & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quem admodum per successiones Ecclesiæ de nobis tradiderunt. Et D. August. contra epist. Manichæi cap. 4. & 5. In Ecclesiæ gremio, ait, multa sunt quæ me iustissimè tenent. Tenet consensus populorum & gentium. Tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commédauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Hoc quoniam discernere non possunt hæretici, ignorant quæ Dei sit Ecclesia, vt & Iudæi, quia nesciunt vnde Christus venerit, & quò abierit, doctrinam ipsius capescere non potuerunt. Obstat igitur ignorantia illorum, sed & peruersum iudicium, vt adit Christus: *Vos secundum carnem iudicatis.* Est autem secundum carnem iudicare, prout dicitur carnalis sensus & animalis, aliquid opinari: non autem spiritu & ratione illud discutere. Et hæc duo in hæreticis omnibus reperias; ignorantiam scilicet, & animale iudicium. Dicunt enim se legis doctores, inquit Paulus ad Timoth. sed nesciunt neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Semper discentes, & nunquam ad apicem veritatis peruenientes. Qui tamen vt cæci de coloribus, quantò magis ignari sunt, tantò impudentius Christi verbum examinant. Sed & visiones cordis sui loquuntur, omnia animali homine discernentes, qui tamen non percipit ea quæ Dei sunt, 1. Corinth. 2. Nec enim caro & sanguis hæc reuelat, sed spiritus patris. Matth. 16. Porro dupliciter secundum carnem iudicatur. Primò personæ seu rei externo respectu. Secundò, carnis affectu. Sic rem externam sacramenti considerare, sacramentum contemnit. Iudæus carnem Christi infirmam perpendens, & Christum ipsum parui facit. Hæreticus affectu carnis abdicat quæ ei reluctantur, ieiunia, vigiliæ, castigationes, & cætera similia: Iudæus carnis affectu ductus, nec sibi, nec suis renuntiare cupiditatibus voluit, quò liberius Messiam amplecteretur.

Discrimen
inter iudiciū
mundi &
Christi.

3 Tertiò, Ostendit discrimen inter priuatum iudiciū, quò mundus & Christus ipse iudicatur, ostendens, illud, quia secundum faciem tantum est, erroneum, fallax, & impiū esse. Decipitur enim plerumque mundus externa specie, quia non proficiscitur è spiritu Dei, sed vel ex amore, vel odio, vel inuidia. Quibus affectibus quamdiu est impedita mens, fit vt verum cernere nequeat: Omnis enim corruptus iudex male
examinat

examinat verum. Potest hic locus intelligi vel de privato, quo quisque proximum facile iudicat, iudicio, quod prohibet Paulus, 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare, &c. vel de iudicio publico; quo illi qui Dei ministri sunt, pronuntiant; quod rectum & iustum esse vult. Rectè iudicate filij hominum, Psal. 57. Roman. 13. 2. Paral. 19. Cuius ministros vult esse potentes, Deum timentes, alienos ab auaritia, & odientes munera. Exod. 18. quia non hominis, sed Dei exercent iudicium.

Iudex corruptus male examinat verum.

Istud autem ostendens, quia secundum veritatē est, Roman. 2. verum, iustum, & rectum esse; siquidem iustus Dominus, & iustitias dilexit, Psal. 10. scrutans corda, & probans renes, Hierem. 17. Quod autē ait: Ego non iudico quenquam, non vniuersaliter, sed secundum subiectam materiā est accipiendum. Sic vt iudicium illud referatur, aut ad tempus, quod in primo aduentu non iudicare, sed iudicari venerit, Ioan. 3. q. d. Nunc neminem iudico; aut ad naturā, nimirum humanam, q. d. Non iudico quenquam vt homo, inspiciens cordis secreta, sed vt Deus: hoc enim soli Deo reservatur, Heb. 4. Aut ad modum, quod se non humano modo, aut affectu iudicare asserat, sed puro & perfecto iudicio vnumquemq; examinet. Neque enim Christus se priuat potestate iudiciaria: siquidē pater illi omne iudicium dedit, Ioan. 5. quod exercebit in secundo suo aduentu; sed non iudicat quenquam Christus, vel secundum faciem, & externam laruam, vt temerarij solent leuissimis de causis proximum iudicare; vel non iudicat hoc primo suo aduentu iudicio condemnationis: Non enim misit pater filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mūdus, Ioan. 3. sed exercuit iudicium discretionis, & correctionis, ad emendationem, & non ad pœnam, Ioan. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cœci fiant. Ideo. & si ego iudico, inquit, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater, &c. vsque: testimonium perhibet de me qui misit me Pater. In eos retundit quod prius in illum fuerant eiaculati Iudæi. Dixerant nimirum illum à se loqui: nec quenquam sibi testem esse debere. Atqui, inquit Christus Deut. 19. scribitur id quod vobis tritum est, duorum hominum testimonium verum esse: quantò igitur Dei testimonium maius est? Sed non duantum, verum tres sunt, qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritus s. i. Ioan. 5. Eodem quoque ariete argumenta hæreticorum obrundemus. nimirum non sola sibi testimonium dat Ecclesia, sed pater è cælo nostram hanc classē moderatur, & demittit Spiritus s. imbrem, qui testimonium dat spiritui nostro. Cæterum testimoniū Christo perhibuit

Iudiciū Christi verum, iustum, et rectū.

Iudiciū quale exercens Christus.

hibuit pater in monte Thabor, Matth. 18: In Iordane, Mar. 3: In omnibus operibus quæ in nomine eius filius edidit. Opera enim quæ ego facio in nomine patris mei, inquit, hæc testimonium perhibent de me. Quibus etiam verbis Arianos & Eunomianos, confubstantialem patri filium; & Anabaptistas, & Suencfeldianos trinitatem personarum in diuinis negantes, pulchrè confutat. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Hoc interrogant quod modò dixerat Dominus se non solum esse, sed & patrem suum esse cum eo; quod carnali sensu accipientes, quasi non de Patre Deo intelligeret, sed homine, vbinam ille sit sciscitantur; quasi eum floccifaciant.

Tandem Christus eorum animos, quia calumniandi gratia quærebant de eius patre, suspensos relinquit, quia talibus non est semper ad votum respondendum, Prover. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris similis ei. Neque me noſtis, inquit, neque patrem meum: & dum me nosse non vultis, patrem nosse non potestis, nec honorare, etiam si putetis: Nam correlatione se habent pater & filius. Vnde qui nouit patrem fuisse ab æterno, nouit & filium fuisse ab æterno, & econtrà. Nã Christus expressa imago est patris. Heb. 1. Splendor est gloriæ, & figura substantiæ eius, Coloss. 1. Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Formam ergo serui viderunt, formam Dei non agnouerunt. In aperto (vt ait S. August.) erat caro, in occulto verbum. Non responder ergo Christus vbi pater eius sit, quòd eo responso indigni essent. Assueri, scilicet, Christum contemnere, & more gigantum cum diis bellando, naturæ repugnare, intellecta priuantur: econtrà humiles in cælum vsque effeuntur.

Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, hoc est, in loco oblationum pro templo, publico, docens in templo, indicans sanam doctrinam non in angulis, sed publicitè esse tradendam. Veritas non quærit angulos. Et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. Non quòd fatis & cõstellatiõibus constringeretur: sed quòd in eum nemo nisi Dei permissu potestatem haberet. Nondum ergo venerat hora prædicta à Prophetis, prædestinata à Patre, &c. Erat autem diuinæ virtutis opus, stipatum hostibus, illa sum in medio illorum manere & intactam, maximè cum essent illi & ante pascha insidiari: non enim illis deerat impia voluntas, sed Dei nutu non erat data facultas. Non hæc illorum erat hora, qua permittendi erant scire in Christum, sed altera supererat adhuc, quam præoccupare nemo potuit. Habuit enim potestatem animam suam ponendi, & iterum sumendi. Quo & nos consolatur, vt certis simus, ne capillum quidem de capite nostro posse moueri, nisi bona Dei voluntate permittente, Matth. 10. Sic nec in

Iob,

Arianorum
& Anabapti-
starum errores
confutantur.

Christum ne-
sciri & sci-
ri.

Voluntas im-
pia Iudæis nõ
desuit, sed non
erat data sa-
cultas.

Iob,
in su

Se
filium
gen
am
is eius
locum
Obla

D C

Ch
stolæ

IN
Isto
gene
nou
tum
i I
tate
legal
secta
nem
stolæ
scrip
Euar
mult
tum
reru
fuit
Exo
mine
Heb
quan
varii
cet v
sacer
te pr
qua t
Aaro
conf
imm

Job, nisi potestate à Deo accepta, satan per malos homines in substantiam, nec per se in corpus descendere potuit, Job 1.

EPILOGVS.

Seruator noster Dominus Iesus, quem Pharisæorum liuor fabrum & fabri filium duntaxat esse dixit, & verum Dei filium negauit, se in hac lectione ingenue filium Dei fatetur, idque tanta veritatis maiestate, tantaque fiducia, ut Filium Dei se aculi obstupescerent omnes, & nemo manus illi iniicere ausus fuerit, quod hoc Christum in-
ta eius nonnumquam adisset. Scitum est hoc quod Theophylactus in hunc præsentem genuè fatetur.
locum dicit. Crucifigi non impotentia, sed permissionis erat: iuxta illud Isaia 53. Oblatus est quia voluit.

DOMINICA QUINTA IN PASSIONE, EPISTOLA.

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. Finis Epistolæ: re promissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis. Hebr. 9.

IN hac Epistola proprius effectus passionis Christi ab Apostolo nobis proponitur, nempe passionem eius esse totius generis humani redemptionem, quodque eundem effecerit noui testamenti mediatorem, Galat. 3. Agit autem præsertim tria.

1. Primò, proponit maiestatem sacerdotij Christi à dignitate tabernaculi, oblationis, & sacrificij. Quia enim Iudæi legales suas tanti faciebant cæremonias tanquam à Deo profectas, vt præferendas æstimarēt Euangelio, ita vt iustificari neminem posse putareat, nisi qui eas seruaret, vt huius epistolæ argumentum (sicut & illius quæ ad Roman. & Galat. scripta est) ostendit; magna dexteritate docet Apostolus Euangelium, eiusque cæremonias, ac Pontificem Christum multis parasangis esse præstantiora: siquidem vmbra tantum habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerū. Quinquã enim Moses fidelis esset in omni domo sua, fuit tamen solum minister; vnde & quos ex præcepto Dei, Exod. 29. in sacerdotes vixit, Aaron scilicet, & filij eius, neminem ad perfectum (sicut nec tota lex) adducere potuerunt, Hebr. 7. nec iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, quando tantummodo in cibis, potibus, sanguine taurorum, variis baptismatibus, & iustitiis carnis occupabantur, scilicet vsque ad tempus correctionis impositis. Vt enim ipsi sacerdotes mortales, vnde & plures facti sunt, eo quod morte prohiberentur permanere; ita etiam arca tabernaculi, in qua tantum erant, Hebr. 9. vna aurea habens manna, virga Aaron quæ fronderat, & tabulæ testamenti: sacrificia quæ constabāt partim ex pecoribus, vitulo, agno, hærdo & capra immaculatis, partim ex auibus, turture, columba & passere, & obla-

Maiestas sacerdotij Christi.

Lex tantum vmbra futurorum bonorum.

Arca tabernaculi.

Sacrificia.

& obla-

Oblationes.

& oblationes, quæ ex simila, pane azymo, & primitiis frugum Domino offerebantur, in se considerata, prorsus erant momentanea, ac planè futilia, nec vnquam propter se tantum à Deo præcepta, vt ostendit August. contra Faustum Manichæum. Impossibile enim erat sanguine taurorum aut hircorū auferri peccata, Apostolo teste, & Psal. 39. Sic etiam inter cætera idem Paulus in præcedentibus, inquit: Munera & hostiæ offerebantur; quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere cultorem, ad iustificationem carnis duntaxat imposita. Et cap. 10. Sacerdos eisdem sæpe offert hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. È quibus satis perspicuum est, Leuiticum seu Mosaicum sacrificium non potuisse expiare peccata, sed tantum externè satisfecisse coram politia Iudaica, hoc est, quo, qui peccauerat, recipiebatur denuò in communionem Reip. Author verò huius sacrificij Deus fuit, vt qui illud Israëliticis præcepit, quemadmodum in tribus Mosis libris videre est. At Moses eius promulgator extitit, summus verò Pontifex oblator. Cæterum species sacrificij huius tres potissimum sunt, ac fuerūt: nempe oblatio sanguinis, holocausti, & incensi.

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, semetipsum exhibuit æterno patri pro redemptione generis humani oblationē, hostiam, sacrificium, & propitiatorium, in odorem suauitatis, Ephes. 5. Atque vt Aaronici non nisi per sanguinem animalium ingrediebantur in sancta sanctorum, quem offerebant, non tantum pro aliorum, sed & pro suis peccatis; ita docet Apostolus Christum per proprium sanguinem ingressum in tabernaculum non manufactum. Vt autem nulla est comparatio rerum cælestium ad terrenas, æternarum ad momentaneas; ita nec vlla esse comparatio potest sacrificij, quod in cruce obtulit Christus, & quod Aaronici assueti erāt offerre. Sacerdotium etenim illius erit æternum, non secundum Aaronis ordinem, sed secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit. Tabernaculum quod intrauit, non purpureū aut byssinum, sed cæleste, neque sibi aut pro suis delictis hanc obtulit victimam, sed pro peccatis totius mundi. Hanc vtriusque sacerdotis differentiam vides Hebr. 7.

At dixerit quispiam: Si Mosaicum sacrificium propitiatorium non potuit verè expiare peccata, in quem igitur finem institutum est à Deo? Respond. In hoc institutum est, vt esset typus veri sacrificij propitiatorij ab ipso Christo pro totius mundi peccatis offerendi. Nam cap. sequenti sic A post. dicit: vmbra obtinuit lex futurorum bonorum: & hic confert illud tanquam typum cum vero sacrificio Christi.

2 Secun-

sacrificium
Leuiticum
non potuit
expiare pec-
cata.

Sacrificij
Leuitici tres
species.

Comparatio
nulla rerum
cælestium
ad terrenas.

Psal. 109.

Sacrificium
Mosaicum
typus veri
sacrificij
Christi.

2. *Secundò, Ex effectu, quem quotidie operatur illa sacrosancta Christi semel tantum in cruce facta oblatio, conuincit illius efficaciam, energiam, & dignitatem: quia quod impossibile erat legi, & in quo infirmabatur per carnem, per carnalium affectionum dominium, id vnica tantum perfecit oblatio. In hac enim victima Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, de peccato damnans peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Causæ autem huius sacrificij sunt, Deus promissor, Isa. 53. & Christus pontifex seu oblator.*

Efficacia & dignitas oblationis in cruce facta.

Oblatio veritas corporis & sanguinis eius est, quam sub speciebus panis & vini, ex institutione Christi sacerdotes Dei in Ecclesia iugiter offerunt, donec veniat Christus, ait Apost. 1. Cor. 11. De partibus verò non est quod dicamus: Nam vnicum est, perfectum, & durans perpetuò. Cedant igitur oportet omnes sanguinarię pecudum victimę vni illi, quam Christus in cruce patri obtulit, oblationi. Siquidem sanguis taurorum, hircorum, & cinis vitulæ lana coccinea aspersus, inquinatos mundabat solum ad emundationem carnis, nullam vim ad spiritum penetrandi continens. Ille etenim cum melior sit hominis pars, hostiis quoq; melioribus mundandus seruabatur, non corruptibilibus, scilicet auro, argento, & lapidibus pretiosis, 1. Petr. 1. sed pretioso sanguine agni incõtaminati & immaculati Iesu Christi Domini nostri, qui solus per fidem 1. Cor. 6. abluit, sanctificat, iustificat, atque aditum patefacit nobis non in tabernaculum illud Aaronicum, vel in penetralia magnifici illius tēpli Salomonis, quæ soli Pontifices annuatim semel tantum intrant, sed in tabernaculum non manufactum, id est, ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiit Iesus; si tamen fidem, spem, & charitatem vsque ad finem firmam retineamus, ne sit in nobis cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, Hebr. 3. Quanquam enim tanta sit huius sacrificij efficacia, vt omnibus ad salutem facile sufficiat, iis tamen solum modò proderit, qui in ea qua vocati sunt vocatione sancta permanserint, bonis operibus certam suam vocationem facientes, nõ iis qui, vt loquitur Apostolus, filium Dei conculcauerint, & sanguinem hunc noui testamenti pollutum duxerint, & spiritui gratiæ contumeliam fecerint, Hebr. 10. Summa. Redēpti sumus, non vt aut lasciuimus, aut desideamus, sed vt Deo succincti seruiamus, & iuxta Zachariæ canticum, sine timore de manu inimicorum liberati, in sanctitate & iustitia seruiamus illi cunctis diebus vitæ nostræ. Eadem ferè dicit ad Titum cap. 2. Item. 1. Thess. 1. Vos qui quondam eratis abalienati & inimici mente in ope-

Leuit. 16.

1. Ioan. 1.

Apo. 1.

1. Pet. 3.

Rom. 5.

sibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore suæ carnis per mortem, vt exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles. Qui diuino spiritu præditus est, intelliget quod ibidè dicitur: Conuersi estis ad Deum ab idolorū seruitute, ad seruiendum Deo viuenti & vero, & ad expectandum filium eius de cælo, quem suscitauit ex mortuis, Iesum, qui eripuit nos ab ita ventura.

3 Tertiò, Docet Christū, qui vnus est mediator ille Dei & hominum, vetus illud testamētum olim per Moſen in manu mediatoris populo Iudaico datum, quod in seruitutem generabat, transgressionem cohibebat, iram operabatur, & neminem ad perfectum adduxit, semel in totum abrogasse: siquidem in tabulis lapideis descriptum (quod eius cui dabatur, animi duritiem significabat) actionē externam ab opere illicito cohibebat tantum, non autem ipsam voluntatem, quæ sola dum per gratiam adiuuatur, satis facit legi. Id autem vt præstaret Christus, iuxta vaticinia prophetarum à Deo patre constitutus est mediator noui testamenti, quod in tabulis cordis carnalibus, in visceribus, & corde, non atramento, sed spiritu Dei viui scribitur, sed non nisi Christi morte intercedente. Soli enim fideles & in Christo renati hoc noui testamenti beneficium accipiunt, dum reiecto spiritu timoris per spiritum adoptionis satisfaciunt legi, accepta tamen prius redemptione earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, & repromissionem accipientes æternæ hereditatis, vocati secundum propositum gratiæ Dei, filij effecti & hæredes. Vt autem prius illud testamētum non nisi sanguine dedicatum est, sed animalium brutorum; ita & nouum dedicati oportebat, quod testaretur nos esse redēptos à tyrannide diaboli, mortis, peccati, & inferni; quemadmodum vetus illud testamētum testabatur Israëlitas esse à dura seruitute Aegyptiaca redemptos, in peculium omnipotentis Dei admissos, sub illius protectione esse tutos, terram illam optimam, fluētē lac & mel, se possidere sola ipsius misericordia. Quæ omnia figuræ erant tēporis præsentis, noui scilicet testamēti, quo agnoscūt fideles mortis Christi merito sese vocatos esse in libertatem gloriæ filiorum Dei, in adoptionem æternæ hereditatis, & in filios & hæredes Dei. Hæc enim præclara beneficia non potuit Aaronis perficere oblatio, non taurorum aut animalium sanguis, qui temporaneam tantum reconciliationem subinde reperendam conferebat. Atqui Christi semel in cruce facta oblatio, nobis æternam impetravit iustificationem, qua iustificati à peccato, & serui facti Deo, hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ, in Christo Iesu Domino nostro. Quòd si ergo ex ignorantia, aut ex hu-

mana

*Lex actionem
externam &
non voluntatem
cohibebat.*

*Mediator noui
testamenti
Christus.*

*Oblatio Aaronica
imperfecta.*

mana fragilitate relapsi fuerimus, non desperandum nobis est. Nam mediator noster est Christus, & nouum testamentum seu fœdus per sanguinem suum inter nos & Deum confirmauit, vt velit Deus pater propter filium propitiari peccatis nostris, quoties ex animo conuersi fuerimus. Agnoscamus itaque & amplectamur tanta Christi beneficia, eique & peccatorum fuga & innocentiae studio simus grati, nec sinamus redemptionis nostrae pretium vnquam in nobis petire.

EPILOGVS.

Pericope epistolæ huius noni cap. habet, quomodo B. Paulus confert summum sacerdotem veteris testamenti cum Christo Iesu summo noui testamenti sacerdote. illius templum cum huius templo, illius sacrificium cum huius sacrificio; illius denique sacrificij vim seu effectum, cum huius sacrificij efficacia. Et eò quidem perducit collationem huiusmodi: vt (quemadmodum etiam per totam epistolam ad Hebræos) fortiter probet & euincat, veteris testamenti sacerdotium ac sacrificium typum & umbram meram fuisse sacerdotij ac sacrificij Domini nostri Iesu Christi: huius verò sacerdotij & sacrificij ipsissimam esse veritatem atque perfectionem absolutissimam, ideoque hunc vere esse Christum seu Messiam, Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nam per suum sacrificium purgauit conscientias nostras à mortuis operibus, profligauit, aboleuit, deleuit peccata, & sanctificauit credentes, Heb. 9. Isai. 53. Rom. 8. Ioan. 17. In hunc autem finem à peccato liberati, & sanctificati sumus, vt seruiamus iam Deo viuenti, quemadmodum hic Apostolus ait. Hoc idem sacrificium de cætero iam incruentum in altari perpetuat Ecclesia sub speciebus panis & vini, idque in Dominica passionis iugem memoriam ex præcepto Christi.

DOMINICA QUINTA IN PASSIONE, EVANGELIUM.

Ioan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? &c. Finis Euangelij: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Matth. 26.

Marc. 14.

IN Euangelio hodierno euincit ipsemet Christus verus & sanctus sacerdos, se nulli peccato esse obnoxium, & doctrinam suam veram esse: adeò valida est veritas, & nihil contra Deum possunt humana consilia. 3. Esdræ 3. Prou. 21. Item quemadmodum medicus vbi ægroto morbum suum patefecerit, illiusque grauitatem; toto deinde studio laborat cum ab illo morbo reuocare, ne tandem intereat, & vitæ patientur dispendium. Ita optimus animarum medicus Christus, vbi latentem Iudæorum aperuit languorem, quòd, scilicet, filij essent diaboli, & eius desideria studerent explere, acrioribus interrogationibus eos nunc ad salutem reuocat,

Luc. 22.

1. Cor. 11.

& ad veritatem audiendam exhortatur; quasi aspera quædam medicamenta putrido vulnere admouens, quæ totam eius saniem & putredinem exedant, ait Cyrillus in hodiernum Evangelium. Quater Christus locutus est Iudæis, Iudæi solummodo ter responderunt: utpote qui ad quartum Christi verbum, quod responderent, nihil habuerunt. Obstruxit enim os loquentium iniqua, Psal. 62. Continet verò Evangelium quatuor.

Apologia
Christi.

1 Primò, Apologiam, qua Christus veritatem tum doctrinæ, tum vitæ suæ defendit contra calumniam sycophantarum: Sæpius Christum accusarant, quòd Mosis & legi derogaret, cum sabbato ægrotos sanaret; quòd patrum traditionibus aduersari videretur; dæmonium haberet: in Beelzebub dæmonia eiiceret: potator vini & vorax esset: cum peccatoribus & publicanis manducaret. Proinde statutum fuerat à magnatibus, ut qui Christum Iesum profiteretur, extra synagogam fieret; imò ab iis illius mors rata & decreta fuerat. Christus igitur quòd cogitationes cordis eorum nosset, & se tandem eorum falsis delationibus moriturum præiuderet, ius suum dicere, & causam suâ tueri coram inimicis etiam iudicibus voluit. Non tamen quasi non spontaneè mori paratus sit (factus enim patri obediens vsque ad mortem, Phil. 2.) sed suam innocentiam tuetur: idque ut non reus putetur. Deinde ne etiam sibi sapere videantur eius aduersarij, & ad seipos redeant, dum se iniuste ab illis accusari probaret. Sic enim Mich. 6. Deus cum Israël exprobat: & Isai. 1. & 5. ut ad meliorem frugem redeat. Simulque quasi in iudicio contendit, ut curam habendam de bono nomine doceat, Eccles. 4. Porro magna est conscientie securitas, quæ aduersarios etiam iudices facit. Et hoc ipso sanè quid maius facit Christus quam Samuel, qui cum populum regis habendi desiderio teneri videret, eisque Samuelem consecrasset, dixit ad vniuersum Israël, 1. Reg. 12. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, &c. Maius longè est testimonium innocentie Christi, imò etiam eo quod sibi postea Paulus fieri expetebat à maioribus natu Ecclesie Ephesine, Act. 20. Siquidem nec Israël inimicus erat Samueli: nec seniores Ephesi aduersabantur Paulo. Isti verò quos Christus testes & iudices facit, in ipsius vitam coniurant & doctrinam. Est enim omnibus impiis familiare ex moribus æstimare doctrinam, & ex doctrina æstimare mores, quanquam ineptissimè. Nunquam enim valet argumentum à doctrina ad mores, vel econtra. Nam Tertull. libr. de præscript. in hæretic. non semper à moribus ac doctrinam fidei consecutionem esse necessariam testatur. Probari autem potest, &

Argumentum
à doctrina ad
mores non
valet.

test, & eorum exemplo qui perditè viuentes sanam fidē prædicarunt, vt Scribæ & Pharisæi, Matth. 23: Et Prophetæ qui perditè viuentes, vera tamen ediderunt oracula, vt Balaam, Numer. 24: Saul, 1. Reg. 19: Cayphas Ioan. 11. Vera quoque somnia viderunt: Nabuchodonosor, Daniel. 2. Pharao, Genes. 41. Sed & permultorum Gentilium mores, & si non vite æternæ meritorij, boni tamen fuerunt, vt Thalasilj senatoris continentia; Lucretiæ pudicitia: Socratis frugalitas, & omnium ferè Philosophorum vita austerà, quorum tamen doctrina fidei mendax fuit. Sed & quot nunc & olim fuere hæretici, qui vt sanctitatem viderentur amplecti, se ab Ecclesia segregarunt, vt Andiani, Cathari, Donatistæ, Parmeniani, &c. Quot etiam nunc se purissimos iudicant ex Anabaptistis, (spiritualibus prophetis, & cæteris, quorum tamē doctrina impia est? Ne tu igitur ex moribus fidem commēdes, aut econtrà. Christus itaque, vt omnibus pijs, ac præferim Episcopis, pastoribus, & concionatoribus, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam suā, Act. 20. exemplum daret, quomodo ipse oporteat in medio nationis prauæ sine querela conuersari & sine crimine, Philip. 2. Tir. 1. quanquam nemo illorum tam innocenter viuere possit, vt coram Deo reprehendi nequeat, non contentus integritate doctrinæ suæ, vite quoque suæ innocentiam tuetur ac defendit. Est autem obseruanda Christi innocentia, mansuetudo, & modestia, quæ tanta fuit, vt non vereatur eam etiam inimicorum iudicio exponere, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id est, conuincet de peccato, siue id in mores, siue in doctrinam sit? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare, Mich 6. Iudicium Deo cum habitatoribus terræ: Popule meus quid feci tibi? Responde. Cōsolatur nos summè hoc verbū. *Quia enim aduersarij ne Christum quidem minimi peccati arguere potuerunt, sed totus à peccatis liber fuit, potuit verè mediatorem, imò summum sacerdotem agere inter nos & Deū, nosque à peccatis mundare, & Deo reconciliare, quod facere non potuisset, si ipse peccatis obnoxius fuisset, quemadmodum sacerdotes Leuitici, qui necesse habebāt, sicut pro populi, sic & pro proprijs delictis, orare, & offerre. Christus autem verè pontifex est, sanctus, innocens, impollutus, &c. & ideo per semetipsum audet ad Deum accedere, Hebr. 7. Et talis sanè decebat, vt nobis esset pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior calis factus, ait Apost. ad Hebr. Qui pertransiret benefaciendo, & sanādo omnes languores. Sic igitur sese habent verba Christi: q. d. Non refugio iudicem & testem, accedat qui volet, & me de*

*Quæstio soli
Christo com-
petens.*

*Mariam vir-
ginem immu-
nem à pecca-
tis facit Au-
gust.*

peccato contineat, præsto sum. Nulli autem præterquam vni Christo, licet hanc proponere quæstionem, qui solus (vt habet B. Petrus, 1. cap. 2.) peccatum non fecit, aut nascendo contraxit, qui inter mortuos est liber, Psalm. 87. & dolum non habuit in ore. Cæteri enim omnes (Apostolo teste Roman. 3.) cum peccauerint, vna tamē Virgine, vt habet S. August. semper excepta, libr. de natura & gratia, cap. 36. ac sint peccatores, tales sese agnoscere debent, & vt tales argui possunt, Iac. 3. 1. Ioan. 1. Non est enim qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Quis enim dicere queat: Mundum est cor meum, & purus sum à peccato? Prouerb. 20. Sacerdotes nescierunt, & præuaricati sunt, Ierem. 2. Vidi in loco iudicij, & ecce iniquitas. Principes quoque infideles sunt, socij furum. A planta pedis vsque ad verticem non est in homine sanitas, Isa. 1. At Christus se quid amplius homine habere ostendit, dum se de peccato argui non posse palam prædicat. Et hoc quidem ipsa etiam dæmonia contestata sunt, clamantia: Scimus quod sis sanctus Dei, Luc. 4. Ipsa vxor Pilati viro hæc significauit, d. Nihil tibi & iusto illi. Hoc Iudas cōfessus est, sanguinem iustum vocans. Hoc Pilatus: Tantum impij obdurere Iudæi. Tamen hoc curare sollicitè debēt Christiani, vt sine graui crimine viuant coram mundo. Hinc B. Paulus, Ephes. 5. Auaritia autem & immunditia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Ideo præcipit, vt substrahamus nos ab omni fratre inordinatè ambulante, 2. Theff. 3. imò ne cum huiusmodi cibum sumamus, 1. Coriath. 5.

*Fons reproba-
tionis Iudaicæ
incredulitas.*

2. Secundò, Aperit Christus fontè reprobationis Iudaicæ esse peccatum incredulitatis, sicut salutis est fides. Hinc cum non semper à moribus ad doctrinam consecutio necessaria est, ad eò vt qui sanis est moribus, doctrinam aliquando dubiam prædicet: non morum tantum integritatem, sed & doctrinæ suæ veritatem Christus confirmat, d. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? q. d. Si pseudopropheta essem, iure me exploderetis: at verò non potestis non tantum mores meos de peccato, sed neque doctrinā meam de impostura arguere. Cum ergo & in moribus integritas, & in doctrina veritas elucescat, quare non creditis mihi? Cuius vita despicitur, facile est, vt & doctrina contemnatur, & ei dicatur hoc Apost. Rom. 2: Qui prædicas non furandum, furaris? Qui ergo aliū doces, teipsum non doces? Oportet nimirum, ait Plutarchus lib. de doctrina principum, vt ipsa regula primùm recta sit, nihil habens obliquum, quò deinde cætera sibi admota ex-quet: ita & concionatorem seu prælatum purum esse decet, quò tandē alios reformare liberè queat. Cur igitur non creditis, ait Christus, cum veritatem dicam? Quasi contestans nihil

nihil eorum molimina veritatem impedire posse. Hoc sanè sapienter sensit, & interpretatus est Zorobabel (vt refertur, 3. Esdr. 4.) tum corporis regis Darij custos , melius utique quàm ceteri iuvenes, quorum vnus scripsit forte esse vinum, alter fortiores regem . nimirùm hæc Zorobabel sententia fuit: Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas. Nihil igitur proficient suis technis & blasphemii Iudæi: nec poterunt veritatem deprimere. Cæterùm vim habēt omnes hæc dictiones. Ego dico vobis, non minus quàm vox illa, veritas. Ego utique verus Messias & Christus, qui olim per prophetas locutus fueram. Loquor, & familiarem me vobis reddo: in propria quoque persona cælestes thesauros cōmunico. Vobis, inquam, qui vos Abrahæ filios iactatis, nec interim illius fidem & opera æmulamini; vobis filii degeneribus & induratis geniminis viperarum, quo non voluntatis meæ mortem peccatoris esse doceam. Quare ergo non creditis mihi, quem innocentem & Messiam esse negare non potestis? Ex his obserua: Vt Christus ei qui veritatem dicit, credendum: ita mendacem concionatorem abigendum insinuat. Quis enim regum & principum aut se aut suos à subdito quodam inhonorari, imò eorum aut suum nomen dedecore aspergi permittat, quin eum aut de medio tollat, aut in exiliū mittat? Vtrumq; sanè & Theodosij & Amphiloehij factò liquet apud Nicephor. lib. 12. cap. 9. Cùm enim Amphiloehius Iconij Episcopus à Theodosio eiectionem Arrianorum non impetrasset, tandem cum aliis Episcopis Imperatorem salutans, cōsultè filium eius Arcadium contempsit: quem Imperator vt rusticū & inciuilem arguit. Illo verò sufficere hunc honorem principi Arcadio, respondente: Eiecite, inquit Theodosius, hunc à palatio. Porrò cùm extraheretur Amphiloehius, ad Imperatorem conuersus: sic scilicet existimare te oportuit, inquit, succensere etiam cælestem Imperatorem propter eos, qui aut illi aut filio derogant, proinde abigendos esse. Porrò vt discernendi sunt Pseudoprophetæ à piis concionatoribus, Matth. 7. Paulus indicat: inter veram prædicationem & falsam hoc discrimen assignans. Quòd

- 1 Falsa & immunda sit.
- 2 In adulatione.
- 3 Ambitiosa.

Hæc enim ait, 1. Thessal. 2. exhortatio nostra non fuit de errore, immunditia, & dolo, neque in sermone adulationis fuimus, neque quærentes ab hominibus gloriam. Immunditiæ studuerunt Nicolaitæ, quòd mulieres haberent communes. Sic Cerinthus ventri, giuæ ac libidini deditus fuit, ait Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 28. Opratus lib. 2. in Parmenianum, incestos dicit Donatistas, & stupratores virginū. Adamitæ promiscuè omnibus commiscebantur. Albigenes de-

testabilem luxuriam operabatur. Sicque alij permulti. Adulatio quoque omnibus hæreticis in vñ est, vt alliciant principes, imò omnes homines carnales. Tales Epicurei, de quibus Ila. 30. Loquimini nobis placentia, & audiemus vos. Tales ij qui principibus adulantur, illis omnem etiam Ecclesiasticum potentatum deuouentes, homines beatos iam prædicantes, nihil opus ieiunio, carnis maceratione, & penitentiæ operibus inclamantes, quo lubricam hanc carnem titillent, ei que adulentur. Omnes quoque ferè hæretici superbia & ambitione tument, & inflati sunt. Omnem enim hæresim, ait Epiphanius, in hæresim 75. Atrij, aut temeritas, aut vana gloria, & elatio fastuosa, aut concupiscentia effecit. Proinde quoties hæc tria ex alicuius doctrina colliguntur, illis ommissis, tutiora sectari necesse est, & veritas Christi amplectenda. Nam eius doctrina, puritatem, humilitatem, & in peccatores seueritatem adeò commendat, vt iis quæ concionatori requiruntur virtutibus vberimè Euangelica abundet historia.

Quia ergo omnem Christi veritatem abominati sunt Iudæi, propter insignem ipsorum incredulitatem, docet ipsos non esse populum Dei, genus electum, regale sacerdotium, & gentem sanctam, sicut olim à Deo appellabatur, dum scilicet pollicerentur sese Dei præcepta seruaturus, dicentes: Omnia quæ locutus fuerit nobis Dominus, faciemus, Exod. 19. sed esse potius, vt ait Christus, filios diaboli, Ioã. 8. genimina viperarum, Matth. 3. sepulchra dealbata, Matt. 23. & reprobos & maledicto obnoxios; quanquam longè aliter ipsi iudicarent, nimirum sese propter patriarchas esse gẽtem sanctam, quòd illorum essent genus, ac nõ posse à Deo reici: siquidem promissiones patribus factas secundum carnẽ tantum intelligebant. Quod graueriter semper reprehenderunt propheta, Hierem. 7. Baptista, Matth. 3. & Christus etiã hic cum dicit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* August. tract. 42. in cap. Ioan. 8. Noli attendere naturã, sed vitium. Naturã ex Deo erant, vitio non ex Deo. Sicut & sunt filij Abrahæ: & non sunt filij Abrahæ: Abrahæ sunt naturã, & filij sunt diaboli voluntate. Natura enim bona est, peccatum autem est à mala volutate. In natura vtique malum non est. Vide etiam Origen. dialog. de recta in Deum fide. His ergo verbis rationẽ reddit Christus cur suã & omnis pia doctrina ab impiis non admittatur. Non vtique quòd aliquis defectus in ea sit, sed in auditoribus. Quemadmodum enim solem huc arguere non potes, si quis eum non intueatur, & labatur (omnibus enim æquus est, & se videndũ præbet) sed eum qui lapsus est, potius arguis, forsan quòd oculos clauserit, lumenque intueri neglexerit: ita nullus quoque Christi

*Iudæi ex Deo
& nõ ex Deo.*

Christi doctrinam velut impiorum ruinæ causam esse censet, sed eorum cæcitatem, & obduratam mentem, qui verba Dei audire neglexerint, nimirum quia ex Deo non sunt. Cæterum si spiritualementem natiuitatem attendimus qua filij Dei gignuntur, hi soli ex Deo sunt, qui per Christum ex aqua & Spiritu sancto regenerati sunt, Ioan. 3. & fidem rectam habent in eum, Ioan. 1. Item hi soli ex Deo sunt, qui ex electione sunt; item qui ex prima benedictione sunt, quam accepit homo ante peccatum. Hi audiunt verbum Dei. hinc Ioannes Bapt. ait: Amicus sponsi, audit vocem sponsi, & gaudet, Ioan. 3. Sic sponsa, Cant. 2. Sonet, inquit, vox tua in auribus meis. Et David Psal. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Et iterum: Bonum mihi lex oris tui, &c. Audiunt autem qui ex Deo sunt, verba Dei, non solum auribus corporis, sed & mentis affectu, & executione operis. Libenter enim audimus ipsum quem diligimus, & de ipso. Quo contra qui à Deo non sunt electi, nec ex prima benedictione, sed ex maledictione sunt: hi à veritate auditum auerunt, & ad fabulas cōuertuntur, 1. Timoth. 4. Hinc addit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sed nunquid non in synagogis suis Moyses & Prophetas audiebant? Num eos legebant? Audiebant quidem, sed aure corporis, literæ addicti, non ad ea quæ dicerentur tota anima attendentes. Nam siue de Messia agebat lex, non aduerterunt completa omnia quæ de ipso sunt, oculis suis. Siue de cæremoniis legalibus, has tantum carnaliter interpretabantur. Siue de præceptis legalibus, ea suis traditionibus peruertebant. Proinde de his optimè loquutus fuerat Spiritus s. per Isaiam cap. 6. Vade ad populum istum & dic: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicientis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos, Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8. Ioan. 12. Roman. 11. Act. 28. Durissima sententia, quæ nedum Iudæos damnat, sed etiam plures è Christianis. Si ex Deo non sunt, qui verbum Dei non audiunt, quis non videt quam pauci sint electi, tamen multi, imò omnes vocati sint. Attendat igitur quilibet conscientiam suam, quomodo affectus sit erga verbum Dei, & videbit num ex Deo sit vel non. Qui enim tantum externis auribus audiunt, nec illud menti infigunt, vel ad opus accommodant, verbum Dei audire dicendi non sunt, nec fructum aliquem referunt; quemadmodum semen quod secus viam cadit, non fert fructum, quia aut conculcatur, aut volucres comedunt illud, Luc. 8. Hinc Paulus Rom. 2. Non auditores legis iusti sunt apud Deum,

*Verba Dei
quomodo au-
diant qui ex
Deo sunt.*

sed factores. Et Iac. 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum, &c. Alioqui seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis, Luc. 12. Contra verò: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc. 11. D. Gregor. homil. 18. in hoc Euang. triplicem audientium statuit differentiam. 1 Eorum qui nec aure corporis, nec cordis verbum Dei audiunt. 2 Eorum qui aure quidem corporis audiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. 3 Eorum qui & aure audiunt, & opere adimplere student: eosque tantum dici verè verba Dei audire.

Obseruandum hic erit, quid sit verbum Dei: & quid illud audire. Verbum enim Dei se dicunt omnes hæretici habere, licet etiã sibi ipsis contrarientur. Et is utique mos fuit Pseudoprophetarum, vt acclamarèt sibi Dominum reuelasse quæ dicerent, cum ne minima quidem visione eos dignaretur Dominus. Sic Sedechias Michæe colaphum impingès, 3. Reg. 22: Num mihi, inquit, sicut & tibi, locutus est Dominus? Imò Propheta Domini qui venerat in Bethel (3. Reg. 13.) à Pseudopropheta sic deceptus est, quòd sibi locutum esse Dominum diceret: iussisse denique vt in domum virum Dei reduceret, ei que panem & aquam apponeret. Porro quemadmodum fuerunt Pseudoprophetae in populo, ita & in nobis sunt magistri mendaces, inquit B. Petrus 2. epist. 2. Qui quidem se verbum Dei habere iactitant, cum tamen os eorum eructet mendacia & blasphemias. Vnde ne quis sibi prætextum quærat illis sectandis, quòd verbum Dei adiat, tria sunt obseruanda. 1 Verbum Dei manet in æternum. At hæresis à quibusdam suscitata etiam & aliquãdo defluxura est. 2 Verbum Dei non mutatur, quia non est Deus vt homo, vt mentiatur, Numer. 24. Hæresis autem à mutatione est: ea enim pura Ecclesiæ doctrina deprauatur. 3 Verbum Dei est id quod à patribus euangelizatum est: adeò vt si angelus de cælo aliud afferat, anathema sit, Galat. 1. Porro antiqui Ecclesiæ patres, Apostoli, & eorum successores, qui nullam hæresim sua doctrina confirmarunt, sed dogmata illis contraria conscripserunt. Non ergo audire verbum Dei dicantur, qui hæreticos adeunt. Sed & Biblia legunt hæretici: legerunt etiam isti Iudæi, quibus Christus ait: vos nō auditis verbum Dei. Legit Biblia Iulianus apostata: Porphyrius Christianæ doctrinæ hostis insensissimus. Legit Mahometus; legit & audiuit Arrius, & cæteri omnes: sed non vt ea sequerentur, verum vt deprauarèt, & in corruptū sensum detorquerent. Sicut sathan in Christum produxit scripturas, sed corruptas & detortas. Audire igitur verbum Dei, est eo sensu illud excipere, quo interpretatum est ab Apostolis, & eorum

corū successoribus, martyribus, doctoribus, Episcopis: quod vtrique sectari, est vnam Ecclesiam & eius doctrinam, quæ in continua ab Apostolis successione est, sequi. Facebant ergo hæretici cum suis corruptionibus, quas tamen esse verbum Dei iactitant. Termini nobis positi sunt (ait Epiphanius libr. 2. tom. 1. in hæreses) & fundamenta, & ædificium fidei, & Apostolorum traditiones, & scripture sanctæ, & successiones doctrinæ: & vndiquaque veritas Dei munita est. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis. State & tenete traditiones quas didicistis, & hoc vos ipsos probate an electi sitis: si verbū Dei ab Apostolis ad nos vsque in vnica Dei Ecclesia prædicatum ardentibus animis audiat, & non curiosè ad hæreses declinetis.

Hanc autem reprehensionem semper indignè tulerunt Iudæi, & ideo tanta feueritate testiterunt, & Christum Samaritanum & dæmoniacum appellant, correptionem mansuetè & leniter illatam non ferentes; quæ maxima apud eos erat conuitia. Hos enim, vt hostes Dei, execrabatur. Respondit ergo Iudæi, & dixerunt: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Statim vbi Christus conuinci se de peccato postulauit, silentio morum ipsius integritatem & doctrinæ veritatem Iudæi confirmarunt: nunc autem quòd se pungi Christi verbis videant, conuitiantur ei in duobus: Samaritanum vocant, id forsitan tribus maximè rationibus.

1 Quòd illum in quibusdam legem peruertere dicerent, in quibusdam sectari, quòd Samaritanis erat familiare.

2 Quòd ad Samaritanos diuertisset, eosque sua doctrina imbuisset, Ioan. 4.

3 Quòd in parabola hominis à latronibus spoliati, & semiuiui relictī, Samaritanum magis quàm Sacerdotem & Leuitam commendasset, Lucæ 10.

Dæmoniacum autem pro more vocant, Spiritus sancti in Christo vbertatem furori sathanico tribuentes. Summa: hoc vno verbo & doctrinam & vitam Christi calumniantur.

Doctrinam, cum dicunt eum dæmonium habere: vitam, cum dicunt eum Samaritanum. Nam dæmon rotius veritatis hostis, mendax est, & pater eius. Samaritani autem gentiles erant in Samaria positi per Salmanasar, captis Iudæis & translatis, cum legis Mosaicæ obseruatione idola colentes, 4. Reg. 17. & ideo duplici nomine Iudæis odiosi, tum quia terram ipsorum occupabant, tum quia idola colebant. Vnde opprobriosum erat illud nomen, quemadmodum si modò quempiam malè Christianum, Iudæum quis nominaret. Est autem id familiare omnibus impijs, v-

triam doctrinam & pios doctores persequi & accusare, eorumque vitam calumniari. Sic serui Iehu Elizeum vocant infa-

num,

num,

num,

num,

num,

*Reprehensionē
semper indigne
tulerunt
Iudæi.*

*Impiis familiare
pios persequi.*

num, 4. Reg. 9. Et Christus Matth. 10. dicit: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Item hic habes velut in speculo depictos omnium hæreticorum mores. Quoties enim Catholicus eos instruit & arguit, toties ad conuitia & blasphemias prorumpunt. Dentibus eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, ait Psal. Sic epoti sunt blasphemiarum calice, quem supra serpentem mulier gestat, vt refertur Apocal. cap. 17. Sic impudens fuit os Barien magi, Paulo resistentis, Act. 13. Cæterum nihil nos moueant tor calumniæ quas ingerunt, ceu nos cloacam, putorem, & mundi peripsema, ceu magos, impostores, Antichristi fautores, idololatrias, præstigiatores, asinos & indoctos vocent, Non est feruus maior domino suo. Si Christum tot conuitiis profciderunt Iudei, quid non equo animo ferre debemus? Attendat igitur vnusquisque quantam à peccatoribus sustinuit contradictionem filius Dei, ne tu deficias, si tale quid etiam tibi contingat, Heb. 12. Quare igitur iuxta Paulum, alio in loco, non magis iniuriam accipitis? quin magis fraudem patimini? Atqui ob humana impiorum iudicia non est à vera doctrina discedendum, sed in correptione perseverandum. Actum sunt maximè retundenda conuitia, quando gloriæ Dei, veritati Euangelicæ, & sacramentorum dignitati derogant, potius quàm existimationi priuatæ. Quia hæc blasphemias ab impiis Christo irrogata, gloriæ patris sui & prædicationi verbi derogabat, ideo magna seueritate illi resistit Christus. Quem vtinam imitentur ij, penes quos est publica potestas: vt sunt magistratus Ecclesiastici; Episcopi, pastores, concionatores: & politici, reges, duces & principes, atque adeo omnes quorum interest Christi & Ecclesiæ dignitatem tueri, quos in causis priuatis longè seuerissimos videre est, & in rebus fidei segnes, proprias iniurias grauerè vlcisci, Dei verò contumelias conuiuere.

Conuitia quando retundenda.

Beneficiū respondit Christus pro iniuria.

3 Tertiò, Pro illata sibi iniuria rependit beneficium, & à contumeliis etiam veris temperat, & mansuetissimè respondit, hac dulci verborum mansuetudine, eos & nos quoque ad lenitatem animi reducere curans, & vt summa lenitate vtamur erga irritatos, si quo pacto furentes animos sedare possimus, Proverb. 15. Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur rixas. Et Eccles. 6. Verbum dulce multiplicat amicos. Ad primam iniuriam non respondit Christus, quòd Samaritani nomine insigniri non detrectaretur, a deo erat hominum amantissimus. Sic enim Luc. 10. per Samaritanum vulneratum insinuatur. Imò Samaritanus idem sonat, quòd custos. Et tu quidem o Christe, custos es hominum, custos Ecclesiæ, custos gregis tui. Custodi ergo nos vt pupillam oculi,

oculi, &c. Sed etiam Samaritanos amplectebatur Christus, & quod verbum ipsi excepissent, primi que Evangelio credituri essent. At quoniam blasphemiam patri Iudæi inferebāt, Christum dæmoniū habere dicentes, Christus liberè respondet: *Ego dæmonium non habeo.* Quo docet nunquā patienter quenquam in Deum blasphemias eructātem audire. Proinde manifestam quoque reddit Iudæorum impudentiam. Porro ratiocinationibus ex indubitatis principiis necessariò cōcludit se dæmonium non habere, cum subdit: *Sed honorifico patrem meum.* Quasi sic argumentetur: Nunquā dæmonium honorificat Deum & patrem: at ego ei semper honorem defero: ego igitur dæmonium non habeo. Ceu, impossibile est ei qui dæmonium habet, Dei honorem prosequi, cum totus spiret quæ dæmon suggererit: impossibile est igitur me dæmoniū habere. Quoties nimirum patrem honorauit? Imò quando non honorificauit, qui humiliavit semetipsum, &c. Philip. 2. Quæ etiam putatiuo patri suo Ioseph subditus erat, Luc. 2: cui in baptismo & monte pater testimonium dedit, Matt. 3. & 17. Qui sua omnia patri accepta tulit, doctrinam, opera, imò hoc ipsum quod erat. At verò prospice ab initio dæmonia Deum non honorasse, Isa. 14: homini eius creaturæ inuidisse, Sap. 1: seminarium ei peccati indidisse, Genes. 3: idolatriam, omniaque scelera persuasisse; adeò vt princeps mundi diceretur, princeps super omnes filios superbia; adeò vt sibi sacrificari vt Deo voluerit. Immolabant enim olim filios suos, & filias suas dæmoniis. Porro non tantum Christus dæmoniaci nomen à se ablegat, sed & idem in Iudæos retorquet, eodem medio quo se dæmonium non habere docuerat. d. *Vos autem inhonorastis me.* Quasi sic in eos ratiocinetur: Quicumque filium Dei inhonorat, maligno & dæmoniaco spiritu impellitur: vos autē inhonorastis me, tot opprobriis, blasphemis & conuitiis proscindentes, imò & mortem meā molientes: vos igitur dæmoniaco spiritu obsessi estis. Obserua: Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum: sic qui non honorat sanctos, non honorat Deum qui eos elegit. Honorare enim decet sanctos (ait D. Ioannes Damascen. lib. 4. de fide orthodoxa cap. 16) vt filios & hæredes Dei, quemadmodum ait Deiloquus Euangelista: Quicumque receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. Ioan. 1.

Secundum argumentum hæc verba implicat. *Ego non quero gloriam meam.* q. d. Quicumque à dæmone impelluntur, suam gloriam quarunt: sed ego gloriam meam non quero: ego igitur dæmonium non habeo. Quod verò dæmon suam gloriam semper quærat, patet in eo quod dixit, Isa. 14: Ascendam

dam supra astra cæli, & similis ero altissimo. Quòd etiam hi qui sathanico spiritu ducuntur, tales sint, patet in Caino, qui se supra fratrem extulit: imò & Deum contempsit, Genes. 4. Item in Nemrod, Genes. 4: Pharaone, Exod. 4: Nabuchodonosor, Daniel. 1: Antiocho, 2. Machab. 9: Herode, Act. 12. Imò & in omnibus hæreticis, elatis, cupidis, superbis, vt ait Paulus, 2. Timoth. 3. Quòd autem hæretici suam semper quæsierint gloriam, patet in eo maximè, quòd principes eorum, suos non à Domino Iesu nuncuparunt, vt docet Hieronym. in Luciferianos, sed à suo nomine, vt Simoniani à Simone: Menandriani à Menandro: Arriani ab Arrio: Sabelliani à Sabellio. Sic Tatiani, Manichæi, Pelagiani, &c. Et vt ad nostros veniamus, Wiclephitæ, Waldesæ, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ, Zvingliani, Mennonitæ, & cætera huiusmodi pestes à suis authoribus cognomina sortiti sunt. Quodque sibi semper plura arrogarint, quàm quisquã Apostolorum & electorum virorũ, liquet hac inductione: Simon se Dei virtutem dicebat: spiritibus malignis se in cælũ efferri voluit. Vnde Romæ à Nerone posita est statua aurea, cum hac inscriptione: Simoni sancto Deo. Euseb. Cæsar. hist. Eccles. lib. Menander in suo nomine baptismum instituit, teste Tertull. libr. de præscript. Montanus se paraclætum dicebat. Theodas & Iudas Galilæus sibi Messia nomen vsurparunt, Act. 5. Hæretici verò nostri se Apostolicos, à secretis Deo esse, reformatores Ecclesiæ, prophetas, videntes, pueros innocentes, fideles seruos vocant: omnesque nihil nisi quod ipsi dicunt, esse rectum putant. Adeò arrogantiam sathanæ patris sui omnes imitantur. At verò hi spiritu Dei ducti sunt, nunquam ambitione tumuerunt: sed semper humiles se coram Deo & suis abiecerunt. Sic Moses & Hieremias se balbos dixerunt, Exod. 3. Hierem. 1. Sic Isaias se pollutum labiis nuncupat, cap. 6. Dauid vermem & non hominẽ: Apostolus se mundi peripsema vocitant. Petrus Christianos velut oues occisionis depingit. Idem se peccatorem acclamat, Luc. 5.

Tertia ratiocinatio ex his verbis depromitur. *Est qui querit & iudicat*, gloriã scilicet meam. q. d. Deus non querit gloriam dæmoniorum, sed neque iudicat, neque punit eos qui dæmoniis aduersantur: ille verò est qui querit gloriam meam, & iudicat discreti iudicio: ego igitur dæmonium nõ habeo. His quoque verbis Christus suam & patris gloriam eandem esse insinuat, non aliam atque aliam: cum velut zelotes eam quæsierit, & illatum gloriæ Christi opprobrium tam seuerè vindicarit in Iudæis, Luc. 19. & vindicaturus sit in omnibus infidelibus. Cæterum è Christi verbis docemur omnem factum,

stum, & ambitionem excutere, Dei solius gloriam quærere, ut ipse idem gloriam nostram quærat. Sic enim sanctorum suorum gloriam & quærit & vindicat, quos tamē adeò mundus contempsit. Eorum, inquam, gloriam quærît, cò quòd Apostoli & electi, non suam sed Dei gloriam quæsierunt. Nam in memoria æterna erit iustus. Imò & post mortem eorum corpora glorificatis animabus, honorat, quod non ceteris etiam dum viuerent mundo celeberrimis indulget. Quod Chrysof. tom. 5. homil. 66. ad pop. Antioch. probat. Christus discipulos, inquit, postquã abierunt, effulgere fecit. Et quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra, simulque & tempora pœrenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrũ ostendas Alexandri, & profer diem quo vitã finiuit. Nihil horũ insigne, sed omnia destructa sunt & exterminata. Dicit ergo summam dæmoniũ se non habere, gloriã propriam non quærere, & patrẽ honorificare. Quibus probat se dæmonium non habere, ex eo quòd in omnibus gloriam Dei quærat, & munus à Deo iniunctum in gloriam Dei exequatur. Hæc autem duo contraria sunt; dæmonium habere, & Deum honorificare. Nam dæmon Deum honorificare nõ potest, nec aliud ei obstat ad salutẽ, Matt. 4. diuini honoris æmulator fuisse perhibetur. Id ideo Christus facit, ut turò possint fideles ipsi credere, spem omnem in eum collocare, ex ipso dependere; siquidem ille vnus sit, quem proposuit Deus pater propitiatorem per fidem in sanguine ipsius; qui non suam, sed patris sui, ac omnium nostrum gloriam & salutem quærît, rationem qua eam adipiscamur proponens: quam hic collocat in cognitione, fide, & obediẽtia verbi sui, quod potest saluare animas nostras, Iac. 1. quod auditu percipitur, Roman. 10. fide quæ est ex auditu, creditur. Atqui sola illa verbi fides non saluat; nisi enim obediẽtia subsequatur, inanis & mortua prorsus erit fides Iaco. 2.

Potest hoc loco ostendi discrimen verbi Dei, & verbi sathanæ, quòd illud conuertat corda, Hierem. 23. sapientiam præstet paruulis, Psal. 18. præstet vitam, Deut. 8. aliãque plura adferat commoda, quæ passim scripturæ referunt: istud verò à Deo auertat, mentem obscuret, in errorum tenebras abducat, & mortem denique adferat, ut restantur eorum exempla, qui istud in animo semel receperunt, ut Cain, Saul, Iudas, Arrius, Lutherus, Calvinus, & alij innumeri. Christus itaq; hic summam totius Euangelij ostēdit, quòd iuxta Apostolum, virtus Dei est in salutem omni credenti, Rom. 1. Et Ioan. 5. Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Hic verò dicit: *Si quis sermonem meum seruauerit,*

*Discrimen
verbi Dei &
verbi sathanæ.*

seruauerit, mortem non uid. &c. Beneficia pollicetur eum iniuria laceffentibus, vt doceat vincere in bono malum, Rom. 12: & si esurierit inimicus, cibum illi porrigere, & si situerit, potum dare, vt carbones ignis congerantur super caput eius. Non dicit, qui audierit, sed qui seruauerit. Seruatur enim primò per fidem, deinde per externam impletionem. Porro si quis alius sit locus, qui euertat eorum sententiam, qui solam fidem sufficere docent, certè hic est: tanta enim seueritate legis obedientiam exigit, vt neget eum beatum esse posse, qui mandata non seruauit. Non mori verò in æternum, est non incurere mortem illam æternam, cui damnati subiiciuntur, de quibus Psal. Sicut oues, inquit, in inferno positi sunt, mors depascet eos. Morietur quidem iustus morte naturæ, quæ tam iustis quàm iniustis est communis lege naturæ, & inuitabili necessitate, quam sancti etiam summis votis exoptauerunt, vt David, Paulus, &c. non tamen morte gehennæ, sed in Deo uiuet, quæ vera est vita, Eccles. 8. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali, Apocal. 2. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Non ergo disputat de morte corporali, quæ citò transit, & proinde minus propriè mors dicitur: nec Dominus Deus morientium sed viuorum. Abraham & Isaac Deus vocatur, etsi hi decesserint. Sed de morte quæ in æternum manet, loquitur, quam non vident, id est, non incurrunt electi. Ibunt enim qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, Ioan. 5. Nec mirandum, quòd Christus solito iuramento id confirmat. d. Amen amen. Magnum enim est quod promittit: iterum quoque, iterumquè inculcat, bona illa nobis ex promisso, non ex debito obuenire. Sed vt Pharisæis, ita & hæreticis, Sardana-palis, & Epicureis est hæc doctrina hypoeritica & diabolica: Negant enim veram bonorum operum iustitiam alicui prodesse, aut posse à morte redimere, contra aperta scripturarum testimonia.

Ex hac ergo Iudæorum responsione, qua dixerunt: *Nunc cognouimus quòd demoniù habes, &c. vsque: Quem teipsum facis?* Primò videmus naturam impij. Sicut enim accepta contumelia, bonus fit melior; sic accepto beneficio, malus fit peior; nequid abs re. Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiamsi mala sint. Odiètes autem Deum omnia etiã bona in malum vertunt. Nimirum istos Dominus amicè ad seipsum prouocabat, illi verò opprobriis eum afficiunt. Deinde vides hinc, quàm verè dictum sit, Eccles. 1. Peruersi difficilè corriguntur. Item illud Eccles. 7. Nemo corrigere potest, quem Deus despexerit. Impij enim semper proficiunt in peius, 1. Timoth. 2. Postremò palàm hic fit natura carnalis

hominis,

*Locus evidens
contra eos qui
solam fidem
sufficere do-
cent.*

*Natura impij
& pñ.*

hominis, qui nihil nisi carnalia cogitat. Nescit aliam vitam quam carnalem, nec aliam mortem quam corporalem. Proinde quicquid vel de vita, vel de morte audit, tantum carnaliter intelligit. At qui scriptura apertè nobis duplicem mortem insinuat, quarum vna longè ab altera diuersa est. Est enim mors corporis, quæ est ipsius animæ ab ergastulo corporis dissolutio. Et hæc non tam mors, quam obdormitio, transitus, & migratio ex hac vita, atque depositio sarcinæ corporis dici debet. Altera verò mors est animæ, quæ est ipsius per culpam à Deo separatio: & hæc dicitur mors prima. Est & per gehennam ab eius regno post huius vitæ decursum, priuatio fruitionis vitæ æternæ, quæ est mors secunda. & hæc mors secundum est formidanda. De hac loquitur hinc Christus: Mors peccatorum pessima. Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes, Prouerb. 11. Interpretantur ergo non mori pro non decedere ex hoc seculo, per separationem animæ à corpore, cum sit intelligendum pro gehennam non incurrere. Obserua interim omnem hæresim & contradictionem oriri maximè ex vario sensu dictionum, quòd aliter hæretici interpretantur quam Ecclesia. Porro nec tantum in mortis significatione errarunt Iudæi, sed & quod Abraham & prophetas Christo maiores esse arbitrantur, Christumq; arrogantiam insimulat, quòd se super eos ingerat. Proinde Christus respondit:

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est: & non cognouistis eum. Hoc respondet Christus, vt ambitionem, superbiam, omnium vitiorum principem, Deoque maximè detestabilem doceat. Proinde magnam sibi impingi blasphemiam cum arrogantiam insimulantur, ostendit. Ego, inquit, non glorifico meipsum, vt homo: cum potius sic paulominus ab angelis minoratus sim, & omnibus huius seculi afflictionibus memet submiserim. Alioquin gloria mea nihil est: cum nihil sit gloria quæ ab homine proficiat: fumus nimirum & aura leuis est, sed neq; homo sibi testimonium reddere queat. Est pater meus natura, qui glorificat me per miracula & doctrinam, qui glorificauit in baptismo & transfiguratione: quem vos dicitis quia Deus vester est. potius quam cæterarum nationum, eumque vobis illum esse proximum iactatis, quòd non fecerit taliter omnium nationi. Proinde gentiles contemnitis, vobisque vt domesticis Dei cognitionem arrogatis. Et tamen non cognouistis eum, quia nec cognouistis me, & nemo venit ad patrem nisi per me. Perfecta nimirum, imò & fidelis cognitio non nouit patrem sine filio, nec filium sine patre. Obserua hinc quam apertè Christus doceat patrem suum Deum esse: proinde inexcusabiles esse Iudæos, qui non crediderunt; nec etiam au-

*Mors duplex
in scriptura
insinuatur.*

diendos hæreticos, qui ex eo quòd Christus se dicit glorificari à patre, colligunt minorem esse patre: quoniã, inquit, qui glorificat maior est, quàm qui glorificatur. Quasi verò non etiam dicatur Christus patrem glorificare, Ioan. 17. Pater clarifica filium tuum, inquit, vt filius tuus clarificet te. Et ego te clarificavi super terram. Imò homines Deum glorificant, cum dicat Christus, Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, &c. vt glorificet patrem vestrum qui in cælis est: nec proinde illi maiores Deo esse dicuntur. Glorificat ergo pater filium vt æqualè sibi, quòd vna sit patris & filij gloria.

Cæterum quia de ignorantia conuincit Iudæos, se scientiæ diuinæ fontem & thesaurum ostendit, vt rursus eos ad se inuiter. d. *Ego noui eum*, cognitione eterna vt Deus, cum vna sit mea & patris scientia, hæc scilicet qua eum noui, & ipse se ipsum agnoscit; seu cognitione infusa, per cohabitationem omnis gratiæ & veritatis, Ioan. 1. *Et si dixero, quia nescio eum, eo similis vobis mendax.* Nam sicut mentitur is qui se scire dicit quæ nescit: sic qui se ignorare dicit quæ satis nouit. Mendaces verò erant Iudæi, quòd se Abrahæ filios esse, & Deū nosse iactarent: nec non Christum dæmoniacum esse dicerent.

Et quoniam dixerant: nunquid tu maior es patre nostro Abraham, se longè maiorem illo esse ostendit d. *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Vidit autem, aut cum seniori seruo suo, quem mittebat ad accipiendam Isaac uxorem, ait, Genes. 24: *Pone manum sub femore meo, & iura mihi per Deum cæli, &c.* aut cum in figura trinitatis tres angelos hospitio suscepit, Genes. 18. Vel diem suū diem crucis intelligit, quem Abrahā oblatione arietis & Isaac præfigurauit, Genes. 12. Non vidit quidē Abraham diem Christi oculis carnis, quem multi reges & prophetæ videre desiderabant, Luc. 10: sed vidit in spiritu, & gauisus est: vtique quia ipse fuit expectatio omnium. Sic gaudium eo nato annuntiauerunt angeli, Luc. 2: & lætatus est Simeon. Hæc enim dies, inquit Dauid Psal. 117. quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Semper animali sensu omnia perferuntur, & Christum secundum carnem iudicant, non aduertentes illū de coæterna & consubstantiali patris diuinitate proloqui: quomodo egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. Vnde ad eum pater Psal. 109. Ex vtero ante Luciferum genuit te. Hæc igitur non expendunt impij Iudæi: sed neque diuinæ sapientiæ verba, quæ Christus & Dominus possedit in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret,

fieret, &c. Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Excæcavit igitur eos malitia, ne hæc perpendent.

4. Quarto, Ad consolationem omnium eorū, qui in ipsum credunt, efficacissimis argumentis ostēdit Christus suam diuinitatem: siquidem patrem, cui natura æqualis est secūdam diuinitatem, habet Deum; maior est ipso Abraham patre Iudæorum; & antequam Abraham esset, ipse est. Hinc Iesus dixit eis: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Amen amen, cōfirmantis est dictio, quōd de re maxima testimonium faciat. Porro, Ego sum, de se ait: & de Abraham antequā fieret. Nam quantum id quod est, & id quod fit, ab inuicem differunt: tantum Deus à creatura. Deo enim proprium est esse: creaturæ proprium est fieri. Vnde ad Moysen Deus: Dic, inquit, illis: Qui est, misit me ad vos: & ego sum qui sum. His argumentis sicuti vehementer pupugit perfidos illos Pharisæos, ita magnoperè consolatur pios fideles, qui ex fide agnoscunt se illi fidere, qui Deus sit, ac proinde & possit & velit iuuare & seruare, vt merito cum Propheta dicere possint: Tu Domine, illuminatio mea, salus mea, & protector vitæ meæ, Psal. 26.

Porro vt hæc cognoscere singularis est misericordiæ, qua gratis præuenit, & illuminat intellectum: ita iudicij fuit propria malitia excæcatos Iudæos relinquere, vt magis ac magis impingerent in lapidem offensionis, & petram scandali, hoc est, vt contumeliis, calumniis & iniuriis adderent comminationes & verbera. Mali enim semper proficiūt in peius, i. Timoth. 2. nec antè desistunt, quàm quod praua voluntate conceperint, perficiāt. Quemadmodum ij impij, tantum abest vt suauissima hac Christi doctrina sint cōuersi, quin potius magis sunt cōmoti. Tulerunt ergo lapides Iudæi vt iacerent in eum. Adcō obstinatum & impium arguere, periculosum est. Non deficiebant rationes, miracula & verba Christo, sed obdurati sunt isti, nec intelligunt. Eodem quoque modo hæretici induruerunt, adcō vt necessarii coacti argumentis potius ad saxa, ignem, & gladios currant, quàm aliquid boni admittant. Iesus autem abscondit se & exiit de templo. Hic mos familiaris fuit Christo, vt doceret iratis cedere. Sed & illa quoque Dei est tum patientia, tum misericordia, quam singulari consilio hic exhibuit Christus, vt facillè possit impiorum conatus elidere & eneruare, ne tantum scilicet quàm velint noceant. Sicut enim sese hic defendit ne lapidibus obrueretur: ita nouit & suos de tentatione & periculis eripere, dum aut Ecclesie suæ, aut ipsorum saluti expedire iudicauerit, 2. Petr. 2. Poterat quidem seipsum Christus defendere, poterat facere

*Diuinitatem
suam ostendit
Christus.*

*Mali semper
proficiunt in
peius.*

miraculum, vt circa vllam offensionem lapides sustinuiſſet, vel in eiaculatores retorſiſſet; imò potuiſſet eos perdere, quemadmodum Helias quinquagenarios, 4. Reg. 1. Verùm extenuauit ſe Chriſtus vique ad noſtrā infirmitatem, & docuit omnia iuſta & pia eſſe tentanda, ne tenteretur Deus. Deinde filius hominis non venit ad perdendas animas, ſed ſeruandas, Luc. 19. quanquam ſi rem ipſam expendimus, ſatis pœnarum ipſis intulit, quòd ſe ab eis abſcondit, & è templo eorū exiuit. Hinc enim nihil non malorū ſecutum eſt. Nec mirum. Quid enim boni eſſe poteſt, vbi Deus ſe abſcondit? Vnde & per Moſen, Deut. 32. comminatus eſt: Abſcondam faciem meam ab eis. Quid enim eſt, quod Iudei vſque nunc longè ſunt à ſalute, niſi quòd Chriſtus ſe abſcondit ab eis? Et quid eſt quòd & ciuitas & templum eorum conruit, quòd que & feſta & ſacrificia eorum ceſſauerunt, niſi quòd Chriſtus exiuit de tēplo eorum? Sic enim eis prædixit, Matt. 23. Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Obſerua autē quos Chriſtus relinquit, nempe obſtinatos. Reliquit ergo Chriſtus nobis hęc memorabile exēplum, vt cū reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus. Vt enim ſubtractione lignorum extinguitur ignis, ita abſentia eius in quem quiſpiam ira inflammatur, ſedatur & mitigatur efferuentis iræ incendium. Sanè cū affectus iræ immoderatus ſuo ruat impetu in multa facinora, neceſſarium eſt vt hunc affectum intra rationis metas & leges cohibeamus. Sic monet B. Iaco. 1. cap. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iuſtitiā Dei non operatur. Et B. Paulus: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Exēplo enim Domini glorioſius eſt iram tacendo fugere, quàm loquendo ſuperare. Vnde & Sapientis, Prouerb. 16. Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Item cap. 19. Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi.

EPILOGVS.

Logomachiam admodum vehementem habet hoc Euangelium inter veritatem & mendacium, hoc eſt, inter Chriſtum & obſtinatos Iudeos. Chriſtus veritas ipſa veritatem defendit: illi verò vſpote mendaces mendacium tuentur, veritatemque blaſphemant. Acriter vtrinque certatur: at cedit tandem mendacium & vincit veritas. Sic hereticorum omnium, quorum dentes arma ſunt & ſaritta, eſt ſcripturam in ſuam ipſorum perniciem torquere Ambroſius, Auguſtinus, & alij omnes ſancti patres, dicunt Eccleſiam, præter orationem & lachrymas arma non habere. Donatiſta autem, Huſita, Lutherani, Caluiniſtæ & alij heretici, crudeliter pacem publicam turbate, & arma ſibi uſurpare non ſunt

Iudæi cur longè ſint à ſalutē.

Obſtinatos relinquit Chriſtus.

Patientia commēdatio.

Arma Eccleſiæ, & hereticorū diuerſa.

sunt veriti, quare & ipsorum Euangelium optimo iure locicatum vocare possu-
mus. Sed utraque interim ringant, veritatem extinguere non possunt. Nam iux-
ta Psal. veritas Domini manet in eternum. Veritatis eidem Iesu Christo Do-
mino nostro, sit cum patre & Spiritu sancto, par laus & gloria, in seculorum
secula, Amen.

FERIA SECUNDA POST DO-
MINICAM PASSIONIS,
EPISTOLA.

Et factum est verbum Domini ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in *Ionæ 3.*
Niniven civitatem magnam, &c. Finis Epistolæ: & miserus est Deus su-
per malitia quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

HISTORIA præsens prædicationem Ionæ ad Niniui-
tas continet, quam missione Dei & eiusdem iussu ag-
gressus est, nec id frustra. Nam audientes verbū gauisi sunt,
& glorificabāt illud, & crediderunt Domino, egeruntque pœ-
nitentiam, quia præordinati ad vitam, Act. 13. Tria verò
continet præsentis Epistolæ historia.

1. Primò Ionæ Prophete apud Niniuitas concionem com-
minatoriam, qua eos magna ignorātia veri Dei laborantes,
Legis Mosaicæ cognitione destitutos, & omnibus sceleribus
diffuentes ad pœnitentiam hortatur. Orditur autem etiam
ex præcepto Dei prædicationem suam à terrore & commina-
tione futuri excidij. Malè ergo docent hæretici, pœnitentiam
ex terrore iudicij diuini conceptam, constituere homi-
nem magis peccatorem. Certè Achab 3. Reg. 21. Manasses 2.
Paral. 33. & Niniuitæ Ionæ 3. ex solo terrore comminationis
diuine sumpta pœnitentia iram Dei flexerunt: quanquam ea
perfecta non sit pœnitentia, cui liuor annexus est, nō tamen
mala est, quia Augustino teste, vt seta linum aut filum, ita
timor introducit charitatem, quæ tandem foras mittit timo-
rem. Pertinet ergo ad Euangelium, non solum gratiæ Dei,
promissionū diuinarum, & misericordiæ prædicatio, vt vo-
lunt Sectarij, sed etiam iustitiæ Dei, quam vbique inculcant
scripturæ, comminatio: vt qui amore resipiscere nolunt, ti-
more saltem peccare desistant, quemadmodum noster hic Io-
nas, cuius oratio singularè Dei proponit iustitiam, Psal. 114.
& 48. qua comminatur futuram subuersionem, dicens: Ad-
huc quadraginta dies, & Ninive subuertetur: item singularè Dei pro-
ponit misericordiam, qua pœnitentiæ spatium 40. scilicet
dierū concedit. Rom. 2. An ignoras, quia benignitas Dei ad
pœnitentiam te expectat? vt scilicet impunitatem peccandi
nemo sibi temerè polliceatur, tum vt peccatis obnoxij nō fa-
cile in desperationem laberentur, scientes ipsum nolle mor-

Concio Ionæ
ad Niniuitas
cominatoria.

Euangelium
non solum
gratiam sed
etiā iustitiam
inulcat.
Oratio Ionæ
iustitiam Dei
& misericor-
diam propo-
nit.

Deum longanimis et iustum.

tem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat, Ezech. 18. Longanimis ergo Deus tempus pœnitentiæ nobis abundè tribuit, solè suum super nos oriri facit, pascit & nutrit; aliquando etiam tanquã iustus percutit: omnia, vt tandem respiscamus, & dignam pœnitentiam agamus, facit: denique nisi ad ipsum conuertamur, ipse nos, iuxta hoc quod Niniuitis interminabatur, penitus subuertit, hoc est perdit. Turpe planè est nos qui Christi nomine censemur, exemplo Niniuitarum, vt à peccatis absterreamur, opus habere, qui lux mundi esse debebamus, Matth. 5. & 6. Bone Deus, quanta est in mundo peruersitas? Christianorum est suo exemplo Niniuitas, Babylonicos & omnes ethnicos ad sanctimoniam allicere & inducere: sed nos eorum exemplis ad pietatè pro-uocari opus habemus. Illi aliud nihil nisi legem habuerunt naturalem: legem Dei & tot diuinæ gratiæ charismata nesciuerunt, & tot præclara virtutum exempla ediderunt: nos Euangelium vnà cum lege quotidie audimus, tot charismatum diuinæ gratiæ sacramentis quotidie fœuemur, & ethnicis omnibus scandalo sumus. Heu mihi, quãtum nos manet supplicium. Viri Niniuitæ surgent in iudicio contra generationem Christianorum, & condemnabunt eam, &c. Matt. 12. Vapulabunt enim plus, qui Domini voluntatem scientes, non faciunt.

*Pœnitentiã se-
ria Niniuitarum.*

*Verbum vitæ
missorum ef-
ficax.*

*Verbũ pœni-
tentia efficax.*

2. Secundò, Seriam Niniuitarum pœnitentiam, quam ex fide & timore auditæ comminationis susceperunt. Nam docet scriptura ipsos credidisse Domino, prædicasse ieiunium, & vesticos sacco à maiore vsque ad minorem. O potens & efficax verbũ, quo tam citò & tam efficaciter regnum destruitur sathanæ. Fortis armatus sathanas, Luc. 11. Leuiathan & Behemoth, Iob 40. Fortius verò verbum omnipotens & veritas. Vide quid pœnitentiæ possit prædicatio. Exemplum habes, Act. 2. Et hic apud Ionam, qui vix sermonem pœnitentiæ incepit, & totam ciuitatem quanta quanta erat, cepit. Per hunc enim sermonem cognoscunt clecti Dei præsentiam, 1. Cor. 14.

*Pœnitentia
perfecta con-
stare nequit
sine fide.*

Non temerè autem scriptura antequã Niniuitarum pœnitentiam describat, ipsorum fidem præmittit: quia Apostolo teste, quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. Et sine fide, impossibile est placere Deo, Heb. 11. Quãquam enim fides non sit pars pœnitentiæ, requiritur tamen tanquam necessaria, vt sine ea perfecta pœnitentia constare nequeat. Est autem obseruanda horum Niniuitarum pœnitentia, qua prædicant ieiunium, & vestiuntur sacco, vt scilicet, sicut exhibuerant membra sua seruire immunditiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibeãt ea arma iustitiæ in sanctificationem, Rom. 6.

Rom. 6. Sic & peccatrix illa, Luc. 7. Quia igitur hi vel conscientia ipsorum teste, Deum offenderant luxu, ambitione, superbia, aliisque peccatis & flagitiis, nunc eorundem detestatione ipsum sibi conciliare nituntur. Ostendit autem hic locus, veram penitentiam non esse tantum nouam vitam, sed completi veteris vitæ detestationem, voluntariam corporis afflictionem, lachrymas, Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, & deprecationem admissorum criminum, Act. 8. Obseruanda autem est seueritas huius penitentia, ad quam regis decreto adstringuntur, non ij tantum qui ratione vtuntur, sed etiam iumenta, boues, & pecora, imò rex ipse, regio fastu deposito, penitentis habitum, saccum & cinerem adsumit; ex quo agnoscere licet verbi Dei potentiam omnem superbiam destruentis.

Vides hic communis reformationis instar, & certissimum modum, Reip. moderatoribus omnibus præscriptum. Nam rex trabem ex oculo suo dempsit, domum suam aut aulam primùm purgauit à peculiariibus aulae vitiis, qualia sunt: exactio, fastus, calumnia, pompa, commessatio, & hoc genus alia: deinde plebi suæ penitentiam præscribit; & vt quisque quicquid haberet vitij, corrigeret, alius adulterium, alius fornicationem, alius luxuriam, alius rapinam, alius furtum, alius vsuram, &c. tandem vult vt fortiter clament ad Dominum. Fiet sic demùm pulcherrimus rerum status, & reformatio morũ, vbi caput primùm curetur. Nam tantisper dum caput ægrotat, cætera mēbra non dolere non possunt. Exemplum optimi principis etiam vides in Dauid, & aliis piis regibus & principibus veteris atque noui testamenti vniuersis. Exempla magnatum potissimum mouere, & maximæ esse efficacæ Poëta testatur, dicens: Sic natura iubet, velocius & citius nos corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis cum subeant animos authoribus. Tot mortibus ergo princeps mali exempli dignus est, quot ex plebe corrumpit. E regione tot palmas merebitur, quot suo exemplo ad iustitiam erudierit. Episcopi præcipuè virtutis exemplum debent vulgo, iuxta hoc Matth. 5. Vos estis lux mundi, i. Timoth. 4. Tit. 1. Sed & prophani principes sal terræ esse debent, qui si fatui fuerint, heu mihi, quantum damnum Reipub. inferent? Nihil ergo & illis superest, nisi vt tandem grauius damnentur, sic vt dānatis cæteris horrore fiant. Iudicium enim durissimum in iis qui præsumunt, fiet: & potentes potenter tormenta patientur.

Obseruandum hic etiam Ethnicos nouisse ieiunium, saccum, cinerem, & clamorem in celum ad penitentiam, & peccatorum expiationem pertinere. in hoc Lutheranis oculi

Penitentia vera non est tantum noua vita.

Reformationis Reipubl. modus certissimus.

Exemplum optimatum maxime mouet.

Ieiuniũ, saccum et cinis ad penitentiam pertinent.

latiores hæc damnantibus. De ieiunio vide, 1. Esdræ 8. cap. Et Psal. 34. Et Ioelis 2. Papisticum non est, quod ait S. August. in serm. de ieiunio. Ieiunium purgat mentem, subleuat fœcibus, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Neque hoc Hieronymi ad Cancell. Ardentes diaboli sagittæ ieiuniorum & vigiliarum frigore restringendæ sunt. Iterum idem: Dignus & victus & habitus pœnitentiæ, vt qui offenderât Deum luxu & ambitione, eorum damnatione placarent, per quæ prius offenderant. Saccus & ieiunium arma sunt pœnitentiæ, &c. Hæc ille, & quidem omninò euangelicè. De sacco, quo vsi sunt sancti, lûbos eo tegēdo, vides etiam, 3. Reg. 20. Esa. 20. Dauid quoque, Iob. Daniel, Nehemias, aliique illustrissimi principes ea veste sunt vsi in luctu & pœnitentiâ. Neque eam aspernatur testamentum nouum, Matth. 11. Supra ieiunium & vestem lugubrem, solebant etiam pœnitentes sedere in terra, quam Hebræi vocant puluerem. De hac re vide prophetam Hieremiam cap. 13. sic dicentem: Humilia mini, sedete in terra. Pertinet huc, quod de chameuniis, hoc est, de prostratione atque recubitu in terra sanctorum patrum Catholice Ecclesiæ sæpè legitur. Hæc præcedentia cum oratione sibi benè consentire vides Matth. 17. Luc. 2.

Saccus.

Cinis aut puluis.

Oratio pertinet ad pœnitentiam.

Ioel. 2.

Operum bonorum assertio.

Opera bona rectè merita vocantur.

3 Tertiò, Stupēdam Dei erga pœnitentes misericordiam, qua donat peccata conuersis, imò vt conuertantur, & verbo suo obediant peccatores, ipse spiritu suo agit. Ostendit autem hic locus, quòd voluntatis Dei non sit mors impij, quòd nolit mortem peccatoris, & non lætetur in perditione morientium. Sed mox, vt loquitur Hiere. cap. 18. vt pœnitentiã egerit populus de peccato suo, agat & ipse pœnitentiã de malo, scilicet pœnæ, quod cogitauit vt faceret.

Cæterum hic velim arrectis auribus esse nostri tēpotis bonorum operum oppressores hereticos, qui fidei sic omnia tribuunt, vt operibus nihil prorsus concedant; & videant hic Deum non fidem solam, temerariam præsumptionem, & inanem fiduciam respexisse, sed opera eorum quæ fecerant, inter quæ haud dubiè fides est: ea enim nisi adesset, opera bona quæ, Augustino teste, epistola 105. rectè merita nuncupantur, adesse nunquam possent. Fides enim prima datur, per quam cætera impetrantur. Ex fide autem profecta opera quanquam sint ipsius dona, tamen vult esse merita nostra; atque ideo ea respicit, acceptat, & coronat, 2. Corinth. 4. non vt hypocritica damnat, vt non solùm malè, sed impiè docent hæretici. Si enim Assyriorum pœnitentiã respexit, vt propter eam vltionis mutarit sententiã, an quæso eorum, quos

filij

filijs sui morte redemit, sanguine abluit, & per spiritum inhabitantem filios adoptionis effecit, damnabit mansuetudinem, modestiam, fidem, iustitiam, ieiunia, & chameunias? Non est profecto adeo iniquus Deus, ut obliuiscatur operis nostri, inquit Apostolus Hebr. 6.

EPILOGVS.

Prædicationis Iona filij Amathi, in Geth ciuitate orti 4. Regum 14. apud Iosue 19. Niniuitas, exitio iam adiudicatos effectus quis fuerit, nempe quod per dignam operum bonorum penitentiam, Niniuitæ iudicium ira Dei auerterunt, præsens nobis lectio commemorat. Hanc eorū veram conuersionem pulchra triade complectitur; primò fide, deinde opere, tertio noua vita. Hac est renouatio spiritus, de qua Apost. ait. Ephes. 4. Hic est nouus homo, de quo idem Apostolus ait, Ephes. 2. & 4. Coll. 3. Nona creatura, Galat. 6. Hac nouitas Deo grata.

FERIA SECUNDA DOMINICAE
PASSIONIS, EVANGELIUM.

Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hac, & miserunt principes & Pharisei ministros, ut apprehenderent Iesum, &c. Finis Euangelij: Iohan. 7. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

CH R I S T I misericordiam & iudicium hoc Euangelium pulchre proponit. Misericordiam in eos qui accommodant sese gratiæ diuinæ, quales fuere vulgus Iudæorum, qui certa cōiectura cum ex prædicatione, tum ex miraculis eius cognouerunt eum esse Christum, hoc est, Messiam promissum. Vnde etiam dixerunt: Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit? iudicium in ipsos qui rebelles fuerunt lumini, quales erant principes & Pharisei, odio & auaritia atque fastu exæcati: quare infra dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in illum, Contra tam peruersos iudices fulminat Isaias: Væ illis comminando, cap. 5. Dominus quoque Iesus idem facit, Matt. 23. Nam qui sani sunt, non egent medico, sed qui ægroti. Sed neque sanis membris cauteria adhibenda sunt, verum malè habentibus. Pari quoque ratione principes non sunt bonis, sed malis timori, Rom. 13. Impie igitur egerunt impudētissimi Pharisei, & Iudæorum primores, quod ut Christum apprehenderent, satrapas miserunt, sicut hodiernum habet Euangelium. Proponit autem præsens Euangelium quatuor.

1 Primò, Iudicium, quo impium magistratum, qui fidei doctrinam, gratiam Euangelij, & miracula à Christo facta in confirmationē vtriusque opprimere nitebantur, perstringit magna verborū acrimonia: quibus nisi profusus in reprobum

*Magistratus
civilis & Ec-
clesiastici of-
ficium.*

senfum dati fuissent, meritò debuerāt respiscere. Nam cū magistratus tam civilis quā Ecclesiastici officium sit: istius Rempub. regere & tueri, non tam armis, gladio scilicet & bello, quā prudentia, iustitia scilicet & æquitate: huius verò Rempub. pascere & docere, & operibus, & verbo Dei, & exēplo, 1. Per. 5. (istiusmodi enim alimento si destituantur oues, pereunt, Hierem. 12. 23. Ezech. 33. 34.) hi impij magistratus, missis ministris, quibus in Reipubl. defensionem vti debuerant, ad seditiosos, maleficos, homicidas, plagiarios, & veneficos tollendos, hos armata manu in Christum, Dei filium, pacis authorem, eum qui nulli nocuit, eum qui omnibus profuit, & omnia bene fecit, mittunt, sola eos impellēte inuidia, quia, scilicet, audierunt turbam murmurantem de illo & colloquentem: Esto quod non sit Christus, at cū venerit, num melior erit? num plura signa edet quā hic? Iam Dominus cordis Iudaici duritiem multis argumētis arguerat: cæcitatem Iudæorum ab ambitione & avaritia emanare docuerat: proinde reprobandos eos, & à beatitudine, quam adepturus erat, arcendos denuntiabat. Idē: *Miserunt principes & Pharisæi ministros, vt apprehederent Iesum.* Nimirū audierant turbam de illo murmurātem: quippe quod, vt paulò ante recenseret Euangelista, de turba multi crederent in eum, & dicerēt, vt præmissum est, Christus cū venerit, nunquid plura signa faciet, quā quæ hic facit? Verebantur ergo ne si tandē omnis plebs in eum crederet, sua ipsorum autoritas marcesceret; adeo qui clauem habent scientiæ & regni cælorum, ne quidem populum ingredi permittunt in cognitionē Messie. Non sat illis est sua ipsorum obstinatio & perditio: Volunt & cæteros secum in exitium rapere, & ne saluētur, impedire. Infelix utique magnatum genus, qui cū subditos ædificare & instruere deberent, vita & doctrina praua destruunt & demoliuntur. Sanguinem utique gregis de manu eorum requirit Dominus, Ezech. 34: vt de manu Ophni & Phinees, filiorum Heli, qui quod scandalo erant in Israël, ambo in bello mortui sunt: arca Dei à Philisthiim capta est: Heli confractis cervicibus: è vita excessit: sed & nurus eius vxor Phinees prægnans in ipso partu expirauit, 1. Reg. 4. Urgent igitur hunc principum furorem omnes circumstantiæ. Nec enim satis est illis, non credere, sed ipsum, vt impietatis alicuius reum apprehendere volunt. Principes sunt mittentes. Missi sunt ministri & satrapæ: idque vt apprehenderent Iesum.

*Diaboli inui-
dientia contra
veritatem.*

Diaboli euidentissima inuidientia hæc est, qui synagogam inflammavit & armauit contra veritatē, & contra salutarem religionem Iesu Christi, quæ olim etiam tam immanis fuit inter Ethnicos, quos in tam crassa & fœda idololatria per tot secula

secula detinuit, vt nec passus sit vel scintillam fidei inter gentes irradiare: vnde Socratem & Senecam vnius veri & viui Dei nudos saltem confessores curauit à medio tolli. Sic Israëlem eodem liuore à vera Dei fide eiusq; vero cultu olim ad scædam idololatricam Hieroboamicam pertraxit. Sic nec nunc religionem & fidem Ecclesiæ Catholicæ Rom. intentatam relinquit, nec contentus est eandem per ethnicos tyrannos impugnare exterius, sed etiam intra hæreses & schismata excitat, omni externa tribulatione pestilentiores. Circuit enim aduersarius tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, cui resistite fortiter in fide, ait B. Petr. 1. cap. 5.

Est quidem magistratus officium, seditionem & turbas à Repub. tollere, sed quæ in eius perniciem vergunt, non autè impedire progressum veræ fidei, & piæ doctrinæ; qualis erat ea quam Christus in mundum tulit. Item principū est Pseudoprophetis quidem silentium imponere, imò & perimere. Non enim sine causa gladium portant, Roman. 13. Eadem quoque muneris ratione prophetas Domini tueri & conseruare debent. Nunc vice versa Christus omnibus Prophetis maior, filius Dei & Messia, ab illis opprimitur. Hanc vtrique tyrannidē obseruare potes in Saule, qui Achimelech & alios sacerdotes, vindictæ & ambitionis regnandi affectu, iussit occidi, quòd Dauidem excepissent, 1. Reg. 21. & 22: In Hieroboam qui manum extendit in virum Dei, qui missus fuerat in Bethel: vnde & iniusti testimonio facti ipsa exaruit, 3. Reg. 13: In Achab & Iezabele, qui Prophetas Domini peremerunt, vt Pseudoprophetas exciperent, 3. Reg. 18. Porrò videant principes & iudices quid faciāt, non enim hominis, sed Dei iudiciū exercent, 2. Paral. 19. Viget ergo ratio personarum qui mittunt, vt Iesus apprehendatur. Persona enim quandoque aggrauat peccatum. Quod Ethnicus Iuuenalis Satyra 8. etiā docuit: Omne animi vitium tantò conspectus in se, Crimē habet, quāto qui peccat, maior habetur. Si qua in Ecclesiam consurgit à principibus tribulatio, grauior vtriq; est, & seueriori plectēda à Deo iudicio, quàm quæ ab inconsulto, & nescio quo turbine, commoto populo excitatur. Quippe principum est populum regere, non ab ipso regi: illi exemplo esse, non ab eo exemplum sumere: imo hunc etiam rabientem prudentia compescere. Si ergo vice versa principes ipsi inter se seditiones commoueant, si in Christum & Ecclesiam excitātur, quàm à Deo vindictam expectare possunt? imò quantis plectentur suppliciis, si impios, maximè verò Dei inimicos non peremerint? Ea de re deiectus est Saul, quòd Amalech pepercerit. Econtrà confirmatus est Iehu, quòd Baalinos Pseudoprophetas peremerit, 4. Reg. 10.

Iratus

Iratus est Dominus in Achab, quòd Benadad regem Syriæ deuictum reseruarit, 3. Reg. 20. Ad quem dictum est: Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Eandem quoque sententiam idem Achab incurrit, necnon & Iezabel ob falsò delatum, & tamen occisum Naboth. Nimirum simili poena digni sunt principes, seu qui impios viuere sinunt, maximè verò Dei inimicos, seu qui pios persecuntur. Nam Christus ipse exostulandum omnem sanguinem iustum qui effusus est à Iudæis, docuit, Matt. 23. Discant igitur reges nec iustum persequi, nec impium viuere sinere. Data quippe est illis potestas ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Nec principes debêt esse timori bono operi, sed malo, Rom. 13. Vis non timere potestatem: bonum fac. Eorum utique est, vt & hortulanorum, bonam sementem agris inferere, bonas arbores cõseruare, & malas euellere. Et velut chirurgi prauum sanguinem tantùm educunt: ita & illi impios tantum gladio plectere debêt. Eorum est prurientia pseudo-dogmata abscindere, nec velut rem exiguum exurgentes hereses paruipendere, quasi absque ferro & igne citò euanescere debeant. Quippe vt doctè Hieronymus in ca. 5. ad Galat. pandit. Scintilla res parua est, & penè dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui inuenerit, mœnia, vrbes, latissimos saltus, regionesq̃e consumit. Fermentum res modica farinae conspersum, totam massam corrumpit: ita & doctrina peruersa, ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio repperit auditores, sed paulatim cancer serpit in corpore: & iuxta vulgare proverbium, vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à vicina massa est semouendum; & scabiosum animal à caulis ouium est repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecus, ardeat, corrumpatur, putrescat, & intereat. In eos iuris seueritatem exerceant principes, qui suo cõsortio corrumpunt & perdunt omnia: non autem in eos qui edificant, instruunt, & bonum operantur. Impiè igitur egerunt Pharisæi, quòd, vt Christus apprehenderetur, ministros suos destinarunt, cum nusquam innocentia tutior quàm apud iudices, & impietas maiori in discrimine quàm apud eosdẽ esse debeat. Et nunc vtinam non adstitissent, & in vnum impij conuenissent principes aduersus Dominum, & aduersum Christum eius, vt templà demolirentur, religionem pessunderent, & doctrinam Catholicam vt impiam reiicerent, dicentes hoc Psal. 2. Disrumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum. Vtinam in Turcam & infideles

Ies omnes potius, quàm in Christi membra bella gessissent. Utinam etiã huius impij magistratus temeritatem non multum imitentur, qui persequuntur eam doctrinam, quam Christus docuit, quam Ecclesia Romana semper est amplexa, & contra impios errores defendunt, hæreticos tuentur. Contra huiusmodi acriter agit, Ezech. 22. Principes in medio eius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra. Mittunt ad Iesum non ut honoretur, sed ut apprehendatur. Sic Iezabel, 3. Reg. 19: Sic Ochozias ad Heliam, non autem ad prophetas Baal, ut apprehenderentur miserunt, 4. Reg. 1. Sic Achab Michææ molestus est, nõ Sedechiæ pseudoprophetæ, 3. Reg. 22. Sic rex Samariæ homicidam destinauit, qui Eliseum virum Dei capite truncaret, 4. Reg. 6. Et nunc utique dat veniam coruis, vexat censura columbas. Sic peruerterunt oculos suos ut non viderent Deum, Daniel. 3. Sic mutatus est iustitiæ color optimus. Sic sedet sola ciuitas vidua. Sic ab omnibus Christus & Ecclesia opprimitur. Sed iudicium durissimum fiet & Scribis & Phariseis, & his qui præsumunt, ut Iesum cum sua sponsa opprimant, Sap. 6. Potentes enim potenter tormenta patientur. Mittunt non honoratos viros, sed ministros & satrapas: quod frequentissimum est his qui Ecclesiã Christi sponsam persequuntur. Petrus Alexandrinus in epist. refert Lucium Arrianum, Iudæos, Barbaros, Gentiles, & omne hominum genus in Ecclesiam armasse, quòd illi satis esset, modò eam exterminaret. Sic Gnostici Calviniani in nostram Belgiam per ganeos conductitios, & omnium nebulonum fæces grassati sunt.

Obseruabis hoc loco contra eos qui ad ciuilem magistratum pertinere volunt, cõtrouersias de religione cognoscere, hos ministros ab Ecclesiastico senatu, & non à ciuili fuisse missos, iuxta præceptum, Deut. 17.

2. Secundò, Misericordiam, quã ostendit ferendo patienter horum satellitum impios conatus. Cùm enim posset aut propria virtute, ut olim Chore, Dathan, Abiron, Num. 16. viuos submergere, aut turbis trucidandos prodere, maluit sua patientia ad pœnitentiã inuitare, ut significaret doctrinã Euangelij non esse sanguinariam, non spirare seditiones & cædes, non excitare in republ. tumultus: sed hæresi hoc esse proprium, ut testantur facta Donatistarum, Circumcellionum, Zvinglianorũ, Calvinistarũ & Anabaptistarum, qui variis, non olim tantum, sed nunc quoque cladibus imperia, regna, magistratus, Respublicas, & ciuitates opprimunt, prætextu Euangelij; nec vllus vnquam ganeo fuit, qui tantis abundantioris, atque hodie noui Euangelistæ, tam scribendo quam

Euangelij doctrina non est sanguinaria, sed hæreticorum.

quàm loquēdo, exundant. At non sic Christus, Apostoli, discipuli & martyres, quorum sanguine aspersa succreuit Ecclesia: in illis enim non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conferuat patientiam.

Potentia Verbi Dei.

Christus itaque hic non ad arma, gladios, saxa, & cæcæ confugit, sed ad potentiam verbi Dei, quæ faciliè omnes aduersarias potestates coërcet, & reprimat, vt ait Apost. Paulus 2. ad Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionē munitionum, &c. Cæterum quia indigni erant hi ministri, qui nudam veritatem audirent, quòd sciret eos calumniaturos, obscurè illis proponit mortem se non ipsorum, sed suo arbitrio subiturum, alludens ad prophetiam Esaiæ cap. 53. *Adhuc modicum, inquit, tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit.* Missi fuerant illi, inquit Cyril. vt Iesum apprehendat, sed ipse salutaria eis verba profundit, quibus è diuerso capiuntur. Adhuc, inquit, modicum, &c. q. d. *Quid in me irruitis? Non est consilium contra Dominum. Inuitis vobis adhuc modicum viuio, nimirum anno & dimidio: Et sic vado ad eum qui me misit, ad patrem scilicet, in cælum ascendendo, vt sedeam à dextris virtutis Dei.* Quibus verbis docet se hominem esse, vt qui breui sit moriturus: & Deū, vt qui non tantum diem suæ mortis præsciat, sed contestari videatur, nihil omnes fraudes, machinas & insultus in eum profuturos, sed tempus expectado liberè & volutariè sese morti oblaturus est. Ex eo igitur quòd modicum adhuc se hic victurum insinuat, spem nos vetat inchoare longam: & docet nihil hinc nobis tristitiæ accidere debere, si velocius è vita rapiamur; cum non sit seruus maior domino suo, Ioan. 13: Quòd ait, *Vado ad eum qui me misit; nos omnes sic vitam dirigere docet nostram, vt semper ad eum tendat qui nos formauit, & nobis animam infudit.* Nobis continuo vt peregrinis, patria ob oculos habēda est; vt dum corpus redit in terram vnde sumptum est, spiritus reuertatur ad Deū qui dedit illum. Et sicut Paulus, 1. Cor. 9. Curro, inquit, non quasi in incertum, nec quasi aërem verberans: ita certa meta vitæ nostræ præfigenda est, scilicet, vt idem quod Christus dicamus: *Vado ad eum qui me misit.*

Observandum, Dominum tam breui in hoc mundo, nimirum 33. annos, & dimidio viuere voluisse. 1. Vt verbi eius virtus doceretur, quæ non etiam toto vitæ eius æuo, sed tribus annis & dimidio diffusa, tantum fructum fecerit. 2. Vt desiderium Apostolorum & omnium piorum exciteret: & omnia ad seipsum à terra exaltatus, traheret. 3. Vt illis Spiritum s. mitteret, quo maxime indigebant, Ioan. 16. Nisi, inquit, abiero, paraclētus non veniet ad vos, &c.

4 Vt nos de breuitate vitæ consolaretur. Item obseruandū cur vita nostra adeò breuis est. 1 A peccato, à quo nobis morbi infliguntur. 2 Dei prouidentia id fit, ne nimis multiplicentur iniquitates nostræ. 3 Ne tædeat nos in tantis tribulationibus. Sic quippe Iob dicit: Tædet animam meam vitæ meæ. Et Helias, 3. Reg. 19. Accipe, inquit, Domine animam meam: Et Dauid, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. 4 Vt discamus omnia hoc in mūdo fluxa esse: proinde cælestia spiremus, Iac. 4. Quæ est vita nostra? Vapor ad modicum parens, & postea exterminabitur. Hoc sibi præfixerunt Rechabitæ, qui patris sui Ionadab præcepto obtemperantes, non ædificarunt domos, nec plantauerunt vineas: vnde apud Deum fuerunt reputati. 5 Vt semper in cælum patriam nostram rapiamus, cum non habeamus hic ciuitatem permanentē, sed futuram inquiramus, Hebr. 13. Nam & proinde: Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc reuelationem filiorum Dei expectans, Rom. 7: & pius quisq; idem apud semetipsum meditetur quod Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo, Philip. 1.

Ne autem negligentes sint ad eum quærendum, cum adhuc sese eis exhibeat. *Queretis me, inquit, & non inuenietis. Quæsierunt* vtiq; eum pio affectu illi, qui Petro prædicante cõpuncti sunt corde, dicētes: *Quid faciemus viri fratres? Act. 2.* Non tamē corpore presentem inuenerunt, quamuis secundum diuinitatis præsentiam eis non defuit, secundum quam nobiscum est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, Matt. 28. *Quæsierūt & hi qui adhuc superstites in ex-cidio Hierosolymitano in mentem reuocabant Christi miracula quæ viderant, doctrinam quam audierant, innocentis mortem quam procurarant: propter quæ condignè se puniri intelligerent, Christum quærebant propitium, sed non inuenerunt. Quod verò addit, Et vbi ego sum, vos non potestis venire, suã diuinitatem insinuat. Nec enim ait, vbi ero, quia id ad humanam dumtaxat conditionem atinuisset, qua iturus erat ad patrem, inquit Cyrillus: sed vbi sum secundum deitatis substantiam, qua semper in patre & cum patre est: neque à patris gloria discedit vnquam. Ad hanc ergo gloriam in qua Christus inseparabiliter est cum patre, non potuerunt Iudei peruenire. Nec quoque ad quemuis gloriæ gradū, cum in infidelitate permanerent. Timeamus ne & nobis dicatur: Quò ego vado, non potestis venire, cum tamen Christus dicat: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, Ioan. 12. Obseruare verò licet ex his Domini verbis omnem pigritiã eiciendam, Deum verò dum inueniri potest, quærendum, vt Isa. cap. 55. admonet. Nec enim ò Deus, est in morte, qui memor sit tui.*

Circunde-

Circunderūt me gemitus mortis, inquit Dauid, & dolores inferni circunderūt me: preoccupauerunt me laquei mortis: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Tum morbi, angustia, parentum clamores diuersaque somnia ingerentur. Quomodo ergo liberè tot sauciam peccatis animam impietati semper assuetam in Deum erigemus? Hierem. 13. Sicut Aethiops non potest mutare pellem suam, & pardus varietates suas: sic vos non poteritis bene agere, cum didiceritis mala facere.

3 Tertiò, Miscet autem Christus clementem hanc misericordiam, ne quis vbique impunitatem peccandi sibi polliceretur, terribili quadam comminatione futuri iudicij, dum ait: *Quæretis me, & non inuenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire.* Cui enim nec ad gloriam, nec ad patrem, nec ad iustitiam peruenire licet, huic parata haud dubiè est terribilis illa expectatio futuri iudicij & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios, Hebr. 10. 1. Petr. 2. Sed hæc est excæcatæ carnis natura, vt Dei iudicium & seueritatem non agnoscat, sed rideat: Vnde rogant impij apud semetipsos, quasi murmurantes. Nec enim suas cogitationes palam facere audebant, ne à Christo arguerentur. *Quò itum est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit: quia non inueniemus eum?* Quibus satis declaratur nimiam mentis caecitatem, quæ impedièbat quo minus eis luceret verbum veritatis, & illuminatio Euangelij, 2. Corinth. 4. Cæcitas enim ex parte contigit in Israel, Rom. 11. exigentibus id ipsorum meritis, quia nunquam nisi desertus deserit Deus. Quos verò deserit, hi dantur in reprobum sensum, in desideria cordis, & in passiones ignominia, Rom. 1. Vt videre licet, non solum in Iudæis istis, qui olim populus Dei, quorum erant adoptio, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, & promissa, Rom. 9. cum nunc his omnibus exciderint: sed etiam in omnibus impijs Christianis, qui verbis fatentur se nosse Deum, factis autem negant, ad Titum 1. & in omnibus hæreticis qui veritatem Dei in mendacio detinent, adulterantes verbum, Roman. 1. 2. Corinth. 4. Animales ergo isti, non percipiunt quæ Dei sunt, 1. Cor. 2. Gloriabantur, ait Cyrillus, apud se ipsos se eodem collectos solo, & separatos à gentibus certis concludi finibus. Gentes passim dispersas vagas esse designabant, seque eo ipso illis præferabant. Verum nunc mutatus est rerum ordo, & vtriusque populi conditio in oppositum conuersa. Gentes enim in vnum Christi ouile collectæ sunt, Ioan. 10. Apostolorum suscipientes prædicationem. Iudæi verò quia non cognouerunt tempus visitationis suæ, & bonum

Natura excæcata carnis.

Deus nunquam deserit nisi desertus.

num pastorem (qui Matth. 15. se venisse professus fuerat ad oues quæ perierant domus Israël) repulerunt, in direptionē, dissipationem, & dispersionem, iusto Dei iudicio dati sunt.

Iudæi hîc ergo in seipj suis verbis vaticinantur, Christum per Apostolorum prædicationē in gentes dispergendum: de quibus Isa. 52. Quam pulchri pedes euangelizantiũ pacē, annuntiantiũ bona. Et Psal. In omnem terram exiuit sonus eorum: & teste B. Augustino, Euangelium salutis gentibus pronuntiandum, & gentes ad fidem Christi venturas, se verò dispergendos. De dispersione Iudæorum habes Iacobi 1. Gentes in vnitatē fidei assumendas vides Ioan. 11. Assumptas verò vides in epistolis Pauli omnibus. De vocatione gētium habes Osee 2. Rom. 9. Item Isaia. 65. Rom. 10.

*Iudæi in seipj
vaticinantur
gētibus Euan-
gelium pro-
nuntiandum.*

4 Quartò, Quòd in nouissimo festiuitatis die, quĩ summa frequentia summaque religione celebrari consuevit, Numer. 29. quo peracto suam quisque domum repetere gaudet, Christus in templo stando & clamando, immemor omnis iniuriæ, non desinit inuitare ad suauissima Euangelij flumina sitientes: argumentum est magnæ illius in naturam humanam misericordiæ, bonitatis, & clementiæ, qua nolens aliquem perire, sed omnes ad veritatis cognitionem venire, 1. Tim. 2. In nouissimo autem magno festiuitatis die, scilicet octauo, quo & numerosiores auditores, & iam de reditu omnes cogitabant, & proinde ad templum conueniebant, quid secum doctrinæ & fructus in domos asportaturi, *stabat Iesus*, habitu corporis promptum se & paratum ad exhibendũ omnibus auxilium ostendens, & clamabat, vt à copiosa multitudine audiretur, & vocis tenore se omnes, vt gallina pullos congregare sub alas velle ostenderet, Matth. 23. d. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Sitim vocat ardentem consequendæ gratiæ affectum. Se autem fontem gratiæ esse docet: nimirum de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Aquæ nomine gratiam & Spiritus s. dona intelligit, Eccles. 15. Aqua sapientiæ potabit iustum Dominus: seu remissionem delictorum, qua vt aqua corpus, ita & animæ eluuntur, Psal. 50. Lauabis me, & super niuem dealbabor. Bibere sumitur pro assequi eam gratiam, qua tandem exfatiari possimus. Si quis verò ait, vt neminem cogi, omnibus autem liberum esse ad eum aditum doceat. Veniat ad me, inquit, quoniam per ipsum habemus accessum ambò in vno spiritu ad patrē, Ephes. 2. Summatim insigni metaphora omnia beneficia Spiritus sancti, quibus in credentibus est efficax, proponit, & qua ratione haberi queant, ostendit: scilicet, dum sitientes, laborantes, & onerati, Matth. 11. ad Christum accurrant, seposito fastu propriæ infirmitatē, & agnita infirmitate naturæ, quæ medico indiget,

*Beneficia Spi-
ritus sancti
omnia insigni
metaphora
proponit Chri-
stus.*

Ii
quia

quia sana non est, Matth. 9. Neque enim vacat ratione quod Euangelista diem quo hæc acta sunt, expressit. Eo, inquit, die cum populus creber conflueret, atque ipsam templum frequentaret, Dominus Iesus stabat in templo, & clamabat, tanquam viaticū, festiuitate finita, abituris daturus, vt ait Theophylactus. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* O certum & sacrum viaticum. Potus viatoribus commodior est. At via est vita præsens, nec non militia quoque præsens vita est. Pauci, ait Iacob, sunt mihi dies, & ij ærumnosi. Transit enim mundus & concupiscentia eius. Cui ergo hæc consideratio non moueat sitim? Mouebit sanè, modò saxi non simus duriores, hoc est, modò in malitia non simus planè pertinaces & bis mortui. Consideratio istæ mouit sitim prophetæ Dauidi, sic dicens: Sitiuit anima mea ad te Deus. Item: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Cætera hæc caduca tam non satiant quàm somnus comestationis. Christus nostra expectatio, pax, quies, gloria, & omnia: Christus fons vitæ & iustitiæ, author gratiæ, fortitudo nostra, salus nostra, & omnia. Omnibus se offert, qui pro omnium salute venit, Isa. 55. Omnes sitientes venite ad aquas. Exigit autem pro tanto hoc beneficio aut viatico Christus non aurum, vel argentum, vt est Isa. 44. & 55. sed fidem, bonam voluntatem, & obedientiã mandatorum; quæ licet nemo adferre possit, nisi ab ipso Christo acceperit. vt enim initium fidei, quæ prima datur, per quam cætera impetrantur, non nisi ex Deo habemus: ita nec iuitiũ bonæ voluntatis; quia tamen liberi arbitrij sumus, quo fit, vt sæpius hæc bona reiciamus, ne quem cogere videatur, accessum libertati nostræ relinquit. *Qui sitit & esurit, Isaia 55. Apoc. 22. veniat* (vt interpretatur Augustinus) non pedibus corporis, sed affectu cordis: nec migrando, sed amãdo, & bibat, comedatque. Bibere aut comedere, est credere, sic enim exponit Euangelista: *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Post resurrectionem scilicet, & in cælos ascensionem, quo accepto Apostoli gratia sibi donata, id est, & doctrina & miraculis, & piis exẽplis vniuersum orbem irrigauerunt. Igitur si afflictio, paupertas, mors, conscientia, & iudicium Dei premant; bibe per fidem ex fonte scripturarum, clamantium ad afflictum: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, &c. Psal. 90. ad pauperes: Scit pater vester quòd his omnibus indigetis, Matth. 6. ad mortuos: Ego sum resurrectio & vita, Ioan. 11. ad timidas conscientias: Eum qui venit ad me, non eiciam foras, Ioan. 6. ad Dei iudicium expauescentes: Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, Ioan. 3. Ideo, inquit Christus, *qui credit in me, non inanani aut imaginaria fide, sed, sicut dicit scriptura, id est, cõformiter ad*

*Viaticū dedit
Christus à
festiuitate
domini repe-
rentibus.*

Psal. 35.

*Bibere de fon-
te Christi
quid sit.*

ter ad scripturam sacram, nec enim omnium est fides, *flumina de ventre eius fluent aqua viva*, id est, è pectore & corde ipsius prodibunt gratiarum exuberantes fluctus, in proximorū ædificationem. Fluminis enim, id est Spiritus s. in illis inhabitantis, impetus lætificat Ecclesiam Dei ciuitatem, ad eò vt vnusquisque prout illi Deus donauerit, similem sibi lucrari nitatur: & tam ex illorum verbis quàm factis quasi gratiæ quidã riuulus prodeat. Sic nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, qua fideles non tantùm in baptismo, vbi copiosissimè hanc percipiunt, sed & in vera perfectaque pœnitentiã perfunduntur, vt ferantur ad omnia pietatis & bonorum operũ exercitia. Viuit enim in eis, vt ait Paulus Galat. 2. Christus: cuius spiritu diffunditur charitas in cordibus ipsorum, qua impellente diligunt Deum ex toto corde, ex tota mente, &c. & proximum sicut seipsum, Matth. 19. Hic videmus quid sibi velit, haurire aquam ex fontibus Saluatoris, apud Isaiam cap. 12. Item quid sibi idem Propheta velit cap. 44. dicens: *Effundam aquam super sitientem, & fluẽta super aridã. Quod si Petri linguam, Pauli impetum, Stephani sapientiam consideraueris, quos dicentes nihil effugit, sed omnes sequuntur tanquam à fluminibus quibusdam impetu ruentibus rapti, flumina de ventre eorum fluere, fontesque Saluatoris scaturire non dubitabis.* Hæc vera sunt flumina, quæ de cordibus fidelium fluunt, quibus irrigatur Ecclesia, sanctificatur ab operibus mortuis, defenditur aduersus hæreticos & schismaticos, qui suauissima hæc fluentia, quæ non secus, atque aquæ Siloë fluunt, cum silentio gustare nequeunt: eò quòd delectentur turbidis & lutosus fluminis Nili aquis, id est, falsarum opinionum, & hæreseõn. Cõtra quos Dominus rectè conqueritur, Hierem. 2. Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Cæterùm ministri & satrapæ Phariseorum, his auditis, tantò abest vt Christum apprehenderint, quòd eius verbis deliniti (nam diffusa erat gratia in labiis eius, ait Psal.) ad suos redierunt: & nunquam hominem se sic loquentem audiissè contestati sunt. Sic etiam ab inimicis Christi innocentia & magnitudo testimonium habet. Discât hinc satellites in iustum non sequi: sicut nec Abdias in Heliam duobus primis combustis quinquagenariis, 4. Reg. 1. Oportet enim magis obedire Deo quàm hominibus, Act.

EPILOGVS.

Cenat hic iterum Dominus Iesus cum Iudæis contentiosis, propter veritatis testimonium. Sic de veritate clarè loquitur, & tanta maiestate eam affectit, vs

ñ qui ad capiendum eum venerant satellites, ipsum non contingerent, imò mutatis animis summè approbarent. Nunquam audiuimus, inquit, hominem sic loquentem, ut ille loquitur. Quis possit huiusmodi viris manus violentas iniicere? Ex quo satis clarè etiam patet, nec peruersos quicquam moliri posse contra dispositionem diuinam. Hinc Isa. 46. Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS,
EPISTOLA.

Daniel. 14. Quod cum audissent Babylonij, indignati sunt uehementer : & congregati aduersum regem, dixerunt: Iudæus factus est rex : Bel destruxit, &c. Finis Epistolæ: Porro illos qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deorati sunt in momento coram eo.

H V I V S Epistolæ historia manifestè tradit, quomodo Helectos suos, quos in hoc mundo nonnunquam patitur in varia incidere vitæ discrimina, mirabiliter periculis & tentationibus eripiat: & ipsos malorum authores in proprium rete quod pedibus aliorum tetenderunt, coniciat, incidantque in foueam quam fecerunt. Proponit autem historia potissimum quatuor.

I Primò, Impiam Babyloniorum contra regem (sive ille Balhasar, sive aliquis Dariozum fuerit) & Danielelem seditionem excitatam, non pietatis, aut veræ religionis, vel publicæ tranquillitatis causa, sed idololatriæ, impij dæmonum cultus, & falsæ superstitionis. Vnde secundum Græcum exemplar aiunt: Iudæus factus est rex, Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. q. d. Dignus qui cum Daniele peccat. Itaque congregati contra regem, cuius erat veram religionem tueri, falsam abolere, quod grauitè opera Danielis erat executus, authorem ipsum mutatæ religionis ad supplicium exigunt. Trade, inquit, nobis Danielelem, qui Belum destruxit, & Draconem interfecit, alioquin interficiemus te, & domum tuam.

Abusus et hæreses Ecclesiæ et imperio sacro periculosa res sunt. Ex quo loco videmus ex abusibus & hæresibus etiam piis regibus & sanctis prophetis & doctoribus imminere pericula. Nam si præcedentia huius historiæ perpendamus, facilè constabit, non solam religionem huius seditionis causam dedisse, sed ipsorum qui aris præerant, quæstû & ventrem. Ita hoc nostro infelici seculo varios peperit tumultus, sub prætextu religionis, ambitio & auaritia hæreticorum: qui dum reformationem religionis pollicentur, aliud nihil tentant, quàm vt turpes harpyiæ thesauris Ecclesiæ insidiantur, cuius rei exempla manifestissima sunt ipsi Anabaptistæ, Suencfeldiani, Enthouiaistæ, & Calvinistæ, qui variis seditionibus contra legitimum

Ambitio & auaritia hæreticorum Ecclesiã turbat & regna.

gitimam

gitimam potestatem excitatis, imperia & regna tantum non subuerterunt, sed etiam Pontifici summo totique clero omnem auctoritatem adimere conati, ecclesias & monasteria euerterunt: in quos optime quadrat hoc Poëticum: Quas sacras ædes pietas construxit auorum, Has nunc hæredes vastarunt more luporum.

Sed qui Iacobum ab Esau manibus liberauit, qui Ioseph ex fratrum suorum inuidia, qui Mosen ex aquæ interitu, Israëlem ab Aegyptiorum exercitu, Daniele è lacu leonum, & electos alios ordine omnes è suorum æmulorum insidiis liberauit, idem etiam Imperatori Maximiliano & Regi nostro Philippo serenissimis, Christianissimis, & Dei præcipue timentibus totius Christianissimi præcipuis Monarchis præsens erit; idem Pontifici & Episcopis reformationem meditantibus, religionem orthodoxam asserentibus, etiam in medio leonum, inq; spelunca fœda aderit, & inde eos gloriose eripiet: pro quorum felici statu, catholicos adhortor omnes, ut cum Ecclesia fideliter orent ac dicant: Dominus conferuet Pontificem nostrum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animas inimicorum eius. Item: Domine saluos fac Imperatorem & Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te, &c.

2. Secundò, Regis facilitatem, qua nõ tantum non restitit, sed cessit seditioforum hominum furori, & innocentem, iustum, & sanctum virum desideriorum Daniele, S. Susannæ patronum, ipsorum ludibrio permittit, quæadmodum Pilatus volens satisfacere turbæ, dimisso Barraba, tradidit illis Iesum, quum debuisset auctoritate regia fortiter ipsorum obistere conatibus; iuxta verbum Sapientis Eccles. 7. Noli quærere fieri rex, nisi valeas virtute irumpere iniquitatem. Vnde & grauissimè peccauit, quòd innocentem non tantum non defenderit, sed impiis ad supplicium tradiderit. Quanquam enim maioris vitandi mali causa subinde minus malum sit eligendum, nunquam tamen sunt facienda mala, ut inde veniant bona. Caput enim suum propter verum Deum omni periculo vtrò opposuisset, & virum sanctum protexisset, ne dum non tradidisset. Est enim cõtra verbum Dei; Innocentem & iustum non interficies, Exod. 23. Daniel. 13.

Malè ergo reges, iudices, & magistratus, etiam publicæ, ut putant, tranquillitatis causa, innocentem aut opprimunt, aut opprimi sinunt. Alioqui, ut Caiphas, à Domino iudicandi, qui censuit vnum hominem mori debere, ne tota gens periret, Ioan. 11. Exigit enim id verbi Dei auctoritas, iustitia, & æquitas, ut cedat potius iudex officio, quàm in necem consentiat, aut sententiam pronuntiet contra innocentem, ut

*Regis est pro-
regere inno-
centes.*

ostensum est ex Ecclesiastico. Hic rex Babylonius solo metu seditionis excitata, priuationis regni, & mortis comminata percussus, innocetiam opprimi patitur, ipsumque Daniele m leonibus obiici finit. Non enim hic excusandi locum, neque causam dicendi superesse sibi persuadebat, quia in cursu erat furor. Vnde agnoscas ingenium eorum, qui ea quæ mundi sunt, diligunt: hos enim velleuissima, vt à recto discedant, tentatio adigit. At verò qui supra petram, id est, Christum, iam sunt firmati, hi quiduis perferunt potius quam iustitiam deserant: & quanquam, vt est Matth. 7. descendat pluuia, veniant flumina, & venti spirent tentationum, non tamen cedunt.

Sollicitudo singularis Dei et prouidentia erga suos electos.

Ezech. 8.

3 Tertio, Exemplo Danielis, docet singularem Dei erga suos electos sollicitudinem & prouidentiam. Qui enim pulis coruorum ipsum inuocantibus roris alimoniam suppeditat, is suorum curam, qui toti ab ipso pendent, nunquam deponit. Vt enim hic Danielempauit ministerio angeli, & Abacuc; sic olim Israëlitas in deserto manna cælesti, auiibus & carnibus; nec nõ Heliam in persecutione Iezabel per coruû pane, & carnibus cibauit: vt meritò debeât fideles quos subinde miserè cura victus, & sollicitudo rei familiaris angit, spem omnè & cogitatû in ipsum proiicere, Psal. 54. scientes quoniam ipsi cura est de nobis, 1. Petr. 5. Quanquam enim subinde suos paupertate, inedia, aduersitate, & morbis ita excruciet, vt prorsus ipsorum curâ abiicisse videatur, quem, admodû de Daniele iudicasset mundus, vt etiam de Apostolis, 1. Corinth. 4. agnoscere tamen ex fide debent, huiusmodi tentationem ad probationem, peccati vindictam, exercitium virtutum, & meriti augmentum fieri, vt certius in ipso fidere discant, & agnoscant ipsum esse, qui & possit & velit ipsos de tentatione eripere. Nam qui leonum ora ac famem comprimere potuit, is quæcunque pericula, hostes, calamitates facile suppresserit, si modò, vt Daniel, nos ei totos credamus.

Tentationes & probationes cur electis suis Deus immitat.

Abacuc cur à Deo Danieli discophorus destinatus.

Poterat quidem Deus aliunde pascere Danielemprophetam suum, vel pluendo illi manna, vel mittendo per coruorum: Sed discophorum (vt prophetam Abacuc hic vocat S. Hieronymus) Iudæum & eum prophetam, prophetæ elegit, vt vnitatem confessionis fidei nobis commendaret, & morale exemplum, nempe philadelphix, quâ nobis Apostolus commendat, exhiberet, iubens vt simus officiosi erga omnes, potissimum verò erga domesticos fidei. Vnum quippe sumus in Christo corpus, Ephes. 1. Collos. 1. Apostolus ergo fecit collectas in Græcia pro fratribus in Iudæa. Quod angelus vtique dicit ad Abacuc: *Fer prandiû quod habes, in Babylonem Danieli: sic accipe, quasi dicatur: Memor esto captiuorum fratrum* & so-

& fororū in Asia & Aphrica. Sic te in omnibus exhibe, quasi & tu iam cum illis degas. Beata olim fuit matrix Ecclesia, in qua omnia erant communia. Sed meum & tuum, hodie abolent verum Christianismum. Nam Christiani hominis est, suum defraudare genium, laborare, vt fratrem inopem fouere possit & redimere. Qui hoc præstat, Abacuc se reuera, nomine nimirum, & re exhibet. Abacuc autem interpretatur complexantem eos, aut suscipientem siue sustentantem eos; congruit nomē miraculo. Dulcis igitur amor, per quem nemo eget, per quem omnes abundant, in quem quadrat hoc Psal. 132. Ecce quā bonum & quā iucundum, habitare fratres in vnum.

Abacuc quid interpretetur.

4 Quartò, Deum proponit, admirabili quadam potentia eum liberātem, quem impij tanquam religionis euerforem, publicæ tranquillitatis hostem, & Reipublicæ pestem ad bestias damnauerant. Quo factò haud dubiè significare voluit, se potentem illum esse Deum, qui suos possit electos etiam è media morte liberare, vt nec mundus, dæmones, & caro, hostes, licet grauissimi, nocere queant, etiam si maximè sæuiant; vt merito de ipsius auxilio confidere possint electi, nec metuere potētiam, authoritatem, & tyrannidem impiorum, quam leui momento destruere spiritu oris sui potest Deus. Est enim gaudiū impiorū ad instar puncti, Iob. 21. & Psal. 36.

Fructus autem huius erga Danielelem exhibitæ diuinæ potentix, fuit Regis Babylonis ad cognitionem veri Dei conuersio. Vnde videns Dei Israël's magnatia, exclamauit voce magna, dicens: *Magnus es Domine Deus Daniels.* quare & Danielelem dignum censuit vita. Alter fructus fuit, seditio forum hominum iustum supplicium. Nam Daniels calumniatores, vt cunque potentes & claros, in eum lacum coniecit leonum, qui in suam perniciem voluerunt bestias tātā sustinere famem. Nam *deuorati sunt in momento coram eo:* Ita vt vtrunque commendetur eius misericordia, qui de massa perditionis, quos vult, separat; & iustitia, qua dignos deserit, deserit.

EPILOGVS.

Præsens historia est de Daniels constantia, qua in Babylonia idolis obstiit, & quanta pro Dei gloria ibi aduersa sustinuit. Denique historia etiam declarat Deum verum esse sotera verum saluare suos in medio leonum, nutrire suos in media inedia, in famis ipsius regia Nullus unquam sperauit in eum, & confusus est; nullus permansit in mandatis eius, & derelictus est. Sic Petrum è carcere liberauit. Act. 12.

De Babylonia idolo execrabilis, cui nomen erat Bel, in principio capituli 14. videre & præmittere pro historia maiori intellectu pio concionatori placebit.

FERIA TERTIA POST DO-
MINICAM PASSIONIS,
EVANGELIUM.

Ioan. 7.

Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæa, non enim volebat in Iudæa ambulare, quia querebāt eum Iudæi interficere, &c. Finis Euangelij: Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

IN huius Euangelij historia Evangelista cōmemorat, quid in festo tabernaculorū, Græcè dicto Scenopegia, quod legis Mosaicæ præscripto seruabatur, Leuit. 23. Deut. 16. salutare nobis per Dominū Iesum Christum sit dictum & factum, cum ad nostram doctrinam, tum ad consolationem. Omnis siquidē scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3. Præsertim suo docuit exemplo omnem fastum nos declinare debere, & proprias laudes prædicari erubescere. Prouocantibus enim cum cognatis, vt in Hierusalem ascenderet, quo famam suam celebriorem redderet, ne suam gloriam venari videretur, cum illis ascēdere noluit: sed velut in occulto tandem ascendit, docens gloriæ humanę tempus hic adesse, non tamen eorum qui meliorem beatitudinem concupiscunt.

Post hæc, id est, postquam pasta in solitudine turba, circa Paschale festum, Iesus in vrbe Capharnaum de sacramento corporis & sanguinis sui prolocutus est: adeo vt multis scandalizatis abeuntibus, duodecim discipulis suis dixerit: num & illi vellent abire. Vbi tandem duritiem cordis Iudæici expertus est, è Iudæa ad tempus se subtraxit. *Ambulabat Iesus*, ait Evangelista, *in Galilæa*. Sicut nutrix à paruulo se abscondit, quo eum in sui desiderium prouocet, ita Christus vt excitet Iudæos ad se quærendum, latet, & ab eis suam præsentiam subtrahit. Fit quoque sic frequenter, vt Deus à nobis longè recessisse videatur, etiam post inspirationes piæ: id tamē est, non quod saluare nequeat, aut nolit, sed quia benignitas illius nos ad pœnitentiam adducit, Rom. Sed & emphasim habet dictio, *ambulabat*, ne tu eum otiosum putes fuisse, qui ait Ioan. 9. Me oportet operari donec dies est: & Luc. 2. Nunquid in his quę patris mei sunt, oportet me esse. Obserua: Vt Christus reuocari non potuit ingratitude suorum Galilæorum (de qua Luc. 4. habetur) ab officio prædicationis: pari modo nec Ecclesiastes, aut quiuis gregis Domini pastor desinat, urgente etiam eum suorum impietate, verbum Dei pandere oportunè & importunè, vt monet Apostolus: nec desidiæ studeat, cum audiat Christum pastorum principem

pem & exemplar, sic inuigilare. Non enim volebat ambulare in Iudæam, quia querebant eum Iudæi interficere. Rationem reddit cur Iudæos declinarit, nimirum quod illo indigni essent. Sic enim recedit à peccante Israël, & omnibus impiis. Simili ratione Apostolos etiam monuit excutere puluerē de pedibus suis, Matth. 10. Nos ergo studeamus Deum amplecti in puritate cordis, ne longius abscedat. Non enim habitabit in corpore subdito peccatis, nec maleuolam introibit animam, Sap. 1. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? 1. Corinth. 6. Dicitio nanque mihi (inquit Effrem lib. de compunct. cord. cap. 2.) si quis te in lutum cœni proiecerit, & ibi te semper manere cogat, libenter hoc ferres? Si tu cum sis cinis & vermīs, hoc sustinere non potes, quomodo vis impollutum Deū in te peccatis fetido manere? Porro vt Iudæorum, ita magnatū peccata causa sunt, vt Deus recedat à populo. Pro Pharaone Aegyptij submerguntur. Propter Dauidis peccatum Israël peste perimitur, 2. Reg. Nec quoque adest Helias ad consolationem Israël ob Achab & Iezabel, sed latet. Ita quoque Christus non venit ad Iudæos, quia principes eorum illi inuidebant.

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum. Occasionem prodit Euangelista, qua moti fuerint cognati Christi ipsum euocare in Hierusalem; nimirum quod proxima erat vna è Iudæorum festiuitatibus celeberrima, ad quam masculi adulti ferè omnes ex diuersis regionibus confluebant. Rectè autem addit dictionem, Iudæorum, aut quia Iudæi festis diebus Deo minus se addixerāt, quàm delitiis & propriis affectibus. Quam nimirum ob causam Deus calendas & solemnitates eorum reiicit, Isā. 1. & Malach. 2: aut quasi nostras festiuitates à legalibus discernat. Iudæus (inquit Gregor. Nazan. orat. quam coram F. Basilio habuit) festiuitatem peragit, sed secundum literam: peragit & gentilis, sed vt placeat dæmoniis: nos autē vt omnia sint spiritualia, opera, motus, consilia. Nolite igitur dies festos inhonorare, inquit Ignatius epist. ad Philip. nec stationes & vigiliās, cum eas etiam in primitiua Ecclesia commendat Tertull. lib. 2. ad vxorem. Sed neque summæ rationi, qua festiuitates institutæ sunt, inuideamus, & ad deteriora eas trahamus, in quibus diuinis rebus maximè vacare debemus, ait Hesychius lib. 4. in Leuitic.

Scenopogia, inquit. Quid sit Scenopogia, ex scripturis factis claret. Faciebant autem eo die festo tabernacula, ad similitudinem eorum, in quibus habitauerunt, cum ex Aegypto educti peregrinarentur in eremo, ratione sumpta ex Leuitic. 23. ca. & Deut. 16. Festum Scenopogię dictum, aut quod illis diebus sub dio agentes lætarentur, vt docet Lyranus;

aut quòd fixis tabernaculis exultarent. D. Augustinus tract. 28. in Ioan. sic Scenopegia interpretatur. Educti, inquit, sumus de Aegypto, vbi diabolo tanquam Pharaoni seruiebamus. Hinc educti per baptismum, tanquam per mare rubrum, mortuis omnibus inimicis, id est, peccatis nostris, in desertum traiecti sumus. Nunc autem antequam ad promissionis patriam veniamus, in tabernaculis sumus, cum nos hic peregrinos nouimus. Theophylact. in Ioan. cap. 7. aliam reddit ratione, scilicet, celebratum hoc festum in gratiarum actionem, propter conuectas fruges mense Septembri. Vnde Psalmos quosdam Dauid, qui inscripti sunt, Pro torcularibus, quidam compositos esse dicunt in hoc festu, quòd tum torcularia redundarent. Ita noluit Deus populum suum obliuisci beneficiorum, quæ illi contulerat, aut in Aegypto, aut in annua messe. Quid enim peius est, quàm beneficium, saltem recordatione non compensare? Dicat igitur vnusquisque cum Dauide Psal. 65. Venite, audite me, & narrabo omnes qui timeis Deum, quanta fecit animæ meæ. Siue etiam māducatis, siue bibitis, omnia in nomine Dei facite, inquit Apost. 1. Cor. 10. Gratias quoque agamus Deo pro cibo & potu: dat enim escam omni carni, inquit Psal. Ab ipso etiam & per ipsum sunt omnia. Proponit cæterum Euangelium quatuor.

Phrasim scripturæ est cognatos fratres vocare.

1 Primò, In his fratribus, id est, iuxta phrasim scripturæ, cognatis, vt docet B. Augustinus (quatuor enim modis in scripturis diuinis fratres dicuntur. 1 Natura, vt Esau & Iacob, duodecim Patriarchæ, Andreas & Petrus, Iacobus & Ioannes: 2 Gente, qua omnes Iudæi inter se fratres dicuntur, vt ex Deuter. patet. 3 Affectu, quo omnes Christiani fratres sunt, & esse debent. 4 Cognatione; sic Abraham filium fratris sui Lot, fratrem nominauit, Genes. 13. & Laban Iacob. Genes. 29. ait B. Hieronymus libr. contra Heluidium) proponit nobis eleganter ingenium & indolem mundi, & eorum qui mundo placere volunt; quid nimirum spectent: nempe, vt Ioannes ait, 1. cap. 2. concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Cupiebant enim hi fratres Christi, non, vt impius voluit Heluidius, filij è beata Virgine post Christu nati, aut vt Epiphanius arbitratur, Ioseph ex alia vxore filij: sed consanguinei Christi, vt ipse (ambitiosorum hominum more) insignia sua facta ederet, non in locis humilibus & abiectis, sed in celebri illa Hierosolymitana vrbe, vbi totius regni magnates agebant, idque eo maximè tempore, quo ingens multitudo conflueret populi, ac sic tali manifestatione se ostenderet Christum, vt ipsius quoque virtute & splendore ipsi quoque emerere

*Heluidij & Epiphani er-
rores.*

gere possent. Volebant enim isti ex magnificis Domini & dictis & factis sibi occupare gloriam, quemadmodum & Iudei antea de Ioanne, vt habetur Ioan. 5. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Quales & hodie multi sunt, qui sub prætextu & commodi & honoris alterius, solum suum agunt negotium. Ex se enim Christum æstimabant, quasi quæ faceret miracula, sic fecerit, vt Pharisaico more videretur ab hominibus, Matth. 23. Siquidem erāt adhuc carnales, & secundum hominem ambulantes. Atque ideo quia Christum Dei sapientiam, per quem placuit æternò patri saluos facere credentes, non agnouerunt, nisi secundum carnem; quæ cognitio sine fide non prodest; hinc Christum à se abigunt. Caro enim aliud nihil spectat, quàm quæ externa specie sublimia sint & magna. Mundus quippe quod suum est diligit, Ioan. 15. Sinistram autem ipsorum intentionem Euangelista clare demonstrat, dicens, nec fratres in ipsum credidisse. Ideo & Christus ipsis ait, Marci 6. Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua, Vt autem à se ambitionis & superbiæ crimen depellant, ne suam, sed aliorum gloriam spectare viderentur, cum nihil tamen æquè atque suam quærerent, tametsi id arte quodā dissimularent, discipulorum gloriam prætexunt, dum ziunt: *Transi hinc. Quæ verba Chrysostr. ex inuidia dimanasse; Cyrill. Alexand. & August. ex inanis gloriæ cupiditate & sibi & Christo cõquirenda profluxisse sentiunt, & vade in Iudæam, Iudæam allegant, quòd & celebrior populo, & magistratibus honoratior: necnon locus sit, quòd è diuersis regionibus, qui discere aliquid diuinorum vellent, aduentabant, vt patet Act. 2. Tales adhuc multi sunt, qui dicant verbi Dei ministro: Transi hinc: & illud Sap. Recede à nobis, scientiam tuarum nolumus. Pauci verò qui id acclament, Luc. 24: Mane nobiscum Domine, cum duobus discipulis pergentibus in Emaus: aut vt Samaritæ, Ioan. 4: adeò lippis oculis lux verbi Dei offendiculo est. Sed neque satis est à se Dei ministrum abigere, ablegant quoque in Iudæam, quòd hic sciunt quæri Christum ad mortem. Simili modo hostes Ecclesiæ hæretici, & eiiciunt sacerdotes & verbi præcones, necnon & homicidis deuouent. Sic Helias eiectus, 3. Reg. Sic Ieremias & Michæas, &c. Ita quoque factum ab Arrianis recensent Athanasius epist. ad Orthodoxos in persecut. & Petrus Alexandr. vt & discipulis tui videant opera que tu facis. Ad inanem gloriam hortatur, ait Cyrill. Alexandr. quasi ad hoc ille signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur, qui tamen & laudem toties fugit, eam sibi exhiberi prohibens his quos sanarat, & regiam conditionem à se abiecit, Ioan. 6. Discipulos*

pulos porrò intelligunt turbam illum sequentem, ait, Chryso-
 st. Adeò cælum petimus ipsum stultitia, inquit Hora-
 tius, vt porius magna quàm recta moliamur. Neque verò
 etiam de rectè factis gloriandum est: Sed qui stat videat ne
 cadat, ait Apost. Non alta sapientes, sed humilibus consen-
 tentes: In similitudinem triumphantium, quibus in curru
 retro comes adhærebat (inquit Hieron. epist. ad Paulum de
 obitu Blefillæ) & per singulas acclamationes ciuium, dice-
 bat: Hominem te esse memento. Non enim nobis Domine,
 sed nomini tuo da gloriam, ait Psal. *Nemo in occulto quid facit, &
 querit ipse in palam esse. Item: Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* Insi-
 mulant quoque Christum ambitionis, quòd querat in palam
 esse, qui tamen ait: Ego non quero gloriam meam, sed eius
 qui misit me patris. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Hoc ad-
 dit Euangelista, aut vt excuset tam proterua verba; aut vt do-
 ceat non qui secundum carnem Christo propinqui sunt, cõ-
 sanguineos quoque esse spiritu, sed egere alia gratia. Iudæi
 sanè ex sancta radice Patriarcharum oriundi, quia carne tan-
 tum, non autem spiritu eorum essent, reprobati sunt. Non
 igitur in progenitorum virtutibus superbiendum vel confi-
 dendum, si nos in peccatis esse non desinimus, ait Chryso-
 st. homil. 43. in Genes.

Obserua. Si fratres hi Christi tantum scripturas inspexif-
 sent, quod persuadet ei vt se in Iudæam conferat, & non ia-
 ctantiã, minimè ab Euangelista incredulitatis conuincerentur;
 nam sacræ literæ ipsum prædixerunt Hierosolymis con-
 cionaturum, vt Isa. cap. 2. De Sion exhibit lex, & verbum Do-
 mini de Hierusalem. Vnde & Hierusalem ciuitas sancta di-
 citur. Et Dominus ait: Hierusalem Euangelistam dabo. Vo-
 catur enim catulus leonis Iuda, & rex filiarum Sion, & san-
 ctus sanctorum: hoc maximè quòd eius erat omnem imple-
 re iustitiam & sanctificationem in Iudæa. Si tantum quod
 de Christo credere debuisset, non autem suam in eum in-
 uidiã: si eo modo & patrem & filium exaltare, non ipsum
 filium manibus inimicorum mancipare voluissent. At quo-
 niam liuore, aut gloriæ cupiditate ducuntur, infideles quo-
 que vocantur, vt habetur Ioan. 5. & vt docent August. Chry-
 sost. Theophylact. & Cyrill. Alexandr.

Quibus summatim verbis manifestè suã produnt ambitio-
 nem & incredulitatem qua laborabant, quibus impediaban-
 tur, vt fidei veritatem, & Christi virtutem non assequeren-
 tur, quia secundum carnem erant, & quæ carnis sunt sapie-
 bant, Rom. 8. Prudentia autem carnis, iuxta Paulum, ini-
 mica est Deo; Deo enim semper contraria suggerit: vt pul-
 chrè huius Euangelij docet historia. Hinc & Christus dix-
 rat Ioan.

rat Ioan. cap. 5. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quaritis?

Nos igitur hanc viperam, simul vt irrepserit, iugulemus, ei que caput amputemus, ne bonorum operum torum inficiat corpus, Galat. 5. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Soli Deo honor & gloria, 1. Tim. 1. Vnde & Christus ait, Ioan. 8. Ego honorifico patrem meum. Et Psal. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

2. Secundò, Ostendit suo ipsius exemplo Christus, quales eos esse oporteat qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: nempe, alienos à dilectione mundi, scientes quòd qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur, Iacobi 4. Amicitia enim huius mundi Deo est inimica, & mūdus transit, & cōcupiscentia eius. Proinde ipsos debere fugere de Babylone, Apoc. 18. ne iræ & fornicationis vino inebrientur, sed vt mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, 2. Cor. 7. parati quocunque tempore iusserit Deus, ferre mundi iniurias, afflictiones, contumelias, persecutiones, & crucem; scientes quòd per multas tribulationes oporteat nos introire in regnū Dei, Act. 14. tum etiam quòd non sine summi patris voluntate hæc accidant, nō pro mundi arbitrio, qui semel extinctos vellet quos odit.

Respondet autem Christus magna modestia tēpus suum nondum aduenisse, quo scilicet ille ab æterno decreuerat, per passionem & crucem, non Iudææ tantum, sed toti mundo innotescere. *Tempus meum*, inquit, *nondum aduenit*. Venerat quidem plenitudo temporis, de qua Galat. 4. Tempus vtique Christi: sed de alio ad mentem consanguineorū intelligit. Nondum enim aduenerat tempus gloriæ & regni, quoniam prius eum humiliari oportebat, Luc. 24. Philip. 2. Aut tempus mortis & crucis, quod illi ex inuidia accelerare curabant, ait Chrysostr. & Theophylact. Nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec brauia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hiems, nec æstas. Vbi quoque sementis tempus, tempus & pluuia. In seminibus enim multam quidem pluuiam, nubium collisionem, multam denique glaciem fieri oportet: & sic vernans spica exurgere debet. Aut nondum palam faciēdi omnia tempus est, cum Iudæorum animus sine ira doctrinā meam pati nequeat. Aut non est tempus meæ festiuitatis, cum videam Iudæorum increbescere malitiam. Quasi dicat: Hæc festiuitas mihi abominatio est, Isa. 1. in qua scilicet omnis viget malitia, mundi gloria spectatur, delictis viuunt, veritati

*Ambitio aut
superbia in-
gulanda.*

veritati obstititur, diuina voluntas non seruatur, nihil denique æternum, nihil quod mansurum sit, cogitatur. Manet enim apud eos qui de vitiis trāsmigrant ad virtutes, 1. Ioan.

4. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Tempus autem vestrum semper est paratum*, qui aliud nihil præter honores, diuitias, luxum, & mundi gloriam somniatis. Vos qui abruptis animis in inconstantiam semper, id est, sine discretione in eam intenditis. Vos qui etiam cum mala inerudescunt, cum Deus blasphematur, cum veritas opprimitur, semper ridetis securi, & ideo tutò potestis ire quò lubet, quando mundus vt sibi consentientes diligit. Sicut enim odium ex dissimilitudine oritur, ita amor ex conformitate, 1. Ioā. 4. Maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo est. Ipsi de mundo sunt, & ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Quibus verbis apertè discernit inter eos qui sunt Christi, & eos qui sunt mundi, quia illis mūdus crucifixus est, & ipsi mundo, Galat. 6: isti verò tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, Iob.

Discrimē inter Christi & mundi discipulos.

Natura mundi propria qua sit.

3 Tertiò, Quando verò ait: *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, &c.* docet eleganter quæ sit propria mundi natura, scilicet amare sibi similes; quia enim totus mundus in maligno positus est, 1. Ioan. 5. non potest non malos diligere, iuxta prouerbiū hoc: Mala scabies nō amat nisi cōmodè scalpente. Siquidē mali omnes suos conatus eò exerūt, vt mundo placeant, impietatem promoueant, placentia loquantur, adulentur, factum, honores, diuitias, luxum ostentent; vt denique iuxta Isaiam 5. dicant malū bonum, & bonum malum. deinde persequi & odire pios, iuxta illud Ioan. 15. Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Siquidem pij, quia ex verbo Dei damnant, & testimonium perhibent, quòd opera eius mala sunt, non solum manifesta flagitia, sed ipsius quoque hypocrisis, falsa iustitia; denique quia verbis & factis se impietati opponunt, ideo odit eos mundus. Liberior enim reprehensio odium parit, iuxta illud Proverb. 15. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Sic Achab ait de Michæa propheta, 3. Reg. 22. Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Vnde & de Domino Iesu dicitur Sapien. 2. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinae nostræ. Et si enim quandoq; mūdus videatur amare pios, tātisper scilicet dum silēt, dum dissimulāt, dum ad ipsius vitia cōniunt: mox tamē vbi arguere cœperint, & damnare, nē nimia cōniuentia probare videant.

Reprehensio liberior odium parit.

videantur, amore mutato odit, persequitur, occidit. Hoc Christo, Apostolis & martyribus accidisse cernimus.

Hoc loco sibi mirè blandiuntur nostri tēporis aduersarij, qui nescio qua temeritate ea quę Christus sibi ac suę doctrinę propria facit, in patrocinium suorum errorum non ventur quasi obtorto collo pertrahere, dum conquerūtur sese suarum hęreses causa ad supplicia rapi, nec verētur ea quę Christus in impios & infideles pronuntiat, in magistratu fidelium, quem Paulus Dei ministrum vocat, Rom. 13. torquere. Docere prius debuerāt & doctrinam suam, & vitę suę innocentiam, cum Christi & Apostolorū, ac martyrum conuenire, nec pugnare cum doctrina verę & Apostolicę ac Romanę Ecclesię: ac demūm pios imperatores, reges, principes, legum decreta, mundi nomine censeri. Neque enim hoc est mundi opera arguere, hęreses docere, turpes incestus approbare, Christi sacramēta opprimere, & religionem subuertere: sed vt Christus & fecit, & fieri iussit, impietate, hypocrisis, auaritiā, libidinem, iram, inuidiam, odium, alięque manifesta crimina damnare, ac pro iis docere veram cordis iustitiam, pietatem, benignitatem, mansuetudinē, fidem, castitatem, benignitatem, &c. Galat. 5.

4. Quarto. Dum negat se ad festum ascensurum, quò tamen post ascenderit, cum fratres eius ascendissent; nequaquā contraria sibi dicere putandus est; sed respondet secundum consilium sibi à consanguineis datum, se non ascensurū, vt perspicuum satis esset, se non tam metu Iudæorum abstinuisset à conuentu solemnī, quā vt fugeret comitatum suorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat Evangelico negotio admisceri, & ne tali comitatu maioris odij causam daret.

Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendā. Consultit illis quod ex lege iubeatur. Nō enim venit soluere legē, sed adimplere, Matth. 5. Vnde etiam ad sacerdotes quos curauerat leprosus, misit, Luc. 14. Matth. 8. Ego autem adhuc, inquit Chrysost. non ascendam, id est, in initio festiuitatis, sed ipso mediāte; id quę non, vt aut inseruiā vmbre, aut vt gloriā verner humanam. Fugienda quippe est maximè & cōcionatori, & illi qui Deum oraturus est, glorię cupiditas, Matt. 6. Quasi ergo dicat Christus: Vos qui vmbri adhuc adheretis, qui Iudicē affecti estis, ascendite in hunc festum diem, quod per vmbra celebratur. Ego verò cui vmbre iam cordi non sunt, non ascēdo vobiscum: quia per figuras celebrare iucundum non est. Expecto autem verę solemnitatis tempus (meę passionis scilicet, & resurrectionis) quod nōdum impletum est. Non ergo ascendit diem festum acturus, sed docturus. Quibus etiam verbis eleganter ostendit, nos etiam ea quę ad gloriā

*Aduersario-
rum vanā
persuasio.*

*Christus sibi
ipsi non est
contrarius.*

*Bona agere
non sufficit,
sed bona bene
agenda sunt.*

riam Dei spectare videntur, non debere ad gratiam hominum, ut inde scilicet euanescamus, aut ut illi insolentiores euadant, perficere. Non enim sufficit bona agere, sed bona bene agenda sunt; nempe in gloriam Dei, Philip. 2. quam docet fides: & proximi utilitatem, quam suadet charitas, 1. Corinth. 13. Hunc enim quisquis sibi scopum non præfixerit, à perfectione iustitiæ se abesse procul intelligat. Significat præterea Christus, fore ut Iudæorum festa, sacrificia, oblationes, cæremoniæ, & politia, quæ omnia, Apostolo teste, sub figura rerum futurarum, quarum veritatem Christus adferebat, ab illis seruabantur, breui abrogarentur: quando ad interiora velaminis præcursor ipse pro nobis introiret, ad Hebr. 6. ubi verum tabernaculi festum non ipse tantum, sed quotquot essent præordinati ad vitam, perpetuo apud patrem agentent. *Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilea. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Ascendit autem ad has ferias tabernaculorum, propter obedientiam paterni mandati, & reuerentiam legis à se datæ, quam hoc facto approbavit, & approbando impleuit. *Non tamen manifestè, sed quasi in occultis.* Ne venari vulgi gloriam videretur, aut ut murmure excitato, adesset qui sedaret; aut hoc suo facto nostram peruicacitatem percuteret. Nam grauius exequimur, quæ nobis diuinitus demandata sunt; spernimus maiorum decreta; non Christi, sed illius imitatores, qui ait Genes. 3. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Ascendit autem occultè, tum quia nondum venerat hora illa qua transfret ex hoc mundo ad patrem, & in qua à turbis publica illa acclamatione exciperetur: tum etiam, ut verum sese hominem esse demonstraret; neque enim vbique illum decebat diuinitatis suæ potentiam manifestare; ut denique exemplo esset iis qui circumdati sunt infirmitate, ne scilicet inimicorum furorem, licet iniqua de causa conceptum, irriterent, aut Deum tentent, sed dent locum iræ. Aemulos quippe suos suo conspectu in tanta solemnitate noluit turbare, ne turbaret & festum.

*Festum cui
occultè adie-
vit Christus.*

Porro ut suo ascensu Christus insignem suam erga Iudæos commendauit charitatem, qua cupiebat eos omnes ad veritatis cognitionem venire, ita illi contra, magna & obstinata malitia semper veritati restiterunt, & oblatum fidei lumen reiecerunt; odio nimirum in ipsum concepto ita excæcati, ut ne nominari quidem ipsum sustinerent, vnde non dixerunt: Vbi est ille Iesus, qui vocatur, & est Christus? sed, *Vbi est ille?* inquirunt. Quod non sine iusto Dei iudicio accidisse putabimus: indigni etenim erant, qui sacrosanctum illud nomen, quo non est aliud sub cælo datum hominibus vel sanctius vel diuinius, quo

*Oidium Iu-
deorum in
Christum.*

qu
mu
ost
rea
van
om
nin
test
pos
ip
bor
arg
cto
doc
mil
mo
& b
salu
in n
fed
Chr
dici
ritu
duc
Chr
aut
fun
tran
aud
Nu
gem
se ob
min
ab h
H
mo
non
dæo
inui
vide
in p
tes, v
time
uabi
min.

quo possent salui fieri, nominarēt. Proinde quod vago murmure murmurantes dixerunt, Vbi est ille? inuidorum aaura ostēditur. Id enim odio proprium est, vt vel meminisse horreat eius quem oderimus. Iamque in eum velut absentem, varij sermones in populo ferebantur, quòd non esset eadem omnium de Iesu opinio, nec eadem omnium studia. Quidam nimio odio ipsum non nominabant, quidam timore, quidā, teste Cyrillo, rectam penè de illo sententiam efferunt, non posse putantes opera Dei quenquam facere; nisi aut Deus ipse sit natura, aut Dei particeps & gratiæ plenus, & idcirco bonus & innocens. Et hoc à sanitatibus & pacifica doctrina arguebant. Alij inuidiæ stimulis acti, contradicebant, seductorem dicentes, per simulatam iusticiam, falsa miracula, & doctrinam peruersam, quasi præstigiator & dæmonibus familiaris fuisset. Vide qualia iudicia subiit iudex viuorum & mortuorum. Sic & nostra quoque gloria inter ignominiam & bonam famam. Christi bonus odor sumus Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam, 2. Corinth. 6. Vt seductores, & veraces. D. Augustinus expendens diuersas de Christo populi sentētiās, de omnibus, inquit, seruis eius hoc dicitur: modò quicumq; eminuerit in aliqua gratia, aut spiritali profectu: Alij dicunt quia bonus est, alij non, sed seducit turbas. Vnde hoc? Quia abscondita est vita nostra cum Christo in Deo, vt ait Apott. Igitur inter verba laudantium aut vituperantium semper ad animum recurrendum. Si falsa sunt, te aliena mendacia non commaculent, & vt surdus pertranseas, exemplo Psal. 37. Ego autem tanquam surdus non audiebam. Sic Saul simulabat se audire vocem dicentium: Num saluare nos poterit iste, quando constitutus fuit in regem? 1. Reg. 10. Si autem vera sunt, doleas te ansam præbuisse obtrectandi, & patienter sustine, 1. Cor. 4. Mihi enim pro minimo est, vt à vobis iudicer, ait Apostolus Corinthiis, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico, &c.

Hæc clancularis susurris spargebantur de Iesu, cum nemo auderet palā interim de illo bene prædicare, cum essent non pauci qui de illo bene sentirent. Metuebant enim Iudæorum proceres, quibus intelligebant Iesum vehementer inuisum, quòd ipsorum authoritatem suis dictis factisque videretur imminuere. Timendum sanè ne & id vsque hodie in plerisque vsu veniat, qui plus homines quam Deum timentes, veritatem aut dicere aut facere verentur, Prou. 29. Qui timer hominem, citò corruet; qui sperat in Domino, subleuabitur. Sed hoc facto suo docet Christus, fidos verbi sui ministros non debere propter odium impiorum à veritate

Opiniones & sermones varij in populo de Iesu.

Gloria nostra inter ignominiam & bonam famam.

Homines multi plus timent quam Deum.

fidei vel latum vnguem discedere. Alioqui dicit, Lucę 9. Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum angelorum.

EPILOGVS.

Christi necessarij iuxta morem scriptura dicti fratres, voluerunt Christum Hierosolymam ire. & solennitatem diei festi Scenopegiam, ob memoriam presertim patriarcharum, qui vitam agebant in tabernaculis, subinde mutatis sedem sic appellatam, iuxta ritum synagoga celebrare, Leuit. 23. Iesu Hierosolymam proficiscebatur sed tunc, ubi hoc factum operapertin animaduertisset. Atque hæc quo ad primam partem presentis lectionis. Altera vero pars ostendit vulgi varios de Christo sermones. Sic hodie quoque omnes heretici dūs dīa πρῶτον dissidentes, varios & eos quoque falsos de Christo, de fide, de religione, de intellectu scripturarum spargunt sermones, scribunt diſſeria, spargunt libellos. Sed nihil poterunt aduersus veritatem. Fidei namque veritas, pro qua Christum rogauit, non deficiet, Luc. 22.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS,
EPISTOLA.

Leuit. 19.

Exod. 20.

Deut. 5.

Ecl. 10.

Deut. 24.

Tob. 4.

Præcepta Dei duo potissimum à nobis postulant.

Furti et mendacij crimen.

Circumventionis in negotio crimen.

Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum, &c, Finis Epistolæ: Diliges amicum tuum sicut teipsum, Ego Dominus: Leges meas custodite.

Duo Dei præcepta potissimum à nobis postulant atque contendunt. Alterum, vt Deum ritè colamus: alterum vt proximum iuxta charitatis ordinem nobis demercamur. Continet autem hæc Epistola præcepta secundæ tabulæ, ea scilicet, quæ ad præsentis vitæ publicam tranquillitatem spectant. Sunt autem eius præcipua capita quatuor.

I Primò, Authoritate sua interposita, prohibet ea omnia Deus quæ proximo damni aliquid adferre possent, dum ait: Non facietis furtum, quod fit ablatione rei alienæ inuito domino. Non mentiemini, quod fit falsa significatione cum intentione fallendi. Non decipiet vnusquisque proximum suum, quod fit dum fraude quis circumuenit in negotio fratrem suum, in venditione & emptione commerciorum aut mercimoniorum. Pulchre autem hæc præcepta confutant & Platonis, & Anabaptistarum somnia de rerum communione. Si enim, vt illi volunt, priuata bonorum possessio cum verbo Dei pugnaret, nequaquam prohiberet Deus furtum, mendacium, & fraudem, omnesque malas artes, quibus ea quæ iure proximus possidet, malo titulo inuadere nitimur. Neque enim fraus vlla committi potest, vbi omnia esse communia iudicantur. Atqui vt significaret Deus priuatam bonorum possessionem esse legitimam,

legitimam, prohibet ablationem & concupiscentiam rei alienæ: imò cum qui præceptum hoc violasset, vult Exod. 22. *Furti pœnæ.* ad restitutionem in quadruplum cogi: venundari, si non habeat, vnde reddat: & occidi, si noctu fores, vt furetur, effringat. Romani quoque in fures olim grauissima pœna animaduertebant, teste Aulo Gellio. Draco Atheniensis omne genus furti capite plectendum censet. Solon autem cum furunculis miscellis mitius agens, pœnam dupli illis imponit, proximè accedens ad legem Mosaicam. Vnde nec furtum simpliciter solum inspiciendum, sed & persona & furti pretium, Potètes raptores & piratæ, exactores & calumniatores, sunt trifures: meritò ergo simplici furi, quem furunculum vocamus, lex clementior est, quàm trifuribus. De quibus Salomon quoque ait, Prouerb. 6. De diuitibus verò & potentioribus ait Marcus Cato: Fures publici in auro atque purpura ætatem agunt, non audeo addere impunè, dum interim pauperes furunculi, eò quòd non habeant in ære, luere debent in corpore, iuxta illud: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui: Et, Quod sus peccauit, suscula sepe luit: Item illud: Seps citò calcatur, vbi pronior esse videtur.

2. Secundò, Quia plerunque soleant homines autoritate nominis diuini interposita, proximos fraude, dolo, & deceptione circumuenire in contractibus vel licitis vel illicitis: in venditione rerum malarum, putrium, corruptarum pro bonis; & in negotiatione, in qua difficilè exuitur quis à negligentia, Eccles. 26. idcirco grauissimè prohibet Dominus, ne quis sacrosanctum ipsius nomen temerè adsumat, quòd sine maximo peccato fieri nequeat, ipsum qui summa veritas est, mendacij testem facere. Ideo inquit: *Non periurabis in nomine Domini*, ad dolum scilicet & supplantationem: *nec pollues nomen Domini Dei tui*, hoc sacratissimo nomine, pro re nihili aut friuola abutendo. Atqui hodie tantus est horum neglectus, *Periurij cri-* vt ludus sit abuti Dei nomine in re futili & leuissima, vt meritò dicat Sapiès Eccles. 26. Non iustificabitur caupo à peccatis labiorum, cum Apostolus 2. ad Timot. 2. velit quàm alienissimos esse ab iniquitate, dolo & periurio eos qui inuocant nomen Domini, Matt. 5. prohibetur iurandi facultas, & linguæ ad iurandum lubricitas. Peierat ergo omnis qui abs re iurat. Quale ergo & quantum peccatum dicemus, ex consuetudine, imò etiam tanquam ex nobilitatis aliquo priuilegio idèntidem deterate? Olim per nomen idolorum iurare fuit grauissimum peccatum, Exod. 23. Iosue 23. Hodie per Christi passionis arma, & per ipsam sanctam passionem, per Christi sanguinem & carnem, leuiter & tanquam ex consuetudine iurare, superat omne blasphemix genus. Vide et-

Nobilibus honestum iurare.

go in quo loco status sit vulgi Christianorum, quorum multi primores ex tanto facinore se nobiles ostentare solent. Præceptum in minimo gradu prohibet periurium, quo fracti damnus infertur, Psal. 13. Zachar. 5. Pronitas iterum ad iurandum prohibetur, quare qui periurare non vult, omnino non iuret. Iesus Sirac vetat, ne ad iurandum quis os suum assuescat, Ecclef.

Calumniæ crimines.

Cæterum prohibet Dominus non tantum eas fraudes, quæ in contractibus solent committi, sed etiam quæ ex invidia suboriri solent, calumnias, criminationes, & accusationes falsas, quibus tum corpus, tum fortunæ, tum familiæ in discrimen adduci solent. Huic cohæret præceptum quod sequitur: *Nec vi opprimes eum.* Ex quo satis constat, hæc dici potentioribus. Impotens enim pauper cui calumniam inferat: aut quem vi opprimat? Calumniæ ergo pertinet ad iudicij subuersionem. Violentia ad aliam quamcunque iniustam exactiorem & rapinam. Videant sibi dii terræ, qui sibi quiduis licere putant, an ne longè impium Achab superent, qui vnum tantum iustum Naboth calumniæ non parua affecit. Apostolus rapaces excommunicat omnes, 1. Corin. 5. & 6. Vide etiam Ezech. 18. & 19. Apud Iustinum, dictum Gallici principis vult, locupletes deos oportere largiri hominibus. Sed quia parum aut nihil ab eis accipit Christus, hoc iure nonnunquam tollit fiscus.

Mercenario merces reddenda.

3 Tertiò, Ne quid vel ad iustitiam, vel conscientiam tranquillitatem deesset, mercenario peracti operis mercedem reddi iubet, quia hoc peccatum, calumniarum & oppressionum tyrannidi affine est, Ecclef. 34. Qui effundit sanguinem, & qui mercede sua defraudat mercenarium, sunt fratres: & quia clamat ad Dominum, & intrat ad aures Dei sabaoth, Iaco. 5. Hoc est, vindictam & diuinam ultionem exigit in eos, qui miseris operariis ex pacto vel conuentione pollicitam mercedem, vel soluere differunt, defraudant minus numerando, vel prorsus debitum pernegant, freti scilicet ea qua pollent dignitate, potentia, & auctoritate. Huiusmodi enim plerunque videas, vt loquitur Iacobus, cap. 5. per potentiam opprimere pauperes, imò miseros, si debitum exigant, pettrahere ad iudicia. Iaco. 2. & iudicium auctoritate, quam sibi plerunque propitiam habent, coercere. Cuius quanta sint hodie exempla, abundè satis fora & tribunalia, ac miserorum lachrymæ testantur. Malachias propheta cap. 3. grauitate tales oppressores insectatur.

Mercedis detentio graue peccatum.

Deinde surdo maledici, & cæco poni offendiculum prohibet. Intelligit autem surdos & cæcos eos, qui vel rudes sunt & ignari, vt dolos & fraudes prudentium huius seculi aut non in-

non intelligant, aut non animaduertant: vel qui absentes non possunt falsis accusationibus, calumniis, iniuriis, & de- tractionibus respondere. Hi sunt fasciculi pauperes deprimentes, quos Isaïas vult dissolui, & iniquæ leges; contra quas etiam intonat idem sanctus Propheta, cap. 58. Proinde cum hæc grauissima peccata ex neglectu timoris Dei oriantur, timorem sui inculcat Deus. Nam qui Deum cogitat peccatis offendi, & ipsum, quia iustus est, ea velle punire, hic faciliè & animum, linguam, & manum ab his continebit quæ Deo displicere intelligit, si non amore iustitiæ, saltem metu pœnæ, iuxta illud: Oderunt peccare boni virtutis amore; Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Quod si Deus non pepercit pueris Heliseum ludibrio habentibus, nec parceret etiam miserorum iniquorum gregi.

Surdi & cæci qui intelligantur.

Timor Dei inculcatur.

4. Quarto, Quia potissimum Reipublicæ felicitas non tantum ex priuatorum hominum modestia pendet, sed ex legitima magistratus, & iudicum functione, quorum auctoritatem perpetuò esse voluit sacrosanctam; ipsis quoque, quantum non desint quæ omnia hæc ad priuatos etiam referri vellent, sua præscribit officia, inquitens: *Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo.* Pariunt enim hæc vitia grauissimos in Repub. motus & seditiones. Committuntur autem plerunque hæc vitia iudicum vel ambitione, vel amore diuitum, vel avaritia, dum spe vel munerum, vel sportularum subuertunt iudicia. Vult ergo legislator his præceptis, vt magistratus in iudicio districtum illum & iustum arbitrum ante oculos suos habeat, & vt coram cordium perscrutatore & omnis iniquitatis seuerissimo vltore iudicet. Miseris magistratus pater & protector esse debet: propter eos enim ad tribunal & solium siue thronum sunt exaltati principes & reges omnes. Prophetæ ferè omnes hoc præcipuè agunt, vt iudices exhorrentur, vt pauperes & quoscunque imbelles tegant. Hic verò vult, vt etiam in pauperes iniquos iuxta atque in diuites atque potentes, sententiam iuris pronuntiet, Exod. 23. præcepit, vt pauperum fontium non misereatur, nec id quod inopum tutor esse cesset, sed quia iniquitatis patronum se non esse declarat. Tanti quippe est apud Deum iustitia, vt propter eam proprio & vnigenito suo filio innocenti, & sibi in omnibus obedienti, non pepercit, sed propter alienam transgressionem plexerit. Quo exemplo vult iudices omnes iustitiæ esse cultores. Hinc apto phantasmate ethnici Iustitiam nobis descriperunt in persona, gladium altera, trutinam altera manu gestantis. Imago sanè cum Mosis præceptis quadrat. Maior verò debet

Magistratus sua præscribunt officia.

Pauperes iniqui non minus quam ceteri fontes potentes puniendi.

Aequitas maior esse debet in Ecclesia, quam in curia ethnico- rum atque in synagoga Iudeorum.

esse aequitas in Ecclesia, atque in synagoga, vel in ethnico- rum curiis. Aliud est esse Christi assecclam, & aliud est esse discipulum Moſis & Solonis. Nisi enim abudauerit iuſtitia ueſtra plus quam Scribarum & Phariſaeorum, non intrabitis in regnum caelorum, ait Chriſtus, oſtendens Euangelium eſſe legem perfectionis, Matth. 5.

Ceterum his non contentus Deus, rurfus priuatos monet, dicens: *Non eris criminator, nec ſuſuro in populis*, vt ſcilicet ſuſcites diſſidia, ſeditiones & bella. Quanta nobis mala criminationes & ſuſurri quorundam pepererunt, noſtro cum animarum tum fortunae periculo ſatis experti ſumus. Contra huiusmodi vituligatores viles maledicos, lingua ſua infernali proximorum ſuorum honorem conſpurcantes habes, Prouerb. 4. 13. 24. 26. Eccleſ. 10. Sap. 1. Eccleſ. 5. 11. 21. Rom. 1. 1. Corinth. 10. Iacobi 4. &c. Cicero prophanus in Offic. lib. ait: *Detrahete alteri, magis eſt contra naturam, quam mors. At hodie Euangelicum eſt detrahete & lingua & calamo.*

Teſtimonium falſum non proferendum.

Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui, vt ſcilicet falſo teſtimonio, falſa calumnia ipſius mortem procures, quia ego Dominus, inquit, qui vltor huiusmodi criminum ero, nec patiar ea eſſe inulta. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo: ſed publice argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Hic tranſit legifer a lingua ad vitiorum linguam fontem, nempe ad cordis prauitatem, quae potiffimum eſt odium. Contra vitium hoc vide, 1. Ioan. 2. 3. 4. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Contra hoc vitium dat remedium in faciem arguendi fratrem peccantem. Vide Matth. 18. 1. Tim. 5. Salubre remedium quo homo animam ſuam cuſtodit, & fratris animam lucratur.

Vindicta Deo relinquenda.

Non quares vltionem, nec memor eris iniuriae ciuium tuorum. Primum vult, vt Deo vindictam omnem permit- tamus. Mihi vindictam, ait Deus. Caueat ergo homo, ne ſibi quod Dei eſt, uſurpet, atque dicat & ipſe: Mihi vltio. *Qui vindicari vult, inquit, a Domino inueniet vindictam.* Eccleſ. 28. Ne dicas ergo: *Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei,* Prouerb. 24. memor verbi iudicis, qui ait: *Qua meſura meſi fueritis, remetietur etiam vobis.* Vide Deuter. 32. Nahum, 1. Rom. 12. Heb. 11. Alterum vult vt iniuriae acceptae obliuiſcamur, quod generoſi eſt animi. Degenetes quicumque tyranni pertinaciter iram reſeruant. Degenetes ergo animos lex hic arguit, tam in plebeio, quam in principe. Tandem concludit: *Diliges amicum tuum ſicut teipſum.* Hec eſt praecipua pars horum praceptorum, quod ex ea omnis lex dependeat & prophetae. Nam timor Dei & charitas proximo malum non inferunt.

Tyranni irae pertinaces ſunt.

EPILOGVS.

Præcepta Dei hæc sequentia, & hoc genus alia, non sunt solum data filiis Israël, sed & nobis qui in Christi regno Deum Israël colimus. Pertinent autem præsertim ad charitatem, ac prohibent ne proximum aut verbo aut facto, coram vel in præsentia, palium vel clam offendamus. Præcepta itaque quæ hic nobis præscribuntur, numero sunt viginti unum, inter quæ generaliora & præcipua sunt hæc duo: Timor Dei, & amor proximi, quia fons sunt, unde cætera fluunt omnia. Hæc duo inter fructus Spiritus sancti connumerantur, de quibus habes ad Galat. 5. A nemine ergo supra enumerata, & alia Dei præcepta observari possunt, nisi hæc duo primò supernè concessa habeantur, quas germanas virtutes rectè nuncupamus.

Timor & charitas germana sunt virtutes.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS,
EVANGELIUM.

Ioan. 10.

Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis, & hyems erat, &c. Finis Evangelij: *recognitionis, & credatis, quia pater in me est, & ego in patre.*

1. Mach. 4.

HOC Evangelio Christus arguit Iudæorum horrendam hæcilitatem atque prauitatem, qua tot doctrinæ & miraculorum argumentis capti, veritatem recipere noluerunt. Ut enim oculis ægris odiosa est lux, & panis malè sano palato ingratus: ita verbum & operatio diuina Christi ingrata infidelibus, obdûratis & impiis hominibus. Quod hic in Iudæis docet Christus. Obfirmauerunt se namque contra veritatem, in tenebras æternas sese vltro præcipitantes: quam obstinationem Moses & Prophetæ, tanquam præcipuum malum, prædixerunt, Deut. 10. Isa. 6: ac sese verum Dei patris filium ostendit: quem scilicet pater in mundum miserit, vt prædestinatos & electos eriperet de potestate tenebrarum: simulq; iustitiam admonet, quibus gradibus & illum agnoscere, & vita æterna donari possimus: ac tandem depellit quæ sibi de arrogata diuinitate obiectabatur. Agit autè Christus quatuor.

1. Primò, Dum festo Encæniorum, quod in memoriã templi post transmigrationem Babylonicam instaurati fuit institutum (nam triplicem Iudæi habebant templi dedicationem: A Salomone in autumno, decimo die mensis Septembris, 3. Regum 8. Altera à Zorobabel in vere, 12. die Martij, 1. Esdr. 6. Tertia à Machabæis, tẽpore hyemis, 14. Nouemb. 1. Mach. 4.) ambulat, tãquam verus rex pacis, qui inimicitias nostras soluit in carne sua, Ephes. 2. in porticu Salomonis: vt factio suo etiam loca sacra non esse temerè prophananda doceret, sed feriis sacris maximè diuinis rebus incumbendum esse, cum orationibus & sacrificiis Deo offerendis, expresso suo verbo ea consecraret, ac prophanata ipse purgaret,

Iudæorum obstinationem
Moses et propheta prædixerunt.

Templi Hierosolymicæ triplex dedicatio.

Templum rebus diuinis consecratum.

Ioan. 2. Matth. 21. Luc. 19. Augustinus in regula: In oratorio nemo aliquid agar, nisi ad quod factum est. Fiebat igitur festiuitas hæc in memoriam templi repurgati à pollutionibus gentilium sub Antiocho Syriæ tyranno. Ex his obseruare licet; quemadmodum sæpe templum à tyrannis & infidelibus dirutum est & prophanatum: ita & fidelium Ecclesia ab hereticis & schismaticis, imò & ipso Antichristo, cuius Nabuchodonosor & Antiochus typum gessere, deuastanda erit. Hoc docet Hippolytus martyr, oratione de Antichristo. Lugebunt, inquit, Ecclesiæ sanctæ Dei: quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt. Chrysost. homil. 49. in Matth. cap. 24. Tollendum est ab Antichristo sacrificium Christianorum, inquit confugientibus Christianis per loca deserta, adeò ut non sit, qui Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Et B. Hieron. lib. comment. in Zachariam prophet. persecutionis tempore, inquit, magistri & sacerdotes Ecclesiæ audacter captiuis credentibus re promittant, quòd rursus ædificandæ sunt parochiæ, & pacis reddenda tranquillitas, & in Ecclesiis facies Domini deprecanda.

Potest etiam hic quilibet nostrum discere, dedicationem quandam sui ipsius templi & corporis celebrare, si pœnitentiam egerit, & repurgatus à prioribus iniquitatibus, se totum Deo manciparit. An nescitis enim, inquit Apostolus, 1. Cor. 6. quòd corpora uestra tēplum sunt Spiritus sancti? Vos estis templum Dei uiui si modò Christus habitat in uobis. Proinde mundemus nos, ait 2. Corinth. 7. ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationē in timore Dei. Et Ephes. 4. Deponite veterem hominem, &c. Ut idem de nobis dici queat, quòd Dominus de Zachæo intulit, Luc. 19: Quia salus huic domui à Deo facta est.

Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Nec simpliciter ait in templo, in quo minus exspatiari erat licitum, sed in porticu, id est, in atrio secundo extrinsecò, quod gētilis etiā poterant ingredi. A Salomone autem nomen acceperat, ut qui templum primus construxerit & atrium: & quia ibi erexit Salomon eminens oratorium in formam columnæ, super quam fudit orationem illam magnā quæ habetur 3. Reg. 8. & quia expectauit populum & templi ministros, ut vnà omnes templum ingrederentur. Nec obstat quòd Persæ, & Babylonij templum, & utrumque atrium euerterant, cum adhuc remanentibus fundamentis aliud eiusdem nominis excitatum fuerat. Ambulationis ergo Christi causa fuit, ut omnibus etiā inimicis suis se offerret. Locum quippe frequentissimum omnibus adit, & in eo exspatiatur, expectans si
qua

qua illi verba fierent. Imò & vt gallina sub alas pullos, ita Iudæos sub velamento suæ gratiæ congregare volebat. Sic Prover. 1. Sapientia in plateis dat vocem suam, nec enim veritas quærit angulos.

Circundederunt ergo eum Iudæi. Quo aggressione modo, satis superque quàm impiè, & præmeditata malitia ad eum accedat, ostendunt. Circundare nimirum aliquem, inimicorum est, quasi omnem præcludere exitum volentium ei, quem manus suas effugere posse nolunt. Tum utiq; dicere poterat Christus id Psal. Circundederunt me vituli multi, scilicet, populi ignari: tauri pingues, id est, Scribæ & Pharisei, nec non sacerdotes, redditibus templi impinguati, obsederunt me. Circundederunt utique eum non agnoscendæ veritatis, sed ingerendæ tentationis, & struendæ calumniæ gratia. Complectumque est in eis quod per Prophetam dictum est, Psal. 34. In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt. Et illud Osee 1. Circundedit me Efraim in negotiatione sua, & in dolo domus Israël.

Et dicebant ei: quasi penitus in eius doctrinam ferrentur, & hoc vnum eos torqueret, quòd veritatem quam ipse haberet, nondum planè intelligerent. *Quousque animam nostram tollis?* q. d. Quousque nos suspensos retines? Quàm diu te nobis palam facere differes? Quin statim omnem pandis veritatem? Nam & animi nostri te agnoscendi desiderio excruciantur. En vt vulpes, imò & lupi agnum aggrediuntur. Pelle sub agnina latitat mens sæpe lupina. Quis si eorum verba prima fronte audiisset, non eos pio affectu ad Christum conuenire putasset? Discamus igitur ex his subdolas hominum mètes attendere, & ab his cauere. Habes enim omnes adulatores, maxime verò hæreticos & schismaticos istis similes. Dicunt pax, pax, & non est pax. Veniunt ad vos in vestimentis ouium, inquit Saluator, Matth. 7. intus autem lupi sunt rapaces. Congressus simplicium hominum quærun, vt eos euertant.

Si tu es Christus, inquit, dic nobis palam. Effare quod plebs ista de te coniectat. Nimirum nobis Christus promissus, Genes. 15. 17. & 49. Exod. 33. Deuter. 18. Iudic. 3. 2. Reg. 21. Iob 19. Isai. 7. 9. 11. 26. 35. & 45. Hier. 23. & 33. Soph. 3. Mich. 5. Psal. & multis aliis prophetarum scriptis. Scimus autem iam tempus illius aduentus adesse, ex ablatione sceptri de Iuda, Genes. 49: Danielis hebdomadibus, Dan 9: nec non Ioannis Baptistæ vaticinio, Ioan. 1. Si ergo tu ille es, dic nobis, quibus iudicia sua Deus semper manifestauit, legem, templum, & cultum verum dedit. Nobis inquam, qui tui discipuli esse volumus, & vniuersum hunc populum tibi vnire cupimus, vt illi imperes, & super eum regnes. Dic, inquam,

palam; non nobis in parabolis & similitudinibus, sed nudè & apertè, vt omnes te intelligant. Subdola vtique quæstio hæc est. Vt si Christum se Messiam dixerit, eum reum esse mortis dicant, quòd Messia nomine indignus sit tam pauper & despectus, vt qui nec in fastu imperiali ambulet. Nam & diuitem, & omni terreno potentatu superbum Messiam expectabant. Sin verò se Messiam esse negarit, eum mendacij arguant, qui hoc se nomine aliquando donarit, & idem donari sibi à populo patiat. Vtrinque ergo tendunt insidias: sed frustra rete iacitur ante oculos pennatorum.

Respondit Iesus eis: Loquor vobis, & non creditis. q. d. Quid proderit si id ego vobis palam edidero, cum non credendi sed calumniam gratia id exquiratis. Ne autem suæ incredulitatis prætextum querant, remittit eos ad opera quæ fecit. d. Opera que ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Quòd, scilicet, Deus sum & Messias. Sic Nicodemus eum à Deo esse cognouit, Ioan. 3. d. Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Et Ioan. 9. quidam ex ipsis dixerunt: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et turba, Luc. 7. Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet. Primum enim cœpit Iesus facere & docere, Act. 1. Vnde Ioannis discipulis ait Matth. 11. Itē & renuntiate Ioanni opera quæ vidistis, &c. Addit autem se in nomine patris opera fecisse, ne suam sed patris gloriam querere videretur: nec proinde tamen eum non maiorem Apostolis putes, & iis qui in eodem nomine miracula ediderunt. Nam idem patris erat & filij nomen penes diuinitatem. Vnde cum in nomine patris, etiã in suo ipsius nomine, ea ratione qua Deus est, miracula operatus est. Sicut enim pater suscitatur mortuos (inquit Ioan. 5.) sic & filius quos vult viuificat. Hic igitur Christus Iudæorum quæstioni propositæ ex odio, malevolentia, inuidia, curiositate, atque calumniandi causa potius quàm studio, amore, & desiderio veritatis, respondet incredibili quadam mansuetudine, ne quam de peccatis excusationem afferre possent. Nam apertè se Dei filium, Christum, & Messiam in lege promissum, sublata omni verborum ambiguitate, aut parabolis, demonstrat: significans ipsam fidei veritatem, & inimicis & amicis, vbi salutis periculù subesse posset, non suppressendam. Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, Luc. 9. quanquam certò sciret, non meliores, sed longè deploratiores eos euasuros. Potest tamen, vt ostendit Augustinus lib. de bono perseuerantiæ cap. 16. fidelibus subesse causa & dicendi, & tacendi verum, sicut & Christus non vbi que etiã rogatus veritatem aperuit, sed quandoque subtrahit,

*Filium Dei se apertè Christus demon-
strat.*

Philosophus, aut parabolis,

sub-
tum
dit: D
terro
nibu
ber
Chr
arbo
feren
inqu
bon
bus
sita
depr
scili
tion
hoc
dant
vt in
fidei
sine
sine
Ma
nem
bon
fide
que
cum
dice
etia
ribu
da r
Ne
re a
sem
quit
prob
est,
agu
2
siam
esse
ipsa
in n
35.

subticuit, vt Lucæ 20. interrogatus à principibus sacerdotum & scribis & senioribus euangelizare in templo; respondit: Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio. Sic interrogatus ab Herode, nihil respondit, Luc. 23. Sanctum canibus non est communicandum, neque margaritæ spargi debent ante porcos, Matth. 7. Obseruandum vero hæc exemplo Christi, vocationem nostram operibus testari debere, quod arbor bona bonos fructus faciat, Matth. 3: Et palmitem non ferentem fructum purget pater, Ioan. 15. Luceat lux vestra, inquit Matth. 5. coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem, &c. Et Petrus: Ex bonis operibus vos considerantes, glorificent patrem vestrum in die visitationis. Interim quoque hæreticos detestemur, qui præter deprauatam doctrinam tot impiis operibus, scortationibus scilicet, furtis, homicidijs, seditionibus, ebrietatibus, proditiionibus, rebellionibus, & arrogantiæ scitent. Qui etiam ex hoc loco satis conuincuntur, quod solam sic fidem commendant, vt opus non sit operibus bonis. Stolidi vtique illi, qui vt imponant Ecclesiæ, astruunt nos sola opera, non autem fidem commendare. Porro nostra hæc est professio, nec fidem sine operibus aut intentione operum faciendorum, nec opera sine fide prodesse ad salutem. D. August. præfat. in Psalm. 3. Magnum opus Abraham, sed ex fide: Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecunque illud opus esset: Rursum si sic teneret fidem Abraham, vt cum Deus illi imperaret offerre sibi immolandum filiū suū, diceret apud semetipsum, non facio, & tamen credo quia me etiam condemnantem iussa sua liberat Deus, fides sine operibus mortua esset, & quasi radix sine fructu sterilis atq; arida remaneret. Hæc ille. Chrysoft. hom. 1. in cap. 1. ad Ephes. Ne putes, ait, quoniam elegit nos Deus, solam fidem sufficere ad vitam, adicit Paulus: Propterea & ad hoc elegit vt essemus sancti & irreprehensibiles. Quomodo enim, inquit Gregor. Nazan. Orat. 26. nullum opus sine fide est approbatum, quoniam multi gloriæ gratia, illi quod honestum est, dant operam, aut etiam instinctu naturæ aliquid boni agunt, ita & fides sine operibus mortua est.

2. Secundo, Doctrinam, qua sese verum Dei filiū, & Messiam in lege promissum esse demonstrat, docet sublimiorem esse quàm vt humano ingenio apprehendi possit: imò ne ex ipsa quidem operum consideratione, quæ supra naturam, & in nomine patris faciebat, ac iuxta prophetarum oracula, Isa. apprehendatur.

35. Frustra enim externa foris oculis sese ingerunt, nisi diuino afflatu

Doctrina Christi sublimior quam vt ingenio humano apprehendatur.

afflatu animum illustrent, August. 15. de ciuit. cap. 6. Damnat itaque Christus in Iudæis obstinatam voluntatem, deliberatam malitiam, & mentis auersionem, quibus manifestæ veritati ne crederent, restiterunt; ac ne oues, id est, electi essent, obstiterunt. Nam licet prædestinationis nulla esse causa queat, nisi sola Dei misericordia; reprobationis tamen iustissima est præter originalem culpam, in adultis impia voluntas. Hinc dicit: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Incredulitatem eorum & cordis duritiam aperit, ut qui non tantum non credant verbis eius, sed neque operibus. Rationem verò reddit, nimirum quod de numero electorū suorum non sint. Sunt enim electi omnes velut oues gregis illius: reprobi verò lupi sunt & hædi & vulpes. Hoc ex conditione eorum quos Pastor venturus à dextris & à sinistris statuet, satis colligi potest, Matth. 25. Herodem quoque vulpem vocat. Dicit, ait, vulpi illi, facio signa hodie & cras, Luc. 13. Pseudopphetas omnes lupos nuncupat, Matth. 7. Omnes quoque qui Euangelio non crederent, eodem nomine insinuat, Matth. Reprobos omnes hædis comparat, Matth. 25. Electos verò omnes nomine ouium intelligit. Sic Apostolos: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Ego sum pastor bonus, Ioan. 10. Porro omnes electi ouium conditionem sequuntur, quam non habuerunt Iudæi, quam nec in reprobis reperias. Nam spiritu vindictæ non aguntur, sed si quando aut impetuntur, aut occidantur, vocem non edunt, nec mordent. Absit quoque vindicta ab electis. Imò si quando pro Christo eos perimi conueniat, Christum sequuntur, qui quasi ouis ad occisionem ductus est, Isa. 53. Cæduntur gladiis more bidentium, canit Ecclesia, non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia, conseruat patientiam. Ad eò longè sunt à feritate cruenta. Hæc tamen domesticam Iudæis esse hic patet, ut qui in Christi ferantur sanguinem. Malè ergo ex hoc loco (*Non creditis, quia non estis ex ouibus meis*) quidam colligunt Deum incredulitatis, impietatis, & reprobationis humanæ esse authorem. Neque enim Deus volens iniquitatem ipse est, Psal. 5. sed iustissimus vindex, apud quem nulla est iniquitas impunita. Ipsorum itaque malitia effecit, ut inter electos non essent: eò quod oblatam gratiam reiicerent, semper rebelles lumini. Summa. Ostendit quod suo vitio credere noluerunt, nec Christum Dei filium agnoscere, quia mundum cælo prætulerunt, & nihil nisi huius mundi gloriam & delicias sectati sunt. Vnde Christum hæc damnantem viderunt, audierunt, & oderunt & spreuerunt, Ioan. 15.

Porro per antithesin eleganter docet, quæ sint electis, quos

sub

Malitia Iudæis obstinuit quo minus electi sint.

sub m
vocer
pastor
sum f
fine fi
qui n
prin
verba
hæc r
2 C
munc
iutor
Deus
malos
dicitu
cap. 1
tus su
nuat
plex o
gniti
no ou
lææ,
3 S
abne
leran
ribus
tio e
ribus
nege
& op
Chri
Alio
ritat
ore C
intel
tur. I
sti v
præc
Chri
quid
nun
tūm
sed v
oper
iusti

sub metaphora ouium intelligit, propria. 1 Scilicet audire vocem Christi. *Oues meæ vocem meam audiunt*, inquit Christus, vt pastoris sui: quam qui non attendunt nec intelligunt, hoc ipsum signum habent suæ reprobationis. Impossibile est enim sine fide placere Deo, Hebr. 11. At verò quomodo credent qui non audierunt? Fides enim est ex auditu, Rom. 10. Hæc prima omnium via est ad salutem & ouile Christi, Euangelij verba attendere. Quomodo igitur ouis Christi dicitur, qui hæc nec audit, imò oblata audire respuit? Vide Psalm. 84: 2 Cognosci à Christo. *Et ego cognosco eas*, licet humiles iuxta mundam, pro meis, Ezech. 9. Psalm. 1. Nouit Dominus viam iustorum. Nec enim pastori sunt curæ oues alienæ, sed suæ. Deus quoque opt. max. & si quidem contempletur bonos & malos, iustos & iniustos, maximè tamen iustos cognoscere dicitur. Sic Mosi, Exod. 3. Noui te, ait, ex nomine. Sic Hier. cap. 1. Antequam exires de vulua, sanctificauit te, & recordatus sum nominis tui. Econtra verò se dicturum impiis insinuat Christus, Matth. 25. & 7. Non noui vos. Est enim simplex cognitio qua videt omnia & cognoscit. Potest etiam cognitionis nomine prædestinatio intelligi, qua Deus ab æterno oues suas cognoscens elegit, vt essent sanctæ & immaculatæ, Ephes. 1. & confederent in cælestibus in Christo, Eph. 2. 3 Sequi Christum, scilicet fide, spe, charitate, vita, moribus, abnegatione sui, contemptu rerum terrenarum, & crucis tolerantia, Matth. 10. Et sequuntur me, inquit, piis scilicet operibus. Tertia nimirum hæc electorum proprietas seu conditio est, vt sicut vocem & doctrinam Christi audiunt, sic operibus eum sequantur, Luc. 9. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, id est voluptates carnis, illecebras omnes, & opera tenebrarum, & sequatur me. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Alioquin de his qui lingua tantum, non autem opere & veritate Christum sequuntur, dici potest id Apost. Confitentur ore Christum, factis autem negant. Cæterum iustificationem intelligere videtur Christus, quæ præelectionem consequitur. Iustificati enim sumus, tum cum non aure tantum Christi verba audimus, sed & operibus adimplemus. Sic quos prædestinauit, hos & iustificauit, Rom. 9. 4 Accipere à Christo vitam æternam. *Et vitam æternam*, inquit, *do eis*. Prius quidem quomodo oues ad pastorem se habeant aperuit: nunc quomodo pastor ad oues se habeat, ostendit. Non tantum quidem eas agnoscit per æternam prædestinationem, sed vt iustificationem suam feruētī verbi Dei auditu, & piis operibus contestatæ sunt, ita Deus eas glorificat. Nam quos iustificauit, eos & glorificauit, Rom. 9. 5 Non perire in æternum.

Onium Christi, hoc est, electorum, propria.

æternum. Quoniam vera felicitas in duobus consistit, fructus scilicet summo bono, & eripi ab omni malo, ut summum bonum vitæ æternæ nomine insinuat, ita creptionem ab omni malo intelligit, cum ait: *Et non peribunt in æternum, &c.* Nam sicut pastor super gregem vigilat, nec in ouile lupum ingredi finit, ita neque Christus sanctos suos impiorum potestatis subiacere permittit. Videbantur quidem perire martyres, cum hanc mortalem vitam per tormenta amittebant, sed non peribant in æternum, quia soluti vinculis carnis, debita sibi præmia à Christo percipiebant: quemadmodum dicit Sap. ca. 3. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanger eos tormentum malitiæ. Et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Per manum potestatem intelligit, quam omnibus hominum assultibus superiorem esse docet. Et rectè quidem, cum ea de principibus & potestatibus tenebrarum triumpharit, & mundi principem vicerit. Manus quippe illius est in cuius femore scriptum est, ut habetur Apoc. 19: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Proinde quanta esset illa potestas docuit, Matth. 28. d: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Hi sunt inæstimabiles allati per Christum thesauri, quos mundus non potest accipere, quia non nouit eum per quem sunt parati, scilicet, ante mundi constitutionem electis, quos præsciuit conformes fieri imaginis filij sui, Rom. 8. quos & prædestinauit, & vocauit uocatione sancta, ut essent sancti & immaculati coram ipso, quos denique iustificauit concessa peccatorum remissione, auxilio gratiæ; quo fit ut omnia ipsis cooperentur in bonum. Iusti enim & si cadant, non tamen colliduntur, quia Dominus supponit manum suam. Audiunt enim vocantem Christum, illum sequuntur, toti ab ipso dependent, illi fidunt, atque hunc tanquam pastorem, qui pascat eas in iudicio & iustitia verbo vitæ, & alimonia sacramentorum in pascuis vberibus Ecclesiæ, amplectuntur. Nec alienum sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia hunc solum agnoscunt mortis & vitæ dominum, qui suos seruat ne pereant in æternum. Si quis ergo ex ordine ouium exciderit, & non securus fuerit pastorem, suo vitio statim peribit. Nam vi quidem & tyrannide nullus potest auellere à Deo, deceptione autem quotidie supplantamur.

3. Tertiò, Ne immensa hæc beneficia imaginaria quis tantum crederet esse somnia, ut certius fidem dictis faceret, docet ea non à sua tantum humanitate expectanda, quam humilem & abiectam cernebant, sed diuinitatis suæ potentia, cui aduersaria nulla potestas præualere queat, ut electos Christo eripiat, habeat licet diabolus mille nocendi artes, scilicet, voluptates,

*Thesauri per
Christum no-
bis allati.*

iustitias, miseriam, paupertatem, exilia, equuleos, & mortē,
 quibus veluti machinis seducere nititur (si fieri posset) ele-
 ctos, operam luserit. Christus enim vicit mundum, is oues ē
 faucibus Vrsi & Leonis, vt Dauid, 1. Reg. 18. eruit electos,
 de potestate scilicet tenebrarum, & transtulit in regnum filij
 dilectionis suæ; vt non immeritō cum Apostolo dicat: Quis
 nos separabit, &c. Ro. 8. Quisquis ergo perit, sua culpa perit,
 non infirmitate protegentis. Dominus mihi adiutor, non ti-
 mebo quid faciat mihi homo, Psal. 117. Ideo addit: *Pater quod
 dedit mihi, maius est omnibus.* Quo retorquet & refert omnem suā
 potestatem ad patrem, ne videatur gloriam suam querere.
 Quid est verō quod pater dedit filio omnibus maius? Hoc
 planē est, ait Cyrill. Alexand. quod Deus pater mediatori Dei
 & hominum dedit, vt sit eius vnigenitus filius, Deus de Deo,
 nec naturā dissimilis, nec virtute inferior, nec duratione po-
 sterior; & hoc gignendo dedit: quia Deus verus, Deum verū
 genuit: lux æterna, lucem cœternam: vita vitam. Et hoc sanē
 maius est omnibus, quia omnem excedit & humanā & an-
 gelicam creaturam. Ac ne quid diffidentia & pusillanimitatis
 subrepere piis animis possit ex tanta hostium numero-
 sitate ac robore, quibus se impeti sentiunt indies, sed auden-
 tiores, ac succincti lumbos mentis in veritate stent, hortatur
 vt in fide, spe, & charitate stabiles maneant: siquidem & pa-
 tris æterni potentia tuti sunt, Hierem. 49. Quis similis mei?
 & quis sustinebit me? & quis est pastor, qui resistat vultui
 meo? Psal. 75. Tu terribilis es, & quis resister tibi? Eadē enim
 est & patris & filij secundum diuinitatem potentia, eadem-
 que natura. Hoc enim est quod dicit: *Nemo rapiet de manu patris
 mei, neque de manu mea,* cum inter patrem & me, sicut est abso-
 lutissimum potestatis consortium, ita summus est voluntatis
 consensus. Hoc addit, cum superius de manu mea, dixisset,
 vt liquidō intelligerent fideles, eandem prorsus esse virtutem
 suam & patris: Est enim ipse manus & virtus patris, atque
 ipsum esse Christum haud dubiē crederemus, qui non vt cœ-
 teri sancti, gratiam acceperit ex tempore, sed verus semper
 extiterit filius. Quod etiam subsequenti sententia ostendit,
 cum dicit: *Ego & pater vnū sumus.* Id est, vna essentia, vna di-
 uinitas, vna æqualitas. Est enim eadem vtriq; secundum di-
 uinitatem voluntas, potentia, natura, & essentia, quia S. Tri-
 nitalis opera sunt eadem, nihil in diuinitate patris & filij est
 priuatum, nihil maius aut minus, licet secundum humanita-
 tem filius dicatur minor patre, Ioan. 14. Psal. 8. Hebr. 1. Au-
 diatur hic S. Augustinus: Pater, ait, & ego vnū sumus. Vtrū-
 que audi: vnū, & sumus: tum à charybdi & scylla liberabe-
 ris. Quod dicit, vnū, liberat te ab Arrio: quod dicit, sumus,
 liberat

*Culpa sua
 perit, quisquis
 perit.*

*Trinitatis
 opera indivi-
 dua sunt.
 Arrii confu-
 tatio & Sa-
 bellij.*

liberat te à Sabellio. Si vnum, ergo non duo; si sumus, ergo pater & filius & Spiritus sanctus, 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo: pater, verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. His ergo verbis Iudæorum quæstionem, qui tentantes an ipse esset Christus interrogabant, absoluit. Sumus, ait, in plurali, vt doceret aliam esse personam patris, aliam filij. Vnum autem, vt testetur vnam esse essentiã, voluntatem, diuinitatem, maiestatem, &c.

4 **Quartò**, Furori Iudæorum, quem ex veritate verbi conceperunt, ita vt àura ceruice, & lapideo corde ad lapides cõuolarent, quibus veritatem opprimerent, non cedit, sed magna potentia resistit, quia nondum venisset tempus, quo decreuerat extrema pati pro salute generis humani, vt re ipsa demonstraret malitiam & tyrannidem tum dæmonum, tum hominum, non posse pro sua libidine grassari, & opprimere electos, sed nutu & potentia Dei cõcerci: ne tantum quam velint lædant, vt videre est in Abrahamæ, Davidis, Heliæ, Apostolorum, & martyrum persecutionibus, quas Dei arbitrio tantum contigisse docent scripturæ. De eorum furore subdit Euangelista d. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi vt lapidaret eum.* Quo facto se lupos ostenderunt, quorum pedes currunt & festinant, vt effundant sanguinem, Prou. 1. Sic implent typum ingrati Semei, qui mittebat lapides in Dauid regem, vocans eum virum sanguinis & filium Belial, 2. Reg. 16. Pars quoque impetu hæretici in eos qui veritatem pandunt, feruntur.

Deinde suauissima oratione, & rationibus efficacissimis ipsorum ingratitude, & malitiam vult conuincere, & suam in omnibus innocentiam demonstrare; siquidem nihil supplicio dignum perpetrasset, quando omnia sua in Reipublice vtilitatem & commodum contulisset: quod ne ipsi quidem, licet insani & inuidi, negare poterant. *Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo propter quod eorum opera me lapidatis? Siccine redditis mihi mala pro bonis? Psalm. 34.* Nam mortuos eorum excitabat, & illi eum perimere volebant: ægrotos eorum sanabat, & illi eum fauciare nitentur, Cæterum particula (ex patre) docet se nunquam sibi in operibus his patranda gloriam quæsisse: sed & à quo hanc potestatem acceperit, aperit: nimirum per æternam à patre generationem, quæque per particulam, ex, & de, significatur, vt doctè pluribus in locis Basilius examinat, libr. de Spiritu s. ad Amphilochem. Quo verbo etiam docet, manifesta minimè dissimulada esse crimina, ne peccati reus & conscius alieni arguaris, Esaiæ 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Si lapidatur benefici-

*Tyrannis
eum demonum
tum hominum
contra
electos nihil
potest.*

eus, quid fiet scelerosis? Multa bona opera doctrinæ, & sanationum ostendit eis ad gloriam Dei. Bis ergo hoc factò deliquerunt Iudæi, quia iuris ordine prætermisso, etiamsi iustam fingant causam. Nam pœna omnis officio iudicis exequenda est, Roman. 13. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Secundò, quia contra iura, & leges gratitudinis, mala pro bonis rependunt. Nam reddere bonum pro bono, naturæ est, Matt. 5. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? Luc. 6. Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Bonum pro malo reddere, id Euâgelicum est, Matth. 5. Benefacite his qui oderunt vos. Malum pro malo reddere, Iudaicum, Leuitic. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Sed malum pro bono reddere, id impiissimum est, Hierem. 18. Nunquid redditur pro bono malum? Psal. 34. Retribuebant mihi mala pro bonis. Sed quid tandem? Prouerb. 17. Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo eius.

Sed vt est temeraria & præceps humana audacia, dum spiritu Dei non regitur, audent blasphemiam interpretari, quæ non nisi diuina potentia fieri iudicauerant. Non, inquit, ob benefacta, sed ob immanissimum scelus blasphemix, atque hæc in re legis autoritatem sequimur, quæ iussit huiusmodi saxi obrui, Leuit. 24. Deut. 13. De bono opere, inquit, non lapidaueris te, sed tu homo cum sis, facis teipsum Deum. En infideles isti ex verbis Christi fati intellexerunt, quòd se patri æqualem diceret: patrem autem suum Deum esse doceret. Sed miseri quòd de sua & patris æqualitate & vnitate substantiæ dixerat, pro blasphemia deputabant. Hinc fundamentum argumentum suarum habentes quòd Christus homo esset. Nimirum mysterium incarnationis filij Dei non aduertebat, quòd tamen tam apertè Isaias cap. 7. & 11. permultiq; alij prophetæ insinuauerant. Christus autem vt suos in fide confirmaret, & ratione, & scripturarum autoritate suam doctrinam confirmat, quam permittit ex miraculis iudicari: simulatq; intentum crimen sic abs se repulit, vt illorum ferocitatem verbis atrocioribus non irritaret, & nihilo secius sibi vindicaret, quòd negari non potuit scripturæ testimonio. Non solum illos, inquit, ad quos sermo Dei factus est, filios Dei appellat lex, sed Deos, non læsa tamen vnus Dei maiestate: nec falsum esse potest, quòd diuinis literis proditum est, Psal. 81. quomodo mihi blasphemix crimen intenditis, quòd me, quem pater vnice sanctificauit (Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei) ac misit in mundum, vt per

Iudæi bis peccabant lapides contra Iesum capiendò.

Iuri & legi gratitudinis contrarium mala pro bonis rependere.

Audacia humana temeraria dñ spiritu Dei non regitur.

Doctrinam suam de diuinitate confirmat Christus.

illum omnes sanctitatem assequerentur, dixerim filium Dei? Mosis ait Deus, Exod. 7. Ecce constitui te Deum Pharaonis.

Argumentatur ergo Christus à minori ad maius, ut probet nihil blasphemiae esse, si se Deum nuncuparit. *Nomen scriptum est, in lege vestra (Psalm. 81.) Quia ego dixi dii estis? si illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem pater sanctificauit & misit in mundum. Vos dicitis quia blasphemias: quia dixi filius Dei sum. q. d. Maior utique est is, quem pater sanctificauit & misit in mundum, his ad quos sermo Dei factus est. Si ergo illi dii dicuntur, quātō magis ille, quem pater misit? Semper enim vnde aliquid participatur, magis & verius id habet quod participatur, quàm ipsa participantia. Ut sol à quo est lucis participatio in subiecta corpora, magis lucidus est quàm aër & aqua lucē participantia: & ignis à quo tanquam fonte, calor in externa deriuatur corpora, verius & vehemētius habet calorem, quàm ea quae ab eo calorem participant, (ait Cyrillus) Verbum igitur Dei cuius participatione alij denominationē sortijuntur, verius & sublimius Deus, quàm aut homines, aut angeli. Nam hi gratia solum, adoptione, & participatione dii sunt & dicuntur: ille verò natura, substantia, & origine est. Obserua: Deus dicitur, aut natura, ut Deuteron. 6. Audi Israël Dominus Deus tuus vnus est: aut adoptione & participatione gratiae aut gloriæ, ut Psal. 46. Deus stetit in synagoga Deorum. Et Psal. 49. Deus Deorum Dominus locutus est: aut falso & sola nuncupatione, ut dæmones & idola, de quibus Psal. 95: Omnes dii gentium dæmonia, Philip. 3. Quorum Deus venter est. Vide Iustin. martyr. q. 143. & 142. ad orthodoxos. Item obserua. Triplici modo interpretari potest, patrem filium sanctificasse, ait Cyrillus.*

1 Secundum diuinam naturam sanctificauit, quia sanctum illum genuit, atque ut sanctus esset gignendo, ei dedit. Sicut enim Deus Deum, immensus immensum: sic sanctus sanctū, pater filium genuit. 2 Secundum humanam naturam, quia sine vllō peccato, sed cum sanctitate & puritate illum incarnari constituit, ut etiam testatur angelus ad Mariam, Luc. 1. Quod enim nascetur ex te sanctum, inquit, vocabitur filius Dei. 3 Sanctificauit, quia eum offerendum designauit pro peccatis & mundi salute. Nam id sanctificari in scriptura plerumque dicitur, quod templi vsui designatum Deo offertur & cōsecratur. Quemadmodum ibi, Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum. Si non facio opera patris mei, nolite credere: si autem facio, & mihi credere non vultis, operibus credite, id est, non verbis tantum meis fidem adhibete, sed & operibus. Nam à fructu arbor dignoscitur, Matth. 3. Ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Non simpliciter ait, Patēr

Pater in me est: nec tu sic in filio patrem esse putes, sicut in quolibet iusto & viro sancto, sed addit: ego in patre. Nec enim sic de homine puro dici potest, nisi per quandam gratiæ participationem. Filius verò in patre est per æqualitatē, vnius eiusdemque substantiæ: & per indigressibilem vnius in altero immanationem ob naturæ identitatem, vt Cyrill. in Ioan. Athanasius orat. contra Sabellij gregales, & ferm. 4. contra Arrianos docent. Quasi ergo dicat: Vultis scire æqualitatem cum patre? A substantia non potestis scire: impossibile est enim scire substantiam Dei, Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, Matth. 11. Nemo hōiuit filium nisi pater, &c. Cæterum ex ipsis factis magis conuenit æstimare. Si quæ facio, non videntur homine esse maiora, si non diuinæ virtutis specimen habent, nolite credere quòd sim filius Dei, quòd mihi per omnia cum illo conueniat. Quòd si videritis Deum patrem in me proferentem virtutem suam, si dictis meis fidem habere non vultis, certè factis ipsis quæ videtis oculis, credite: & arrogās habeat, nisi longè plus præsto, quàm verbis sumo. Ea si sinceris animis perpenderitis, fiet, vt verbis quoque meis fidē habeatis, non amplius dubitaturi, quin pater in me sit, & ego in patre, quòd vterque alteri indiuidua societate cohæreat, dum ille per me quicquid vult operatur, & ego ab illius exemplo iussuque nusquam recedo: vt qui mihi credit, illi credat; qui mihi repugnat, illi repugnet, Luc. 10. Qui me spernit, spernit eum qui misit me, Ioan. 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Vtinam & nos sola adoptione, non natura, aliquando verè dicere possemus: Pater in me est, filius quoque, & Spiritus sanctus. Nam longè à peccatoribus salus, Psal. 118. Deus verò charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, 1. Ioan. 4. Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum, quia, scilicet, nondum venerat hora eius.

*Aequalitas
Christi cum
patre unde
dignoscitur.*

EPILOGVS.

Redemptor noster Dominus Iesus, Dei et virginis Maria filius, in presenti hac lectione describitur nobis stare in templo in medio Iudeorum. & confiteri se esse verum Christum sine Messiam. & pastorem bonum. hoc est, verum esse hominem, nempe, virginis Maria filium: sed non hominem merum, sed & Deum verum ex Deo vero, & lumen de lumine, missum in hunc mundum, hoc est, incarnatum filium Dei esse. Hæc omnia non verbis suis tantum ostendit, sed & miraculis & scriptura adstruxit confirmavitque. Iudei verò mille diabolis exagitati, non habentes quod obicerent, diabolo instigante, in iram violentam exardescentes, à verbis contumeliosis ad verbera & ad lapides currunt, qui mos est omnium furiosorum hominum veritatem ferre non valentium. Sic

*Mos Iudeorū
& furiosorū.*

B. Stephanum Iudaei lapidando interemerunt, Act. 7. & Apost. Paulum penè simili furore enecauerunt, Act. 14. 2. Cor. 11. Simili modo omnibus retro seculis suos prophetas sanctimonia illustres, persecuti sunt omnes, Matth. 23. Hebr. 11.

FERIA QUINTA POST DOMINICAM PASSIONIS,
EPISTOLA.

Daniel. 3.

Orant Daniel ad Dominum dicens: Ne quaesumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, &c. Finis Epistolæ: & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.

Orate opus
meritorum.

ORATIO sancta & efficax Danielis præsens est lectio, in qua mala præsentia populo suo deprecatur, & misericordiam diuinam implorat. Quare etiam hinc propter sedulam suam orationem nobis prædicatur: nam opus bonum & meritum est orare, sic promittente Christo, Matth. 6. Pater tuus qui videt in occulto, persoluet tibi in propatulo. Nec hinc solum propter sacrificium hoc laudis commendatur, sed & infra cap. 6. & 9. Prouerbialiter item Daniel pro intercessore accipitur, cum dicitur: Nunquid tu noster es Daniel? Ezech. 28. Hac igitur Epistola verus orator Daniel tria agit.

Daniel personam populi
Israëlitici suscipiet.

I Primò, Sustinens personam populi Israëlitici, in captiuitate Babylonica miserè afflicti, humili oratione Deum suarum promissionum commonefacit, dicens: Ne despicias Domine populum tuum: Ne dissipes testamentum tuum: Ne auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum, quibus locutus es, pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cali, & sicut arenam, quæ est in litore maris, &c. An quæso tanti sunt apud Deum sanctorum merita, vt ipsis in oratione fidere possimus? Iniuriam ne meritis Christi, quæ exactissimè intellexerat, facit Daniel, dum Abraham, Isaac & Israël merita opponit iræ Dei? videant hinc quæso pij, num Lutheranorum, Anabaptistarum, Caluinistarum, & aliorum Sectariorum doctrina, de meritis sanctorum cum scriptura conueniat, patriarcharum, prophetarum, & Apostolorum. Certè Daniel, dum sanctorum merita iræ Dei opponit, non proprii cerebri somnia sequitur, sed verbum Dei, Isai. 37. quod tanti apud Deum esse sanctorum opera docet, vt ipsum intuitu aliis misereri velit Deus. Protegam, inquit, ciuitatem istam propter me, & propter David seruum meum. Est autem in hac materia fidei veritas, & Ecclesiæ doctrina scripturis confirmata, merita sanctorum esse Dei dona, nec nisi ex spiritu Christi inhabitantis proficisci, vt meritò non sint contemnenda, sed magni æstimanda, atque etiam apud Deum meritoria. Vide B. August. Epistola 105.

Opera sanctorum
quanti apud Deum
sunt.

Sanctorum
merita vnde.

Observa

Obserua hic hæreticos impiè errare, Ecclesiam delirij in-
 simulantes, propterea quòd in sacrificio laudis, beatorum fi-
 dem celebrat & merita. Non facit hoc sine exemplo & causa
 grauissima. Hic enim vides Daniele m vtrumque suæ oratio-
 ni immiscere. Facit hoc, quòd animaduertit Deum nusquam
 gloriosius atque præsentius apparere, atque in sanctorum
 medio.

Deinde Dei agnoscit vindicè iustitiam, iustissimè peccata
 punientem, qua regnum florentissimum, urbem potentis-
 simam Hierusalem, & templum magnificum populi Israëli-
 tici; quem in suum peculium quondam delegerat, ac cogni-
 tione sui, lege diuinitus accepta, promissionibus de Christo
 venturo, & vera religione qua Deum coleret, exornauerat;
 passus est à Babylonis, vrbis ac templo vastatis & exustis, in
 miseram abduci seruitutem, multis millibus occisis ac tru-
 cidatis: vt meritò dicat Daniel: *Imminuit numerus plusquam omnes
 gentes, sumisq; humiles in vniuersa terra, scilicet propter peccata, quæ
 describuntur, 4. Reg. 17. 18. Ezech. 39. 22. Osee 13. Isai. 1.*
 aliisque pluribus scripturæ locis. Ea enim est Dei iustitia, vt
 nullum sinat inultum peccatum. Quia autem Apost. teste, 1.
 Cor. 10. Omnia in figura contigerunt illis, ac scripta sunt
 ad correptionem nostram, aptissimè hæc populo Christiano
 competunt: qui licet Dei cognitione, Sacramentorum vsu,
 scripturarum intellectu, aliisque mysteriis ceteris præstet natio-
 nibus, huiusmodi Dei beneficiis destitutus; iuste tamen me-
 rito peccatorum suorum, quibus turpiter diffluit, iram Dei
 experitur; vt nulla penè natio sit Christiana deploratior, que
 tantis sectis, erroribus, dissidiis, & odiis intestinis inter se
 diffidet ac tumultuatur, vt meritò se dicere imminutâ pos-
 sit plusquam omnes gentes. O faciem miserabilem Ecclesiæ,
 in qua dolenter cernimus eius auctoritatem fermè destitu-
 tam omni maiestatis honore, doctrinæ Catholice depraua-
 tionem, solemnitatum abolitionem, & sacrificiorum con-
 temptum. Videmus hæreticos & fori & chori maiestatem
 obliterâtes, veros Antichristi esse præcursores: Spiritus nam-
 que manifestè dicit, Antichristum tunc venturum, cum de-
 fectio imperij Romani ingruerit. Et Daniel propheta etiam
 hic infra tanquam onus pestilentissimum prædicit Antichri-
 stum iuge sacrificium è medio sublaturum. Quis det oculis
 nostris lachrymas, vt cum Hieremia defleamus miserabilem
 Ecclesiæ speciem? Viæ Sion, ait, lugent, eo quòd non sint
 qui veniant ad solemnitatem, &c. Thren. 1.

2. Secundò, Ex intimo cordis dolore, ac vera animi ad
 Deum conuersione, Reipubl. Iudaicæ statum ac miseriam
 describens, conqueritur ea omnia esse sublata, quibus solent

Beatorum
 mentio ritè
 fit in laudis
 sacrificio.

Iustitia Dei
 nullum pecca-
 tum sinit in-
 ultum.

Natio Chri-
 stiana quare
 deploratissi-
 ma.

Dei iram, si quando peccassent, flectere, & Dei misericordiam inuenire. Erant hæc autem holocausta, sacrificia, oblationes, & incensum, quæ in loco primitiarum, iuxta verbum Dei, 3. Reg. 8. oblata, mox ipsos Deo, quoad temporalia, reconciliarunt. Voluit enim Deus apud Iudæos ista externa esse sacrificia, tanquam symbola verbi sui; quæ licet, vt loquitur Apostolus, Hebr. 9. non poterant auferre peccata, nec iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, quia umbræ tantum erant, & figuræ veri illius sacrificij, quod in cruce filius Dei obtulit, temporalia tamen bona conferebant. Nunquam enim veros sui cultores sine externo quod ipsi soli exhiberetur, sacrificio reliquit. Sicut etiam in noua lege sacrificium crucis incruentum extare voluit, quod à fidelibus iugi commemoratione ex ipsius Christi institutione patri offerretur. Quo fit, vt incruentum hoc sacrificium non sit aliud ab illo, quod in cruce filius Dei peregit. At qui hoc nobis eripere student ipsis Babylois ferociosiores Zvingliani, Anabaptistæ & Calvinistæ, qui sublatum volunt omne externum sacrificium, sacerdotium, & cultum, qui Deo vero exhiberi solet.

Cæterum docet quo tandem cultu in huiusmodi vastitate, quando externa omnia pijs adimuntur, Deum colere possint, nempe spiritu humilitatis, & animo contrito, quibus verè colitur Deus, adeo vt in his potissimum veræ religionis rationem semper posuerint scripturæ, Psal. 50. Si quidem irrita, ac penè inania externa illa symbola semper fuere, si istis destituebantur. Neque enim externa illa propter se tantum præcepit Deus, sed horum causa. Hinc volunt prophetæ circuncisionem cordis, Hierem. 4. & sacrificium iustitiæ, spiritus contribulati & cordis contriti, Psal. 4. & 50. vt merito animum despondere fideles nõ debeant, quamquam angri non immerito possint, etiam si videant impietatem grassari, omnia monumenta veræ religionis aboleri hæreticorum impudentia. Tantum ex vera fide offerant hoc sacrificium spiritus Deo gratissimum magis quàm holocausta arietum & adipem agnorum pingutum. Petant hoc gratum esse in conspectu Dei, scientes quod non sit confusio confidentibus in ipsum, iuxta illud, Psalm. 90. Quoniam in me sperauerunt, liberabo, protegam, exaudiam, & glorificabo eos, qui deposita propria fiducia, toti à me dependent, in me omnem spem collocant, & curam & sollicitudinem deponunt. Summa, Monemur hinc, vt sic viuamus, vt tota nostra vita Deo sacrificium gratum efficiatur. Hoc potissimum fiet, si humiles verè & contriti spiritus homines extiterimus, Psal. 50. Isaia. 66.

Sacrificia externa quid erant, et quid conferebant Iudæis.

Sacrificium crucis incruentum auferre student Calvinistæ.

Sacrificium Christianorum quo Deum colere debeant.

Vita nostra vniuersa iuge sacrificium esse debet.

3 Tertiò, Describit quæ sint agenda illi, qui Dei misericordiam sibi propitiam velit, scilicet, sequi Deum in toto corde, cum timere, & eius faciem perpetuò quærere. Istis enim partibus cõsistit vera ac Christiana iustitia: quam quisquis gratia redemptoris consequitur, is tandem de diuino adiutorio spem firmam concipiet, vt cum Daniele dicat: *Ne confundas nos: fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordie tue.* Quasi dicat: Merentur quidẽ nostra peccata hæc quæ patimur supplicia, atqui tantus est misericordie tue fons & scaturigo, vt indignis miserearis. Ergo etue nos in mirabilibus tuis. & da gloriam nomini tuo. Detrahent enim impij potentie tue, si sponsam tuam quam tibi in fide desponsasti, Osee 3. & Ecclesiam quam sanguine tuo redemisti, ludibrio permittas hæreticorum, si illius sacramenta, fidem & religionem opprimi sinas. *Obsecro igitur, Domine, confundantur omnes qui ostendunt seruis tuis mala, & qui Ecclesiam tuam opprimunt: Et sciunt, quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.* Dominus ille Adonai sit benedictus per omnia secula seculorum, Amen.

Misericordia
Dei quo me-
dio propitia
nobis fiat.

EPILOGVS.

Præsens lectio nihil est nisi oratio Danielis p̄i Indei in Babylone exulantis. Peccatur autem in ea oratione, vt Dominus Deus pro immensa sua clementia captiuorum iudeorum memor esse velit, atque eos liberare; nec non ipsam synagogam ad pristinum religionis cultum restaurare. Subiicit etiam, antea semper ipsos patres asseruisse, propter promissionem Abrahæ & alijs patriarchis datam, fœdusque cum illis initam.

FERIA QVINTA POST DO-
MINICAM PASSIONIS,
EVANGELIUM.

Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo, &c. Finis Euangelij: Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

Luc. 7.

EXEMPLAR nobis verè pœnitentis ob oculos hîc ponitur in peccatrice illa infami, omnibus modis exhibenda, si Pharisæo credimus; sin verò Christo, vt par est, nemo ea magis idoneus ad Euangelium; cuius pœnitentia actio docet, pœnitentiam ex fide & dilectione Dei proficiscẽtem, causam esse qua iustificemur à Deo. Ideoquẽ à nullo peccatore erubescendam. Nam qui curari appetunt, nihil erubescunt chirurgis & medicis pandere: non eos pudor retrahit, quin etiam omnes corporis partes si opus sit, aperiant. Sic & qui à peccatis mundari desiderant, nihil homines metuunt oportet. Adeone scilicet (ait Tertull. lib. de pœnit.) existima-

tio hominum & Dei conscientia comparatur? An melius est damnatum latere, quam palam absolui? Malo enim ad miseriam peruenitur, sed ubi poenitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Proinde peccatrix poenitens nihil verita, audacter domum Pharisei ingressa, poenitentiae fructus edidit, & hinc salutis viae reddita est. Complectitur autem Evangelium trium personarum dispares mores & officia.

Phariseus quo morbo laborabat.

1 Primò, Pharisei, qui communi hypocritarum morbo laborans, nempe, propriae iustitiae opinione, odio proximi, & invidia erga Christum, qua malè de illo suspicabatur; quæ tamen ut dissimularet, amicitiam erga Christum simulat, odit enim carnis natura videri quod est: proinde ut sinistra viret suspicionem, multa subinde etiam contra conscientiam agit, ut docet Christus, Matth. 23. Omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus hi qui carnales sunt. Exhibet igitur Christo beneficium & obsequium simulatae amicitiae, eumque conuiuio excipit. *Rogauit Iesum*, ait Lucas, *quidam Phariseus, ut manducaret cum illo*. Et u genus hoc hominum Christo infensissimum fuerit. permulti tamè ex his Christo fauerunt, ut Nicodemus, & Gamaliel: nonnulli verò, quasi inter duas aquas enatantes, perspicacius eum nosse cupiebant, proinde eius colloquium praetextu cenae venabancur, è quibus iste censendus est. Porro obserua Christi Iesu bonitatem: nec enim nisi rogatus domum Pharisei adiit, qui tamen vltro sese in domum Zachaei publicani, & Leui ingessit, Luc. 19. & 5: ut intelligas eum humilibus & abiectis peccatoribus sanandis venisse, non turgentibus hypocritica sanctitate Phariseis. Deus superbis resistit, ait B. Petr. humilibus autem dat gratiam. Christus verò qua erat erga omnes humanitate, qui etiam nulli sui negabat copiam, etsi maleuolus eius animus non ignoraret, accedit, admonens non esse temerè iudicanda ea facta, quæ sunt *ad dei gloriam*, cum possint non solum malè, sed etiam benè fieri. *Nam ingressus domum Pharisei discubuit*. En Christi elementia, qui toties calumniis à Phariseis laceffit, non reiecit tamen Phariseum istum, aut domum eius dedignatus est. Tu quoque ne toruis oculis eos qui te oderunt, intueare, nec eorum mensas asperneris; quin potius si esurierint, ciba illos. En Deus opt. max. Apoc. 3. Ecce sto, inquit, ad ostium & pulso. Et Prou. 8. Delitiae meae esse cum filiis hominum. Felix conuiuium in quo Iesus conuiua esse dignatur. Adueniunt namque omnia bona pariter cum illo, Sap. 7. Ante omnia hic hospes gratiosè inuitandus, imò affectuosè suscipiendus, qui seipsum aliquando inuitat, Luc. 19. Et Apocal. 3. Ego sto ad ostium & pulso, &c. Obserua: Manducauit Dominus. 1 Cum cognatis, ut inopiae illorum succurreret, ut Ioan.

vt Ioan. 2. in Cana Galilææ. 2 Cum Phariseis, vt & miraculis & verbis eorum superbiam retunderet, & hypocrisim reuelaret, Luc. 14. 3 Cum peccatoribus & publicanis, vt eos cibo spirituali pasceret, & ad pœnitentiam induceret, Luc. 15. 4 Cum amicis, vt charitatem eorum foueret, Ioan. 12. 5 Cum Apostolis, vt eos mysteria regni edoceret, & Sacramentum Eucharistiæ institueret, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

Patet hîc locus dicendi de conuiuio Christianorum, quælia ea esse oporteat: scilicet sobria, & modesta, secundum scientiam sanctorum, Iudith 16. Esther 1. non, vt nunc sunt, lasciuia, petulantia, ebriosa, & detractionibus plena. Hæc enim damnant scripturæ, Isa. 5. & 28. Cithara, lyra, tympanû, tibizæ & vinum in cõuiuio vestris, & opus Domini non respicitis. Aliam longè rationem præscribit Christus, Luc. 14.

Cõuiuia Christianorû quælia deceat esse.

2 Secundò, Mulieris peccatricis, quæ ex auditu fidei Christum cognouit. Hæc cum otiosa esse nequeat, parit veros pœnitentiæ fructus, cognitionem, contritionem, cõfessionem, & satisfactionem peccati, quòd intelligat sine his placere se Deo nõ posse. Quare sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ & iniquitati, ita nunc exhibet ipsa arma iustitiæ in sanctificationem, Roman. 6. omniaque quondam inhonestæ voluptatis instrumenta, vertit in obsequium illius, qui solus est amandus. *Ecce mulier, inquit, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Rem omninò mirabilem factam per particulam (Ecce) demonstrat Euangelista. Res insueta quippe, & omnibus in exemplum proponitur. Mira mulieris pœnitentia, contritio, deuotio, & satisfactio: mira Pharisei durities & excandescencia: mira Christi Iesu bonitas & pietas apparuit. Porrò quænam ista sit, non è nomine seu familia describit; aut nenotam illi inuget, maxime verò quòd tum vitio velut carbone obscurata, nominari indigna esset, quæ tamen tandem remissione peccatorum accepta, Maria vocatur, & soror Marthæ nuncupatur, Luc. 8. Quapropter omissis quorundam nugis, cum cõmuni Ecclesiæ consensu probandum & tenendum est istam peccatricem Magdalenam fuisse sororem Lazari. 1 Ioannes Euang. cap. 11. eam Mariam determinans, quæ Lazari soror erat, hanc solam conditionem adfert, quòd vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis. Certum est verò hoc factum fuisse antequam Lazarus suscitaretur. Sed vbinam, & quando? Si quidem vnctio in Bethania facta, contigit post suscitatum Lazarum: cum Ioan. cap. 12. eam recensens, hæc præmittat: Venit Iesus in Bethaniã, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Feecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat: Lazarus verò vnus erat ex discubentibus. Doceat

Mores mulieris peccatricis.

ergo aliquis ex scripturis aliam aliquam mulierem ante Lazarum suscitatum, unxisse pedes Iesu, & extersisse capillis, præter istam peccatricem. 2 Item Marcus cap. 16. & Lucas 8. Mariæ Magdalene meminerunt, è qua eiecta fuerunt 7 dæmonia: cui vt Marcus docet, apparuit Christus post resurrectionem: quam etiam unxisse pedes Domini docent Chrysof. homil. de prodit. Iudæ; imò & peccatricem fuisse testantur: Ambros. li. 6. in Luc. ca. 31: Hieron. proæmio super Osee: Gregorius Papa, homil. 33: Beda in Lucam. Ambrosius quidem quæ de duabus vnctionibus adferuntur argumenta, & quomodo nunc peccatrix, nunc verò Maria soror Lazari, diluit. Potest quæstio merito & temporis diuersitate dissolui, inquit, vt adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior. Conditio ergo huius peccatricis quæ fuerit, antequam domum ingrederetur, his dictionibus exprimitur. 1 Sexus, quia mulier, vt primò etiam in sexu infirmo deuotionem & integram penitentiam obdurescentibus Phariseis, demerere. Deinde & hoc ipso quòd mulier est, sexus nimirum debilis, delitiosa eius vita magis excusetur. Nam mulieres stimulus carnis facilius agitantur, nec difficulter huius mundi illecebris alliciuntur. Sic allecta Eua pulchritudine fructus, Gen. 3: Dina curiosè egressa vt videret mulieres Sichimitarum, Genes. 34. Proinde Prouerb. 11. dicitur: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. 2 Conditio illius vitæ exprimitur cum vocatur Peccatrix; genus verò peccati non exprimit, quòd omni vitio laboraret. Mos quippe scripturæ est, eos qui omnibus peccatis scatent, peccatores; at vero qui fornicatione, fornicatores; qui homicidio, homicidas vocare. Omni ergo genere vitij infecta erat, quod etiam Marcus cap. 16. insinuat d. Apparuit Christus Mariæ, è qua eiecerat. 7 dæmonia. Ecquid enim, inquit d. Gregor. p. ho. 33. per 7 dæmonia, nisi vniuersa vitia designantur? Grauitas peccatorum illius exprimitur cum additur, *In ciuitate*. Vtique quòd omnium digito ostenderetur, & apud omnes diffamata esset. Quod faciebat generis nobilitas, & peccati assuetudo. Nam magnatum vitia facilius in vulgus abeunt & publicantur, quam priuatorum, iuxta illud Iuuenalis, Satyra. 8. Omne animi vitium tanto conspectius in se, Crimen habet, quanto qui peccat, maior habetur. Cæterum nomine ciuitatis Hierosolyma per emphasim intelligenda est, quam etiam praua conuersatione conspurcarat. Ideo vt audiuit & cognouit quòd Iesus accubuit in domo Simonis. Prius se ipsam agnouerat peccatricem & impiam. Demum quòd is qui seipsum agnoscit iuxta Delphici Apollinis oraculum, ad sapientiam gradum fecit: cognouerat Iesum Messiam esse peccatoribus

atoribus benignū, vt qui paulò antè à peccatoribus & Publi-
 canis exciperetur, eisq̄ue regnum cælorum polliceretur.
 Fiducia igitur concepta ad eum venire statuit. Cognouit
 demū vbi esset, nimirū aut ex domesticis quibus vicina
 & familiaris esse potuit: aut ex Martha sorore, Pharisei do-
 mesticæ, hoc certò scire potuit. Statim igitur vt cognouit
 eum accubuisse, nihil morata, nihil discumbentes verita ac-
 cessit. Super cōiuuantes ingressa est, inquit Gregor. non ius-
 sa venit, inter epulas lachrymas obtulit. Ecce enim quia tur-
 pitudinis suæ maculas aspexit, lauanda ad fontem miseri-
 cordiæ cucurrit. Et quia semetipsam grauius erubescere
 intus, non erat quod aliquid verècundaretur foris. Tertull.
 lib. de pœnit. satis ostendit pœnitentem non debere erube-
 scere, nec sibi parcere, vt à pœnitentiæ operibus, confessione
 scilicet, & satisfactione retrahatur. Miserum est, inquit, &c.
 Vide ibi ad longum. Nam in eos intonat qui pœnitentiam,
 abdicato ieiunio, sacco, & cæteris, agēdam censebāt: quibus
 vtiq̄ue Libertini nostri hæretici similes sunt: qui dum pœni-
 tentiæ & pœnitentiæ opera abdicant, necessum erit vt & pœni-
 tentem istam condemnent peccatricem, quæ sparsis lachry-
 mis inculta accessit, lachrymas & vnguentum in Christi pe-
 des effudit. Porro quòd palam suæ pœnitentiæ testimonium
 edidit, typum gessit antiquissimæ in Ecclesia consuetudinis:
 qua, vt refertur hist. tripart. Cassiodori lib. 9. cap. 35. visum est
 antiquissimis pontificibus, vt velut in theatro sub testimo-
 nio Ecclesiastici populi delicta panderentur. Ritum pœni-
 tentiæ publicæ etiam nunc multi obseruant in Italia, Gallia,
 India, & aliis permultis locis. Eius meminit Gratianus di-
 stinct. 50. In capite quadragesimæ, inquit, &c. Quæ desum-
 pra sunt ex cap. 9. Concilij Agathensis. Adeò districta etiam
 olim fuit pœnitentia. Cæterum vt pro ratione delicti, est &
 plagarum modus: ita quædam priuatam, quædam publicam
 requirunt pœnitentiam. Alia enim aliis morbis sunt reme-
 dia. Ambros. ad virg. lapsam cap. 8. Grandi plagæ, inquit, alta
 & proluxa opus est medicina. Grande scelus grandem habet
 necessariam satisfactionem. Sic Theodosium Imperatorem
 ab Ambrosio ex templi aditu eiectum, & longo tempore in
 squallore, palatio conclusum, demum & publicè pœnitentem
 ob 7. millia hominum Thessalonice occisa, describit Nice-
 phor. Callist. histor. Eccles. libr. 12. Item pœnitentiæ huius
 publicæ speciem habes apud Ambros. libr. de pœnit. cap. 16.
 Adfert alabastrum vnguenti. Alabastrum ait Beda libr. 3. in
 Lucam, genus est marmoris candidi, variis coloribus inter-
 tincti, quod ad vasa vnguentaria cauare solent, eo quòd op-
 timè seruare incorrupta dicatur. Proinde cum vasa huius-
 modi

modi adeò pretiosa exiterint, non dubium est pretiosissimū fuisse vnguentum. Videtur verò hoc attulisse: aut vt festum Christum releuaret. Potuit enim eum aut concionatorem, aut agros curantem audisse, quibus faciundis eum multum laboris sustinuisse videretur, pro more tanquam fesso, hoc illi refrigerium adfert. Mos enim erat Palæsthis fessos hoc solatio excipere. Aut munus hoc nimirum attulit, vt placaret eum, quem in se ob sua scelera iratum credebat. Prouerb. 18. Donum enim hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit. Et Prou. 21. Munus absconditum extinguit iras. Aut vnguentum istud adfert, inquit Beda, vt quod illicitis actibus prius intenta, sibi pro odore suæ carnis turpiter adhibuit, hoc iam Deo laudabiliter offerat. Olim quippe mulieres vnguentis vti solebant. Sic Hester, Iudith, Iezabel, Susanna, vt habetur Dan. 13. At quia his ista abusa fuerat, ideo in pium vsum refert. Et sic in ista impletur quod Dominus principibus sacerdotum dixerat, Matt. 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Porro sapientia huius mulieris proditur, vt obseruat Chrysostr. vt quæ non pro infirmitate corporis, sicut Hemorrhoiissa, Lu. 8. & Mat. 9. & Chananæa, Matth. 15. sed pro infirmitate spirituali accedit ad Iesum. Econtrà hodie per multi plus curant de medicina corporis quàm animæ, & curiosius curant cibos corporis in conuiujs, quàm cibos spiritus in altari.

Cæterum conditiones veræ pœnitentiæ in hac muliere duas describit Euangelista. Quarum prima declarat cordis amaritudinem: Nam *1* stat retro, quo pudorè indicat. Licet enim mulier ista nihil vereatur discumbētes, erubescibat tamen Christo coram se ingerere. Quomodo enim non vereatur peccator Deum. Adam peccato patrato, abscondit se, Genes. 3. Non audet Publicanus oculos in cælū leuare, Luc. 18. Sed & Manasses: Non sum dignus, inquit, respicere altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum. Et Iere. 6. Erubescite à vijs vestris malis. Et Eccles. 16. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Quæ ergo nihil verita erat, vt conuiujs indulgeret, & carnem satietate ad libidinē prouocaret: nunc quasi satisfaciens his quibus scandalo fuerat, accedit, & stat retrò, &c. adeò sibi Christum opponit in aduersarios suos, qui eam tueatur. *2* Additur *secus*, quo eius confidentia ostenditur. Secus vtique, quòd iam magna cum fiducia Christo Iesu appropinquaret. Psalm. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Accedamus ad eum in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Nam Christus Iesus, qui mortuus est & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis. *3* *Stat secus pedes*. Quo ti-

mor mulieris exprimitur, vt quæ sacrum Domini verticem tangere aut vngere non ausa est: sicut & tandem fecit in Bethania, suscitato Bazaros: sed pedibus se aduoluit. Sic Ruth, cap. 3. ad pedes Booz aduoluta gratiam inuenit. Non audet ista se vultui Christi offerre, imò & eius aspectu se indignâ iudicat, iuxta illud Hierem. 31. Cõfusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Retrò igitur stat, & ad pedes se humiliat, Deuter. 23. Qui appropinquant pedibus eius, recipient doctrinam eius. Abacuc 3. Egre ditur diabolus ante pedes eius: imò septem dæmonia de ea ante pedes Domini egressa sunt. 4. Lachrymis pedes Christi rigat. Quo dolore eius exprimit. Oculis terrena concupierat, inquit Gregor. sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Proinde cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxum pectus illæ huius peccatrici lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant? quæ oculis suis hinc & inde vagantibus animas deprædata fuerat: quæ nunc iuuenes, nunc cætera huiusmodi concupiebat: quæ elato supercilio ambulabat, nunc quòd his lasciuiis eos prius polluisset, eluit: in pedes Iesu Christi desigit. Prius stabat, sed adeò abundanter fleuit, vt statim pedibus quos irrigabat, aduoluta, eos ample xari coacta sit. Præsentia diuini solis cor eius calefaciebat amore: & quia glacies prius fuerat, soluebatur in lachrymas. Eccles. 3. Sicut in sereno glacies soluetur, perflabitque auster adducens pluuias. Psal. 147. Flabit spiritus eius, & fluët aque. Petrus Chryzologus serm. 43. Iura, inquit, naturæ nunc mutantur. Cælum enim terram irrigat, non terra cælum. Nunc verò terrena mulier eius qui è cælis descendit, pedes abluit. Tam copiosæ huius lachrymæ fuerunt, vt pedibus Christi lauandis suffecerint: & tamen adeò induruerunt peccatores, vt ne guttulam quidem ex oculis emittant. Audimus & legimus quid ista fecit, & tamen quasi surda aure contemnimus. Nihil nos ista mouent. Nihil inquam incidimus necessitas. Nihil futuri iudicij timor. Nihil Dei opt. max. & Christi Iesu maiestas, quem toties offendimus, & ad iracundiam prouocauimus. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, inquit David. Idem Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo. Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sed vbi nostræ lachrymæ? vbi gemitus? vbi fletus? Ps. 94. Venite adoremus & procidamus ante eum: ploremus ante Deum qui fecit nos, vt saltem ad pedes Iesu venire possimus. Quòd mulier ista pedibus Christi aduoluitur, antiquissimum Ecclesiæ morem docet: quem explicat Tertull. lib. de pœnit. inter cætera pœnitentis

nitentis munia. Plerunque, inquit, pœnitentia mandat ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari & mugire, & dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Nam cum te ad fratrum genua pro tendis, Christum contrectas, Christum exoras, &c. 5 Capillis capitis sui tergit. Quo extrema mulieris humilitas panditur. Adeo non vestes tantum, non torques, non armillas aut cætera huiusmodi tantum contemnit, sed & capillos capitis, quibus in lasciuiam abusa fuerat. Ea de causa Isaias cap. 3. Sion filias arguit: & erit, inquit, pro crispanti crine caluitium, pro zona funiculus, &c. 1. Timoth. 2. Volo mulieres, inquit Paulus, orate in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preiiosa. Et 1. Pet. 3. Mulieres subditæ sint viris suis, quarum non sit extrinsecus capillatura, &c. Forfan & ista his abusa fuerat, ideoque capillos etiam Christo deuotet. Hoc enim in signum est eius quæ mundo renuntiauit, si caput raserit, & capillos toronderit: in quibus quæ de mundo est gloriatur. Si Concionatori hic placet acclamare in habitu muliebrem & capillaturam, consulat Tertull. lib. de habitu muliebri. Habitus, inquit, feminae duplicem speciem circumfert: cultum & ornatum, &c. Si quæ sunt igitur quæ his pigmentis caput ementitæ sint, iam capillos, imò & omnia sua, vt & ista peccatrix, Dei obsequio deputent. Item de tondendis & velandis virginibus, vide Tertull. lib. de velandis virg. D. Dionys. Arcopag. libr. Eccles. hierarchi. cap. 6. par. 2. parte 3.

Altera conditio veræ pœnitentiæ huius mulieris declarat dilectionis & deuotionis feruorem: nam osculatur pedes. En ardentissimus in Christum amor. Solemus enim eos quos intimè amamus, amplecti & osculari. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculās, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Potuit osculis abuti in concupiscentiam carnis: nunc quia lachrymæ sunt satisfactionis documentum, oscula sunt reconciliationis inditia. Et nos quoque adoremus scabellum pedum eius, quoniam sanctum est: osculemur eius vestigia, crucem eius amplectamur, vt & hic veniam delictorum inuenire possimus, & vnguento vnxit ex deuotione feruenti, quæ prius vnguentis delibuta carnis delicias secuta fuerat, criminum scilicet suorum iudex seuerior, mentem ac membra singula, digna castigatione castigans, mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem tulit, inquit Cyprianus in sermone de ablut. ped. cuius deuotio vsa est ibi capillis pro linteo, oculis pro

pro catino, lachrymis pro baptifino: tergit & lauit, & vnxit vnguento, fmgula præbuere ministerium, cor contritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas vnxit, de pœnitentiæ pixide vnguenta protulit, & crinibus lasciuix irritamentis terfit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi deuouit, & tu affectum potius quàm factum attendens, vngebas vngentem, abluébas lauandem, tergebás intrinsecus pœnitentem. Hæc ille: Quot ergo ista in se habuit oblectamenta, inquit Gregorius, tot de se inuenit holocausta. Cõuertit ad virtutũ numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa. Huiusmodi siquidem fructus parit fides, quæ per dilectionem operatur. Charitas enim quæ diffunditur in corde per Spiritum sanctum, nequit esse otiosa. Sed non secus atque solet ignis rubiginem, sic ipsa mox peccatum omne tollit: Nam spiritus disciplinæ effugit fictum, nec potest habitare in corpore subdito peccatis. Accepit itaque hæc mulier initium bonæ voluntatis, quam secuta est vehemens peccati detestatio ac dolor. Ad Christum igitur Dei agnum, de quo dicitur: Quoniam apud te est propitiatio, Psal. 129. Tu remisisti iniquitatem peccati mei, &c. & illud: Vtique holocaustis non delectaberis, cor cõtritum & humiliatum Deus non despicias, mulier peccatrix hæc adeò festinauit, vt non expectaret dum Christus domum Pharisei exiret, sed tota sibi displicens, cum ingenti fiducia de Iesu benignitate concepta, in ædes Pharisei irrupit: ardor enim animi omnem pudorem excusserat, cum non esset ignara, quanto fastu solet Pharisaicum genus auersari peccatores, cum ipsi intus grauibz maderent vitiis, Christum namque, tacta spiritu sancto, propitiatorium verum agnouit, qui dixerat, citius peccatores, quàm Phariseos, gratiã Dei inuenturos, Matth. 21. Discamus hîc, maturè abfistendum vitiis. Certum est, eas quæ in peccato insenuerunt, etiam senes, quando amatoribus sunt horrore, peccati adhuc consuetudine delectari. Si quid verus scortum dolet, hoc saltem dolet, quod ad furta minus appetitur. Pœnitendum ergo est citò. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Mysticus huius facti sensus si quempiam delectet, habetur apud D. Augustinũ homil. 23. libr. 50. homil. vbi pulchrè aperit mysticè quomodo peccatricem istam imitari possimus. Lege, applica, & exhortare.

3 Tertiò, Cõplectitur Christi perhorrendum ac verè metuendum iudicium, quo pœnitentem absoluit meretricem, & superbam damnauit hypocritam, vt ostenderet misericordiam suam, qua gratis peccata conuersis donat: dum mulieri ait: Remittuntur tibi peccata tua quia scilicet dilexit multum. Nam lachry-

*Fidei fructus
pœnitentia.*

Maturè à peccatis abfistendum.

Iudiciũ Christi perhorrendũ inter Pharisæũ & peccatricem. Genes. 18. 19. 24. 1. Tim. 5.

lachrymis pedes lauit, officium hospitalitatis exhibens. Vn-
guento pedes vnxit, magno eos appreciata. Capillis terfit,
qui præcipuum sunt ornamentum mulierum, 1. Corinth. 11.
& osculari pedes nõ cessauit, in signum charitatis, Rom. 16.
Quo ergo grauius peccauit, hoc sibi magis displicuit, ac me
cuius gratuita clementia liberata est à peccatis, vehementius
amat: singula quæ sibi Maria contulit officia, Christus recen-
set, quia placent illi talia opera, Act. 10. Ionæ. 3. Nam om-
nia quæ ad impij iustificationem in scripturis requiruntur,
abundè in hac peccatrice inuenta sunt, nempe gratiæ infusio,
morus liberi arbitrij, peccati agnitio ac detestatio, iustitiæ
desideriũ, fides, spes & charitas; ita vt quasi eorũ operũ intuitu
dicat scriptura, Deum nos iustificare, dum videlicet in gra-
tiam recipit, dum peccata condonat. Rom. 5. Iustificati gra-
tis, &c.

Superbum & hypocriticum dñauit Pharisæum, vt osten-
deret iudicium, quo dignos deserit: dum Simoni
suam ingratitude inproperat, quod ipsi domum intran-
ti aquam pedibus non dedisset, osculum non porrexisset, &
oleo caput non vnxisset. Horum enim neglectus facillè indi-
cabat animum Simonis erga Christum parum fuisse candi-
dum: dum ea exhibere negligit, quæ candoris & beneuolen-
tiæ erant symbola. Ingrati autem hospitis sella post ianuam
fertur posita. Hinc proposita parabola eum arrogantè osten-
dit, proximum iudicando; & insipientem, tot charitatis &
pœnititudinis indicia non considerando & fidei. *Videns enim Pha-
risæus qui vocauerat eum, ait intra se.* Magna Pharisæi istius inhu-
manitas ostenditur. Nam qui flere cum flentibus debuerat,
& peccatrici cõpati, Christumq; vt eius misereretur, prouo-
cate, non modò compassionis expers fuit, sed etiam derogat
hospitalitati, impius in Christum, eum accusando quem in-
uitarat, & in eum murmurando, contra doctrinã B. Petri. 1.
cap. 4. Hospitales inuicè sine murmuratione. d. *Hic si esset pro-
pheta, sciret utique quæ & qualis est, quæ tangit eum, quia peccatrix est.*
Quibus verbis duplex prodit temerarium iudiciũ. 1. de Sal-
uatore, quem de duobus arguit, scilicet de ambitione, vt qui
permiserit se prophetã à populo nuncupari, cum tamen non
sit: & de ignorantia, quod permittat se contrectari à pecca-
trice, quam ignorat. Quasi ratiocinationem sic erigat:

Nullus propheta permittit se ab ea tangi quã peccatricem
esse cognoscit:

Hic autem sibi id fieri permittit:

Non est ergo propheta.

2 De pœnitente, cuius & personam & vitam norat. Porro
quis fucus sit pharisæicus, hinc luce clarius patet. Quis enim
propheta?

Opera bona
fructus pœni-
tentis Deo
placent.

prophetarum non pœnitentiam prædicauit, facilemque te peccatoribus, vt eos lucraretur, reddidit? Eccles. 7. Ne desis plorantibus in consolatione, Iob. 30. Flebam inquit, quondam super eo qui afflictus erat. Imò Moses: Dele me, inquit, de libro vitæ, aut remitte eis hanc noxam. Tanto in peccatores ferebatur amore. Et Apost. Galat. 6. Considera te ipsum, ne & tu teneris. Ecce hic Phariseus veraciter apud se superbus, & fallaciter iustus, egrâ reprehēdit de egritudine, medicū de subuentione, inquit Gregorius, qui ipse quoque elationis vulnere ægrotabat & laborabat. Sed inter hæc nos gemitus cogit quosdam nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio præditi, si quid fortasse iustè exterius vel tenuiter egerint, protinus subiectos despiciunt, & peccatores quosque in plebe positos dedignantur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac Pharisei more à peccatore tangi despiciunt. Porro semper necesse est, vt cum peccatores quosque conspiciamus, nosmetipsos prius in illorum calamitate desileamus: quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. 1. Corinth. 10. Qui stat, videat ne cadat. Impius igitur Phariseus iste, vt qui peccatricem à medico arcendam putet, sitientem à fonte, moribundam à vita; & hinc sibi prætextum quærat, quòd à peccatoribus Prophete & optimi viri abstinere debeant. Vnde non tantum Christum prophetam esse negat, sed & impuritatis notam inurit: & se iustum sic arbitratur, vt se supra Christum efferat, vt qui nunquam permissurus sit se à peccatrice tangi. Pientissimus verò Dominus huius causam suscipit: vt doceat peccatorem animum non despondere, etiã si à quibusdam aut ieiunans, aut cilicium gerens, aut peccata sua confitens, aut alios producens pœnitentiæ fructus à carnalibus hominibus etiã à libertinis hæreticis rideatur.

Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. Vocat ex nomine Simonem, ad conciliandam beneuolentiam. Potuisset enim vocare Phariseum hypocritam & murmuratorem, sed nouit vt peritus chirurgus, quando lenibus, & quando acerbis remediis vtendum sit: Suo hoc nos docens exemplo, vt oportunè & importunè increpemus & obsecremus errantes, vt ad viam veritatis redeant. Nec enim semper & vbique commoda est asperitas. Habeo tibi aliquid dicere. Parat attentionem ab vtilitate & fructu quæstionis, seu narrationis. q. d. Quædam ego ad tuam vtilitatem allaturus sum. Verum ancipitem quid velit retinens, etiã ad aures dictis arigendas paratiorem reddit. Vnde ille ait: Magister dic. Magistrum vocat, quem prophetam esse denegarat. Mos enim hypocritarum est, lenibus verbis aliquem prodere.

Dixit ergo Iesus: Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c. vsque, donavit utrisque. Rem ipsam attingit Christus, & quod Simon illi derogabat, sibi tamen inesse testatur. Docet enim se cordis secreta agnoscere, cum murmur Pharisæi palam faciat: proinde illum impiè gessisse dicendo: Hic si esset propheta, &c. Cæterum pro more parabola vititur, vt suo ipsius ore Simonem condemnet: sicut Nathan excitata de oue parabola, Dauidem ad reatus sui agnitionem deduxit: implens illud Psal. 77: Aperiam in parabolis os meum. Porro quatuor hac parabola insinuat. 1 Contractum in fœnerando. 2 Debitorum differentiam. 3 Impotentiam in soluendo. 4 Saluatoris quaestionem, quis creditorum plus diligat. Pri-
 mô igitur fœnerator Deus est, qui pro culpa momentanea pœnam æternam exigit, & pro donis gratiarum vitam æternam donat, Matth. 25. Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem illam? Aut fœnerator dicitur, quòd nos velit accepta gratia multiplices fructus fidei, pœnitentiæ & bonorum operum illi reddere. Proinde nisi pietatis fructus illi persoluerimus, peccatum incurrimus: vnde & per peccatum illi debitores sumus. Debitor igitur sunt peccata, inquit Tertullian. libr. de oratione, quòd perinde iudicio debeat, nec euadat iustitiæ exactio-
 nis, nisi donetur exactio. Petrus Chrysologus serm. 49. Vis scire homo quid Deo debeas? Quòd factus es, Dei creditum est: quòd es rationis capax, Dei tœnus est: quòd discretionē mali boniū possides, accepisti: & quòd viuendi normam acceperis, per chirographum legis, stipulanti Deo spondidisse te non potes diffiteri. Sed dum per vitia carnis, in lutum instar suis demergeris, & diuinæ legis substantiam dissipas, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus: cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur vsura. Duo debito-
 res sunt Maria & Pharisæus. Is qui denarios quingentos debebat, Maria est, quæ multum peccauerat. Is qui quinquaginta, Simonem significat, non quasi parum peccasset, sed quòd se parum peccasse arbitraretur. Pharisæorum enim omnium est, se iustos arbitrari. Luc. 18. Neuter habet vnde reddat, quia nemo ex se potest vel pro minimo peccato satisfacere, 1. Cor. 4. Quid enim habes quòd non accepisti? Isa. 26. Omnia opera operatus es in nobis Domine, Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Donat utrisque. 1 Tempus ad pœnitentiam, Rom. 2. An ignoras o homo, quòd Dei benignitas te ad pœnitentiam inuitat? 2 Pretium ad redemptionem. Gratis enim venundati estis, & gratis redimemini. 3 Gratiam ad exercendos pœnitentiæ fructus. Nemo enim venire potest ad me, ait Christus, nisi pater qui misit me, tra-
 xerit

zerit eum, Ioan. 6. 4 Charitatem ad merendum vitam æternam, Rom. Charitas diffusa est in cordibus nostris, &c.

Casu demum proposito quæstionem format, d. *Quis ergo duorum eum plus diligere?* id est, plus diligere tenetur, cum utriusque donauerit? Et respondens Simon dixit: *Aestimio quia is, cui plus donauit.* Magis enim feceratori obligatus est. At ille dixit ei: *Rectè iudicasti.* Iam suo ore constringit Simonem, qui mos familiarissimus erat Christo. Sic Matth. 22. Cuius est imago hæc & superscriptio? Item baptisina Ioannis unde erat? Et Christus cuius filius est? &c. Cornu bos capitur, voce ligatur homo, ait Poëta.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: *Vides hanc mulierem?* Quod generaliter assumpserat, iam ad rem accommodat. Conuertitur autè ad mulierem, vt & propter eam hæc dici insinuet, & doceat se ad pœnitentes conuerti, Zach. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Vides, ait, quam videre contemnebas, & in quam murmurabas. *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.* Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terxit. Beneficium gratiæ collatæ Pharisæo adducit, quo eum ingratum & iniuilem colligat. q. d. Rogarus intraui in domum tuam, cum alioquin potuissem tibi meam præsentiam & colloquium denegare: tu verò ne hospitalitatis quidem minimum exeruisisti. Cum enim mos sit Palæsthis aquam pedibus lauandis præbere, tu ne quidem id præstitisti: imò in mulierem murmurat, quæ nullo à me donata beneficio, lachrymis, quæ omnem etiam pretiosissimum liquorem superant, eos rigauit: & capillis dignioribus quouis sudario, absterfit. Cæterum quòd lauare pedes, ius hospitalitatis sit, patet in Abraham, qui angelis dixit: *Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri,* Genes. 18. & 1. Tim. 5. Si sanctorum pedes lauit vidua eligatur. *Osculum mihi non dedisti:* cum tamen eo excipiantur hospites, in signum charitatis & pacis. Sic & olim Christiani seipso in osculo sancto salutabāt. Sic Act. 20. Rom. vlt. *Hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.* Et hoc illi ad maiorem & dilectionis & humilitatis cumulum, quòd pedibus ipsis & aduoluta sit, & eos non semel tantum, sed continuò sit osculata: cum tu ne os quidem meum cōtingere dignatus sis. *Oleo caput meum non unxisti.* Quod familiare quoque erat Palæsthis. *Hæc autem unguento unxit pedes meos.* Ex hoc ergo quòd dignius sit unguentum oleo, & pedes capite contemptibiliores, satis intelliges quantum hæc dilectione te superauerit. *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Charitas enim operit multitudinem peccatorum, inquit B. Petrus. 1. cap. 4. Sic nos translati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres, 1. Ioan. 3.

Super omnia igitur charitatem habere, quod est vinculum perfectionis, Coloss. 3. Cui autem minus dimittitur, vt Pharisæo, cui remissa peccata nō sunt, quōd se minus peccatorē agnoscat: Minus diligit. Nec enim charitate, sed fastu & arrogancia fertur. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Audiuimus peccatricis conuersionem: nunc Saluatoris erga ipsam miseratione exprimitur. Tria verō hīc pandūtur. 1. Diuinæ misericordiæ exhibitio. Misericordia vtique est, quod ait Christus: Remittuntur, &c. Sic in curatione paralytici locutus est, Matt. 9. Nec ait: Ego remitto, cū posset, vt doceret humilitatem sectari, & vitare scandala. Verbum sanè consolatorium, Remittuntur: quo testatus est in ictu oculi se eam à labe interna mundasse. Sic Deus olim dixit: Fiat lux, & facta est lux. Sic prædicatur in nomine pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Ioan. 20. Act. 17. & 10. 2. Malitiæ assitentium ostensio: Et cæperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Vident hominem: ideo interrogant & murmurant, non intelligentes quōd verè Deus esset. Legerat Deum dixisse apud Isa. Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates propter me: nec intelligebant quōd Christo duobus modis conuenit peccata remittere. Primò, authoritariuè, vt Deus: Secundò, ministerialiter per excellentiam & meritum vt homo. Nam vt Paulus vocat Christum ministrum circumcisionis, ad complendas promissiones patrum: ita docet illum spiritualem circumcisionem perficere, per remissionem & expurgationem delictorum. 3. Fidei mulieris commendatio. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit vade in pace. Nichil sollicita quid isti dicant, cū assequaris quod totis votis optabas. Cæterum, fides saluat, saluat & Christus: nec tamen sibi derogat Christus, cū fidem saluare ait. Saluat enim Christus meritorie & per redemptionem & virtutem. Saluat fides, sacramenta, pœnitentiæ, ieiunium, &c. vt media: quia per hæc & propter hæc nobis salus rependitur.

EPILOGVS.

Vinum exemplar, & expressam hic habemus hominis verè pœnitentis veritatem, & quōd peccata sua agnoscentibus, & ex animo pœnitentibus contingit peccatorum remissio, minime verò impœnitentibus, aut de falsa sua iustitia superbientibus: omnique pœnitentiæ ex fide verbi Dei, per spiritum sanctum & fidem in corde plantantem, & pœnitentiæ operantem. Qui ergo imitati sumus mulierem hanc peccando, imitemur eandem & pœnitendo. Scimus quis sit fructus peccati, nimirum hic ignominia, & post mortem æterna, Roman. 6. Cū ergo simus peccatores, & tantum supplicium capitibus nostris immineat, agnoscamus, detestemurque peccata, sed ex animo, nō nudis verbis. Nō erubuerat mulier peccare, sed nec fateri peccata erubuit, corde & factis magis quàm verbis: ergo

ergo nec nos erubescamus confiteri, quod facere non erubnuimus. Tum nimirum
 & ipsi talem experiemur Dominum Iesum, qualem expecta illum est mulier.
 Prophetarum enim vox est: Quocunque momento vel hora peccator resipuerit,
 &c. Ezech. 18.

FERIA SEXTA POST DOMI-
 NICAM PASSIONIS,
 EPISTOLA.

Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, &c. Finis Episto- Hierem. 17.
 læ: cunctique habitatores Hierusalem qui ingredimini per portas istas.

IN præfenti oratione precatur Propheta cõtra eos qui com-
 minationem iræ Dei sibi indicatæ, quam pronuntiauit,
 sic receperunt, quasi Propheta de malo Iudææ exultaret, quod
 falsum esse ostendit. Nam si patriæ exitium optasset, non tot
 consolationes, neque tot remedia promissionis Dei populo
 Iuda pronuntiaisset. Neque enim tam comminatur quàm
 consolatur. Quare utrinque sibi pseudopphetas, atque per
 hoc omnem populum, sacerdotes & principes populi infen-
 sos reddidit. Tacere non potuit, & docendo nihil profecit,
 saltem canibus sanctum, in sui capitis periculum, proiecit.
 Hinc prophetam percussum Phassur in neruum coniecit,
 cap. 20. & 38. rursus miserunt Prophetam in lacum, in quo
 non erat aqua, sed lutum. Denique inde iussu regis Sedechiæ
 extractus boni viri Abdemelech intercessione, mansit Pro-
 pheta in vestibulo carceris vsque addiẽ quo capta est Hie-
 rusalem. In his tãtis malis vndique circumuallatus Prophe-
 ta, Dominum orat, vt se veritatis doctorem liberet: contra
 verò, mendaces prophetas in suppliciũ dignum vocet. Tria
 autem agit hac Epistola Propheta.

I Primò, Vaticinatur Hieremias de miseria eorum, qui vel *Miseria eorũ
 qui Deum de-
 liberata mali-
 tia deserunt.*
 infidelitate, vel deliberata malitia, vel quocunque peccato,
 Deum, fontem aquarum viuentium, & totius bonitatis sca-
 turiginem deserunt. Merentur enim vt & ipsi quoque dese-
 rantur: deserti verò ab eo qui est via, veritas & vita, nõ pos-
 sunt non rursus aberrare, amplecti mendacia, & morte op-
 pressi. Ex quibus sequitur vera confusio, quam comminatur
 Propheta, nec vt ait, quicquam ad hæc euitanda valet sine
 gratia liberum arbitrium, quod in huiusmodi desertis, Au-
 gust. teste, non nisi ad peccandum valet, quàm diu gratiæ
 destituuntur auxilio: quo fit, vt non solum Deum non dese-
 rant, sed vt auersi respiciant, peccantes pœniteant, & erro-
 ribus impediti, veritatem amplectantur. Quibus comparat-
 ur vera animi felicitas, conscientię tranquillitas & beatitu-
 do, vt contra qui Dominum dereliquerint, concupiscentia
 rerum.

rerum terrenarum irretiti, odio, vel inuidia liuidi, avaritia, vel libidine exæcati in terra scribuntur, deleti nimirum de libro vitæ, terrenis ac perituris beneficiis affecti, ducetes, vt inquit Iob 21. in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Hoc orationis caput, quo dicit: *Domine, omnes qui te derelinquunt*, &c. lacius se extendit, quàm in hos Dei aduersarios Saphatiam filium Mathan, Gedeliam filium Phassur, Iuchal filium Semeliæ, Phassur filium Melchiæ, & alios eius farinè pessimos tyrannos, veritatis hostes: sed orat etiam hic Spiritus Domini per prophetam contra omnes hæreticos, schismaticos, & sacræ scripturæ deprauatores, semen adulterinum. Omnia enim quæ scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15. Semen adulterinum sunt hæretici, quia somnia mera docent, super arenam ædificantes. Sancta mater Ecclesia, ædificata est supra firmam petram Christum: Aedificata est auro & gemmis, hoc est, fide & operibus bonis. Benè fundata est Ecclesia, quia habet scripturæ sensum, patrum sanctimoniam, & miracula & opera bona, quibus fidem suam contra portas inferorum asserere potest. Et quia neutram habent hæretici, ideo Ecclesiam persequuntur, & catholicos eius doctores variis tentationum machinis impetunt & insectantur. Sed audiatur Apostolus: Aporiamur, inquit, sed non destituimur, &c. Audiatur item hic oratio spiritus: *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur*, &c.

2. Secundò, Sub persona omnium oppressorum agnoscit suam infirmitatem, tum animi tum corporis, quæ peccati merito totam naturam ita peruasit, vt sibi relicta non possit tentationibus resistere, & ægritudines ferre. Quod eleganter Regius ille Psaltes, Psal. 6. testatur, dum ait: *Miserere mei Domine, quoniã infirmus sum*. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea: & anima mea turbata est valde: vt non immeritò sancti omnes deposita propria fiducia, quam vel ex animi dotibus, vel ex robore corporis concipere solet caro, à solo Deo, penes quem est certa potestas, & prompta voluntas, auxilium petant, iuxta illud: *Ad Dominum cum tribularer, clamaui*, &c. Psal. 119. Siquidem ipse est qui redimit de interitu vitam, sanat contritos corde, propitiatur omnibus iniquitatibus, & coronat in misericordia & miserationibus, &c. Psal. 102. Rectè ergo Propheta Deo dicit: *Saluum me fac, & saluus ero*.

Hic item omnia, quæ ad Ecclesiæ aduersariorum iniurias sustinendas necessaria sunt, petit. Quid verò hoc potissimum esse credamus, nisi quosdam nos videre à vera religione non desicere,

*Spiritus orat
in scriptura
contra omnes
hæreticos.*

*Infirmitas hu-
mana natura.*

deficere, catholicam religionem quacunq; ratione promouere, vel latentem cum Nicodemo, vel consilio graui cum Gamaliele; &c. Fuit itaq; Hieremiæ prophetæ præfens consolatio, quòd septē milia virorū sibi Dominus reseruasset, qui genu Baal non inflexerunt, 3. Reg. 19. Rom. 11. Ex quorū numero fuerunt Abdias, Abdemelech, & alij prophetarum mæcenates, 3. Reg. 18. & infra 38.

Præterea ostendit Propheta eum per quem possimus aduersarijs fidei, hostibus verbi Dei, & inimicis crucis resistere, ridentibus veritatem verbi Dei. Est enim hoc omnibus impijs familiare, vt liberijs vitijs suis indulgeant: quare veros verbi Dei ministros, pastores, & doctores contemnūt, atque vt olim Iudei Hieremiã, mēdacijs subinde arguūt, quasi yanæ essent Dei comminationes, eò quòd lento gradu ad peccati vindictam diuina procedat ira. Quia enim non profertur citò contra impios sententia, absque timore peccant. Huiusmodi autem illusoribus, qui gloriantur quòd percusserint scēdus cum morte, flagellum inundans cum transierit, non veniet super eos, & cum inferno fecerint pactum; ac proinde rident horrendas illas scripturarum cōminationes, dicentes: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Eccles. 5. grauius comminatur Esa. cap. 26. eosq; ad verbum Domini remittit, quia ipsorum scēdus cum morte non stabit: flagellum inundās tollet eos, & pactum cum inferno irritum erit. Proinde nō est quòd moueātur verī prædicatores verbi Dei, licet mundus veritatem verbi rideat ac contemnat, tantūm ipsi, vt ait Hieremias, verum pastorem Christum sequantur, illius verbo sua dogmata confirmet, Christi gloriam quærant, & non turbabuntur. Ego, inquit Hieremias, non sum turbatus, se pastorem sequens: quasi dicat: Etsi me damnēt ac rideant impij, ego tamen veritatem non deseram, nec ad gratiam hominum loquar.

3 Tertiò, Magna conscientie securitate Propheta coram Deo suam testatur innocentiam. Tu scis, inquit, quòd diem hominis non desiderauerim, id est fauorem humanum, auram popularem, vt eius occasione veritatem verbi tui deseruerim: & quòd egressum est de labijs meis, rectum in cōspectu tuo fuisse. quasi ditat; nō fui vt multi, adulterans verbum tuum, errores aut somnia prætextu verbi annuntians. Magna profectò Prophetæ fides, constantiaque, qui tantis agitatus iniurijs, nunquam tamen à veritate verbi vel latum vnguem discessit, vt potuerit non solum coram mundo, sed etiam coram Deo suam aperire conscientiam. Sic olim B. Paulus: Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc, inquit, iustificatus sum, 1. Corinth. 4. Nihil subterfugi eorum, quo minus

Impiis familiare peccatis proprijs indulgere.

Hieremia fides & constantia.

docerem vos omnem veritatem. Item : Nihil minus feci à cæteris Apostolis.

Pseudoprophetarum & hæreticorum ingenium.

Obserua ex hoc verbo quo dicit: Diem hominis, vel diem calamitatis non desideravi, ingenium Pseudoprophetarum & hæreticorum, quibus proprium est calumniari, & ea quæ committunt ipsi, aliis obicere, & sic calumniando insanire, ne aliis arguendi se locum relinquunt. Hinc infra cap. 28. dicunt regi : Rogamus vt occidatur homo iste, de industria enim soluit manus virorum bellantium qui remanserunt in ciuitate hæc, & manus vniuersi populi, loquens ad eos verba vniuersa hæc. Siquidem homo iste non querit pacem populo huic, sed malum. Idem hodie quoque piis, modestis & pacificis catholicis obiciunt hæretici factiosi & totius orbis turbatores. Qui interim blasphemant, calumniantur vtriusque status capita, sacrilegia committunt, bellorum seminaria cudent, & mille huiusmodi crimina capitalia designant, libellos famosos harum tragædiarum manifestos indices tot scribunt, quot ad iustam bibliothecam facere possint. Non sunt nudinæ in Germanicis emporiis, & Municipalibus vrbibus, quæ huiusmodi libris non exudent.

Verbum Dei contemnentibus prædicatur interitum.

Proinde hisce impiis verbum Dei contemnentibus, & illius prædicatores ridentibus, grauem hic comminatur Propheta interitum, licet non omnino de sua innocentia securus, se ex misericordia, non seueritate iustitiæ petit iudicari, dicens: *Confundantur illi, & non confundar ego, paueant illi, & non paueam ego.* Quæ non optandi modo à Propheta dicuntur, sed vaticinandi: quasi dicat: Futurum est, vt illi confundantur, qui oblatam salutem respuunt, gratiam remissionis peccatorum contemnunt, & verbum Dei quod potest saluare animas nostras, ostentui habent. Ac ne quis putaret leue hoc esse peccatum, quale eos maneat supplicium, exprimit: *Duplici contritione contere eos,* inquit, *Domine Deus noster.* quasi dicat: Non affligentur tantum in corpore, vt aut fame, bello, gladio, aut peste intereant (hæc enim subinde etiam sanctissimis eueniunt) sed audiant horrendam illam sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum,* Matth. 25. vt anima & corpore mittantur in gehennam.

Orare sedulo contra hæreticos religiosum.

Videmus porro ex præcedentibus verbis etiam religiosum esse, sedulo contra schismaticos precari: non vt reconciliatio erranti negetur, sed vt malo instar carcinomatis proserpenti medeatur. Facit huc Psal. 7. *Conuertatur dolus eius in caput ipsius.* Psal. 17. *Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.* Psal. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Item Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam,*
manus

manus suas lauabit in sanguine peccatoris: Dauidi enim peculiare est illud orandi argumentum. Vide Pſal. 11. 12. 16. 24. 27. 29. 30. 34. 40. 53. 54. 55. 69. 70. 85. 122. 123. 124. 139. 140. 141. 143. &c. Hæc omnia apparent quidem, ſed non ſunt, vindictæ cupiditas. Eccleſiæ paci alia ratione conſuli non poteſt. Prædicat ergo ſcriptura orando, ſed abſterret imprecando. Denique etiam ſic approbat iuſtitiam diuinam. Omnia hæc facit, vt pietati cõſulat. Stulto namque flagellato aut pereunte, ſapiens aſtutior fit, Prou. 15.

EPILOGVS.

Conqueritur Propheta Hieremias de Pſeudoprophetarum emulatione atque inuidentiâ, rogans vindictam contra eos. Petit etiam omnia alia que ad talia mala perferenda, ſunt neceſſaria; nempe ea, quorum & nos in hac lachrymarum valle egemus unâ omnes. Hinc ait: Recedentes à te in terra ſcribantur, hoc eſt: deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Vide etiam Sap. 5. Item Propheta orat: Sana me Domine, & ſanabor, &c.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PASSIONIS, EVANGELIYM.

Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus? &c. Finis Euangelij: ſed abiit in regionem iuxta deſertum in ciuitatem que dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Ioan. 11.

HOC Euangelio proponitur impium illud & horrèdum impiorum hominum concilium, quod cõtra Chriſtum egerunt, ad quod ſubeundum eos præſertim adduxit faſtus, ambitio, & inde oriens inuidiæ liuor, vt non immeritò dixerit Apoſtolus, 1. Tim. 6. Radix omnium malorum eſt cupiditas, &c. Sic nuſquam dormit, ſed ſemper vigilat impietas. Hinc eſt quòd furias olim Poëtæ noctis & tenebrarū principes vocitarunt; quòd etiam tum homines torquere ſoleant, cum quieſcere deberent. Illud facile eſt experiri in Pontificibus & Phariſæis. Illi enim quòd Chriſtus adueniſſet, lætari & exultare debuiffent: at verò quòd furiis inuidiæ & malitiæ feruntur, nunquam quieſcunt, ſed nunc apud ſe murmurant, nunc & in Chriſtū concilia ineunt, vt eum morti tradant. Nam liuore gloriøſæ Chriſti famæ perciti erant, ob Lazarum quatruiduanum è monumẽto ſuſcitatum. Complectitur autem quatuor.

1 Primò, Proponit Pontifices, qui autoritate præminebant, & Phariſæos, qui religione prænitebãt. quomodo concilium contra Chriſtum congregarunt, cum dicitur, Colle-

rum Pontifices & Pharisæi concilium, &c. Vim habent hæc omnia. 1 Quòd coactum est concilium. 2 Quòd à Pontificibus. 3 Quòd contra Christum. Primum interim ex hoc loco discimus Pontificum esse concilia inire & cogere, cum id munus spirituale & Ecclesiasticum cõcernat, vt docet Marcellinus Papa in decreto; & Aegyptiorum Episcopi ad Fœlicem Rom. Pontific. Basilius epist. 51. & August. epist. 90. Proinde generalia concilia inconsulto Romano Pontifice coacta non sunt, vt sancti illi patres docuerunt. At œcumenica à Romano Pontifice in bonum totius Ecclesiæ coacta, à Christo auctoritatem habent, Matth. 18. Si duo vel tres, &c. ab Apostolis celebrata, vt Hierosolymis, Act. 15. vbi præfuit Petrus Apost. & ab Ecclesia quoties quid reformandum occurrit, repetita. D. Gregorius Papa in registro libr. 1. cap. 24. & libr. 2. cap. 49. & libr. 3. cap. 33. se quatuor Concilia œcumenica, quæ suam ætatem præcesserunt, venerari dicit, vt quatuor Euangelia: quorum fidei si quis addere vel diminuere aliquid voluerit, anathemate ferjatur. Leo epist. 78. audiendi, inquit, non sunt qui denuò de his referri volunt, de quibus decreta conciliorum intercesserunt. Sic Athanasius apolog. 2. à conciliis desumpta, maxime verò à concilio Nicæno, non esse reuocanda in dubium docet. Chalcedonensis Synodus, Act. 3. recenset Valentiniani Imperatoris, & collegæ ipsius Martiani edictum: quo prohibetur post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquere. Fateor fuisse quædam concilia, vt Seleuciæ & Arimini, sed inita subdolè, non consulto Romano Pontif. & hæc vtiq; prouincialia fuerunt, non œcumenica: quæ non eo ordine coacta sunt, quo debuerunt. vnde nihil mirum si hæreseos conuincantur. Sicut nec mirum est, quòd concilium istud Pontificum mortem Christi statuit, quod nec eo animi motu, nec subiecto, nec ordine coactum est quo debuit. Nam rerum ordo mutatur, dum concilium initur in Iesum: quòd pro tuendo Iesu congregari debuerat. De hoc nimirum concilio prædixerat Dauid, Psal. 2. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Hoc præiuderat Iacob moriturus, Genes. 49. Hic enim dixit: Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia: In concilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, scilicet Christum. Nam ex tribu Leui Pontifices: ex tribu Simeon Pharisæi erant. Propterea Isaias cap. 8. cum dixisset: omnia quæ loquitur populus, coniuratio est, addit: Ipse erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali, duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Hierusalem. Nimirum

mirum per duas domos Simeon & Leui intelligēs, seu Pontifices & Phariseos Christi aduersarios. Idem præcinerat Jeremias cap. 11. Concitauerunt super me concilia dicētes: Mittamus lignum in panem eius, id est, lignum crucis in carnem eius, vt Terrull. lib. contra Iudæos; & lib. 4. cōtra Marcionem doctē interpretatur. Idem concilium diffusē scribit Salomon, Sap. 2. Dixerunt impij cogitantes apud se non rectē: Circumueniamus iustum (Christum) quoniam inutilis est nobis (detegens & hypocrisim & auaritiā nostrā) & contrarius est operibus nostris, & impropert nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ (d. Corruptis mādatur Dei propter traditionem vestrā, Matth. 15.) promittit se scientiā habere Dei, & filium Dei se nominat. Typus quoque huius conciliij præhabitus est in Ioseph fratribus, Genes. 37. consulentibus & deliberātib; quid de Ioseph agendum foret. Chrysof. homil. 73. in Ioan. Cū admirari, inquit, & obstupescere oporteret ipsum qui suscitauerat, interficere voluerunt. O amentiam, qui in aliis corporibus mortem vicerat, ei mortem inferre arbitrabantur. Accedit quoque ad delicti grauitatem, quōd non simplex & rudis populus, sed qui se clauēs scientiæ habere iactabant, in Christum eriguntur. Ad eō scientiā inflat, ait Apost. adeō etiā excēcauit eos sua malitia. Et dicebant: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* Prima enim fronte malignantium conciliū hoc esse apparet. Christo enim inuidēt, quōd multa miracula faciat, ob quæ plebs eum vniuersa sequebatur. Sed & auaritia laborant, quōd lucra sua in dies decrefcere, Christū etiā vendentes & ementes in templi aditu eiecisse viderint. Sed & vindictam in Christum moluntur, quōd peccata eorum detegeret, Matth. 23: & tot vā in eos in clamasset. Hinc dicunt: *Quid facimus?* Vbi mens nostra? Vbi concilium? Vbi astutia? Vbi potestas? *Quin ei resistimus? Quin silentium imponimus, aut pœna mulctamus? Quia hic homo multa signa facit.* Inuidia rumpuntur. Nec enim negare possunt signa & miracula Christi. Vident enim ea, & quasi manu contrectant, indurefcunt tamen sicut & olim Pharaō, Exod. 4. & 5. Ita & nunc hæretici, & si in promptu habeant apertissima nostræ fidei documenta, videntes non vident, & audientes non audiunt. Excandescunt Pharisei, & quod recto iure assequi non possunt, vi rapere moluntur. Hominem vocant per cōtempitum; quem tamen Deum esse ex apertissimis signis cognoscere poterāt, vt ait Chrysof. Homo hic aiunt, non Christus, non Iesus, sed homo hic, cuius nomen erubescunt. Docuerat quoque eos Dominus, quid factō opus esset, si quidem salutem adipisci vellent, Ioan. 6. Hoc est opus Dei vt credatis in eum

*Ratio & causa idonea in-
eundi concilij.*

in eum quem misit ille; sed perdit homines plus cogitabant quomodo perderet, quam quomodo crederent & saluarentur, inquit B. Augustinus. adegit autem eos ad impiam hanc consultationem non amor aut beneuolentia erga Rempub. non denique imminens periculum, nec necessitas, neque perturbatio, quæ idonea & sufficiens ineundi concilij esse ratio & causa solent; vt scilicet communi hominum prudentum deliberatione matura res graues decernantur in communem Reipub. vtilitatem; vt denique non præsentia tantum, sed futura quoque impediunt mala; sed ambitio & auaritia qua verebantur, ne honoribus suis, quæstui & lucro, quod malis artibus acquirerant, spoliarentur: item inuidia & odiû in Christum, cuius gloriæ propria malitia excæcati inuidebant. Ideo Dei iudicio dati in reprobum sensum, ea faciunt contra Christum, quæ manus & consilium Dei destinauerat fieri. Erant enim iam vasa iræ apta in contumeliam. Neque verò propterea putabimus Deum velle iniusta concilia, & iniustas actiones gubernatorum, quia eis horribiliter irascitur, Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem, &c. Sunt enim hæc diaboli impetus grassantis in impiis, qui Deum gubernatorem sui excusserunt, & ideo à Deo abiecti sunt, & fiunt organa iræ, & pestes generis humani, vt Pharao, Iudas, Caiphas, Caligula, Nero.

*Consiliu malum consulto-
ri pessimum.*

Imitantur autem hos consiliatores corruptissimos, quotquot in proborum conspirant mortem & infamiam. Sed tritum est prouerbium: Malum consilium consultori pessimum. Eccles. 27. Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscat vnde adueniet illi. Sic fratres Ioseph, conantes effugere dominium Ioseph, ipsum venderunt, Genes. 37. qua venditione dominus ipsorum factus est. Vnde ipse ait, Genes. 50. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, & Deus illud vertit in bonum, vt exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Sic Achitophel, cuius consilium erat sicut qui cõsuleret dominum, contra Dauid Absalon adiuuans, proprio se laqueo suspendit, 2. Reg. 16. & 17. Ideo sapiens consulit, Eccles. 37. Cor boni consilij statue tecum. Et Tob. 4. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

2. Secundò, Quomodo arte quadam dissimulant inuidiam, quòd scirent iudices ab huiusmodi affectibus liberos esse debere, honestum præceptum adferunt: verentur enim, ne si Christi fides obtineat, Romani ipsis locum & gentem tollant: quasi videlicet Christus populû contra Romanos ad seditionem

seditionem & rebellionem cōcitasset: vt fecerunt Theudas,
 & Iudas Galilæus, Act. 5. *Si dimittimus eum sic, inquit, omnes
 credent in eum.* Timent quod optare debuerant. Quid enim
 optabilius, imò etiam necessarium magis quàm credere in
 Christum? Dixerat nimirum Marthæ & Mariæ, antequàm La-
 zarum suscitaret: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,
 viuet.* Videbant ad eum confluentem populum, & nunc ac-
 clamantem: quia Propheta magnus surrexit in nobis: nunc
 dicentem aliquem ex prophetis rediuuium esse: nunc ipsum
 Messiam esse fatentem. Verentur ergo, ne omnes in eum cre-
 dant, non quòd aliquid mali de Christo suspicentur, sed ti-
 ment ne suo loco & honore priuentur. Aiunt enim: *Veniunt
 Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Conspiciebant Roma-
 nos eis dominari, se illis esse tributarios, præsidarios in Iu-
 dæa deputatos, qui cauerent ne quis sibi regiam dignitatem
 inconsulto senatu arrogaret, alioqui sæuituri erant in om-
 nes Iudæos: hinc illis ansa esset timendi, ne si tandem omnis
 plebs post Christum abeat, eum regem creet, & proinde Ro-
 mani veniant. Quasi verò Christus dignitates aucuparetur,
 qui humiliavit & exinaniuit semetipsum vsque ad mortem,
 Philip. 2. *Et tollent locum nostrum, scilicet templum, de quo 2. Pa-
 raliip. 27. Elegi & sanctificauit mihi locum istum, &c. Et gen-
 tem, vel nationem nostram captiuantes, aut transferentes,
 aut vbilibet perimentes; sicut & sub Assuero fieri sollicitarat
 Aman, Esther 5. & 6. Porro obserua non temerè istos opina-
 ri Christum futurum regem, vt qui ipsum Messiam in Pro-
 phetis regem fore legerant: Isa. 33. Dominus rex noster, legi-
 fer noster. Isa. 9. Cuius imperium super humerum eius. Ie-
 rem. 23. Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium &
 iustitiam in terra. Dan. 2. & 3. Regnabit: & regnum eius re-
 gnum quod non destruetur. Psal. 2. Reges eos in virga fer-
 rea. Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da. Sed impij malue-
 runt Cæsarem regnare, ne quid illis lucri deperiret. Dixerunt
 enim Pilato: Non habemus regem nisi Cæsarem, Ioan. 19.
 Quod legerant ergo de Messia, in memoriam reuocant, nec
 intelligunt miserrimi quòd regnum Christi non est de hoc
 mundo, non terrenum, sed cæleste; non temporale, sed æter-
 num: non corporale, sed spirituale. frustra ergo timent ne
 Romani veniant. Et quam gratia dicant quæso, ait Cyrill,
 Alexandr. putabunt Romani Christum sibi Iudæorum re-
 gnum ac tyrannidem vindicare velle? Nunquid seditionem
 docebat, aut discessionem à Romanis? Nunquid dissuade-
 bat censum dari Cæsari, aut pendi illi tributum? Nonne re-
 gem ipsum facere voluistis, & renuit? Ioan. 6. Nonne humi-
 lem & abiectam in paupertate vixit vitā? Nonne & domo, &
 aliis*

aliis huiusmodi ad vitam necessariis caruit? Nunquid satellitibus armatis stipabatur? Nunquid solitudines obsidebat, aut denso milicium agmine grassabatur in populum? Non Christi doctrina, conuersatio in terris, miraculorum operatio & credentium in ipsum multitudo, vobis, o Iudæi, captiuitatis causa fuit, sed longè alia. Huius namque captiuitatis factæ; & antè captiuitatis Babylonicæ, 4. Reg. 25: & Antiochenæ, quæ sub Antiocho facta est, 1. Machab. 1. (vt incendium Sodomæ & Gomorrhæ) non fuit causa quòd apud vos boni viri diuersabantur: sed quia mali & iniusti, & Deum prouocantes inter vos habitabant, ob quorum scelera venit super vos Dei indignatio. Verùm enimvero inuidia nihil videt, sed cæcat animam. Nonne Iesus mansuetudinem docuit? Nonne alapis cæcos non vlcisci? Nonne ad perferendum, quàm ad inferendum aliis malum nos promptiores esse debere admonuit? Hæc sanè omnia non constituentis tyrannidem, sed tollentis potius sunt opera, atque officia, & ipsam penitus damnantis. Sola ergo inuidia & ambitione dominandi acti contra Dominum, causantur, imò mentiuntur affectare regnum. Atqui Christus oblatum sæpius regnū renuit, Ioan. 6: & census esse Cæsari numerandū docuit, Luc. 20. & soluit, Matt. 17. Insuper non rebellandum aut resistendum, sed tunicam pallium contendenti relinquendum docuit. Et alibi quoque ait: Quis me constituit iudicem ad diuidendum hæreditatē tuam & fratris tui? Quæ sanè non sunt eorum qui tyrannide regna inuadere nituntur, vel qui seditiones excitare solent. Ipse enim Christus rex regum, & Dominus dominantium, non terrenum, aut carnale regnum meditabatur, quod armis, potentia, opibus, & militibus obtineretur, sed cælestis & spirituale, quo per fidem, spem, charitatem, & verbum suum dominaretur in cordibus credentium, quos obedientes principibus esse iussit. Talem regem Christum, & tale eius regnū futurum prædixerunt prophetæ: Hietem. 23. Psal. 71. Quare hæc non erat sufficiens satis colligendi contra Christum consilij ratio; ac perversissimè omnium colligunt, ex fide Evangelij sequituram vrbs deuastationem. Cor. 1. arium erat verum: Inciderunt ergo in foueam quam fecerunt. Nam quia Christum non receperunt, ideo destructi & dispersi sunt, Matth. 23. Luc. 19. Vnde Eccl. 10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, ac diuersos dolos, &c. Sic quod metuebant, illud euenit, adeò vt prophetasse videantur. Nam & omnes postmodū etiã gentiles crediderunt in Christum Iesum, & venerunt Titus & Vespasianus Imperatores Romani cum magno exercitu,

Regni affectati mendaciter arguitur Christus.

Regni Christi quale.

dicque

dieque Paschali ciuitatem obsederunt: tandem templū funditus cum ipsa Hierosolyma euerterunt, & aliis interemptis, residuos Iudæos captiuos duxerunt, vt abundè narrat Iosephus lib. de bello Iudaico. Tum impleta hæc Christi fuerunt verba Matth. 23. Veniet super vos omnis sanguis iustus, &c. & impletæ sunt prophetiæ, vt Numer. 24. Venient in tremibus de Italia, & superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos. Et Deuter. 28. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, in similitudinem aquilæ volantis. Amos 2, super tribus, &c.

3 Tertiò, Quòd hi principes nihil quod ad Dei spectaret gloriã, sibi proposuissent in hoc concilio, sed ea tantum, quæ prauis ipsorum affectibus & cupiditatibus inferuissent, vel primarius huius cõcilij præsidens Caiphas Simoniacus Pontifex (nam sacerdotium factum fuerat venalium, vt claret 2. Mach. 4.) satis testatur: qui cum hostis esset filij Dei, nihil nisi quod impium esset, animo versabat: cuius consilium hoc modo exprimitur. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Nec abs re primo loco nomen eius recensetur, quod viro satis conueniat, vt obseruat S. Thomas Aquinas lect. 7. in ca. 11. Ioan. Caiphas enim interpretatur, inuestigans, quod eius præsumptionem insinuat. Prou. 25. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Præsumptus enim cum dixit: Adiuro te per Deum viuum, &c. Vel interpretatur sagax, quòd illius astutiã satis declarat in procuranda Christi morte. Vel interpretatur ore vomens, quod exprimit eius stultitiam. Prouerb. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum. Secundò, ex dignitate quoque describitur, quia Pontifex anni illius. Circa quod sciendum est, quòd, vt habetur Exod. 28. Dominus constituit vnum summum sacerdotem, cui mortuo alter succederet, qui per totã vitam pontificij officium exerceret. Post modum autem crescente ambitione & contentione inter Iudæos, statutum est vt successiue & annuatim pontificij potestas administraretur: imò & pecunia compararetur. Sic enim Caiphas, vt refert Iosephus lib. antiquit. Iudaic. ad hoc culmen peruenerat, pretio Herodi dato. Et hanc morum corruptelam tum Synagogæ irrepsisse hæud difficile est ex Machabæorum historia deprehendere, inquit Cyrill. Alexandr. vbi nonnulli memorantur ad summum sacerdotium, data grandi pecunia, contendisse, 2. Machab. 4. Sua igitur interesse putat Caiphas, quòd sibi aliquid de lucro deciderit. Mercenarius est, nec ei cura est de ouibus, nisi vt rapiat & deglubat, vt dicitur Ezech. 33. Nec mirum, si malè nactum peris exquebatur sacerdotium, iustitiam subuertens, pessimi consilij author. Sed Deus, qua est*

Caiphas Si-
moniacus Pon-
tifex.

infinita

Dignitatem pontificiam dono prophetie commendauit.

Infinita bonitate & potentia, iniusta & crudelia consilia ad felices ac salutare exitus producere nouit: vt olim venditionem Ioseph ad salutem fratrum, Genes. 50. Licet verò impius hic, animo malo esset in Christum; tamen officij dignitatem ab ipso institutam voluit Deus externo & visibili dono prophetie commendare; quam quidem aliò longè Spiritus sanctus intendit, quàm ipse Caiphas. Nam Caiphas sub prætextu communis vtilitatis mortem Domini intendebat, Spiritus sanctus prophetiam esse voluit de gētium collectione. Reprehendit itaque alios, quòd non intelligerent quod oportebat, & ignaui essent in dispiciendo quod ad rem conducatur, fūco quodam malitiam suam obuelans. *Ait enim: Vos nescitis quicquam. Quod ambitionis erat, quasi solus sibi sapere videretur: Nec cogitatis: quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur, pro populo. & non tota gens pereat.* Quasi absumpto Christo non petturi sūt Iudæi, quorum ruinam Christus desseuit, Luc. 19. Floccifacit Pontifex innocentis vnus mortem: quod & tritum est magnatibus, quod faciunt, vt, inquit, ex malo eueniat bonum. Nec intelligunt sanguinem Abel de terra clamare, Genes. 4: sanguinem Zachariæ exoptulatum à Ioas tunc rege, cum vitæ ipsius dispensatio: Naboth mortis penas luisse Iezabel, cum discerpta est à canibus, &c. 3. Reg. 21. q. ergo d: Sedetis, adhuc rem segnè perpenditis, quia vnus hominis salus communi Reipubl. vtilitati postponenda. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam præceptum fuit, Exod. 23. Infonem & iustū non occides, quia auersor impiū. Quem

Præsentia iusti salus communitati conuenit, absentia vero dispendium.

admodum enim ex præsentia iusti salus est communitati, ita ex absentia dispendium. Gen. 18. Dominus ob decem iustos in terra parcere voluit toti terræ Sodomæ & Gomorrhæ, quæ igne & sulfure perdidit. Iaco. 5. Multū valet deprecatio iusti assidua. Helias orauit, & terra dedit fructum, & cælū pluuiā. Hoc ipse quidem Caiphas sinistro animo dixit; veruntamen gratia Spiritus sancti ore illius vsa est ad prædicandum futura, tametsi pollutum cor eius non attigerit. Vnde instinctu Dei locutus est, vt Balaam, Num. 23. quanquā imprudens & ignarus quid diceret. Sic sæpè solet impia consilia gubernatorū in salutem vertere eorū quibus ipsi insidiantur. Deinde & illud hic obseruandū, bonis & malis huiusmodi dona gratuita esse communia, & si periculosa in malis sint. Quare nec magni pendendum, si magnis dotibus à Deo insignitus sis, nisi adsit charitas. 1. Corint. 13. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Hac impius iste Pontifex destitutus erat, qui nihil nisi innoxiam Christi mortem spirabat.

Dona gratuita bonis & malis communia.

Pronun-

Pronuntiat igitur in Christum sententiam, scilicet: *Expedis ut vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem, teste scriptura, à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetauit, &c.* Vides quanta sit pontificalis potestatis virtus? ait Chrysost. homil. 64. in Ioan. Cum enim Pontifex esset, licet indignus, prophetauit: nescius tamen quid diceret, & os tantum gratia, non autem scelestum cor attigit. Sic multi alij futura prædixerunt indigni, vt Nabuchodonosor, Daniel. 2: Pharao, Genes. 41: Balaam, Num. 24: Saul, 1. Reg. 10. & omnium causa manifesta. Vt, scilicet, intelligamus Deū, (2. Corinth. 4.) reponere thesaurū istum in valis fictilibus: & sublimitas sit virtus Dei.

Obserua: D. Thomas Aquinas lect. 7. in Ioan. cap. 11. obseruat nonnullos loqui instinctu Spiritus s. vel dæmonis arreptitij, suspenso rationis vsu: in aliis rationis vsu manere: dæmonem autem habere potestatem imprimēdi in phantasiā, cum sit potentia affixa organo: Spiritum s. mouere etiam malos constitutos in dignitate, ad loquendum aliqua vera & futura pro vtilitate subditorum. Sed tamen secundū Origenem non sequitur, quòd quicumq; propheta, sit propheta. Nam alicui quandoque conceditur actus alicuius rei, cuius tamen conditio ei non conceditur. Sicut non quicumque facit aliquid iustum, est iustus: sed qui iustus est, iusta facit. Notat & duplicem actum concurrere, vt aliquis propheta. 1. Videre: sic olim prophetae videntes dicebantur, 1. Reg. 9: 2. Annuntiare: 1. Corinth. 14. Propheta omnibus loquitur ad ædificationē. Denuntiatio verò tantum fuit in Caipha, non visio. Quæ etiam Euangelistæ verba non ita intelligas, quasi veteri illi & Aaronico pontificatui sic esset alligatus Spiritus sanctus, vt quicquid pontifex diceret, statim à Spiritu sancto dictum putaretur, aut diuinum oraculum susciperetur: sed significat Deū semper externo illi ministerio fauere solitum; & quamuis ipsæ personæ essent impiæ, officium tamen fuisse sanctum, & diuinitus institutum. Quamobrē, tametsi indigni sint qui gerant, honorandi sunt propter gratiam in eis, & pontificalis dignitatis virtutē, non propter illorum voluntatem, Hebr. 13. 1. Petr. 2. Ex quo sequitur & conuincitur error Wiclef, & aliorum, qui propter sacerdotum indignitatem, etiam immunda censent ipsa sacramenta. Hæretici enim cælestem puritatem in catholicis sacerdotibus requirūt, sed infernalem immunditiam in suis prædicantibus non animaduertunt. Hunc errorem confutant, B. Augustinus libr. 4. contra Donatist. cap. 4. & B. Bernardus serm. 66. in Cantica. Si verò hoc veteri illi & typico concessit Deus beneficium, an putabimus Ecclesiam suā,

Error Wiclef
reponitur.

quam sibi collegit, & purgavit Christus, omninò deseruisse, ac ipoliasse omni externo sacerdotio: quando in omni lege superesse voluerit sacerdotes, qui offerrent dona, & sacrificia pro peccatis?

*Misericordia
Dei immensa.*

4 **Quartò**, Proponit Euangelista immensam Dei misericordiam, quam in diffinitiuâ sententiâ iudicis explicat: quamquam illam nec cogitarit nec decreuerit impius. Quodnam enim preclarius conferre humanæ naturæ posset beneficium Deus, quàm iræ & damnationis filios congregare in unitatem fidei, abducere à cultu dæmonum, & à variis erroribus, quibus miseri detinebantur, ad veri Dei cognitionem, ut erepti de potestate tenebrarum, traducerentur in vnum corpus, cuius caput Christus: ipsi autem per fidem & charitatem, ut viua corpori membra inserti ipsius spiritu vegetarentur, donec occurrerent in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. Vide etiam Ioan. 10. Sed quid per suam sententiam prophetauit? Quòd Iesus moriturus esset pro gente: *non tantum pro gente: sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret.* Gentem vocat Iudaicam nationem, eo sensu scilicet quo dixerat Caiphas: Expediit ut non tota gens pereat. Nec enim tota gens Iudaica periit, cum permulti eorum crediderint, Act. 2. 3. 4. & 5. Vnde Paulus, Ro. 1. Iudæo, inquit, primùm, & Græco. Mortuus est pro Iudæis Christus, Matth. 15. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Nec tantum pro Iudaica gente: sed ut filios Dei, &c. 1. Timoth. 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Filios autem Dei gentes appellat Euangelista, ait Chrysof. ab eo quod futurum erat. Quemadmodum & ipse inquit, Ioan. 10: Et alias oves habeo: quas etiam à futuro ira appellat. Ceu eo ipso docet omnes nos predestinari priusquàm vocemur, Rom. 9. Ephes. 2. Porro populus gentilis dispersus erat in varias variorum Deorum superstitiones & cultus: in varias doctrinas, cum alij Stoicos, alij Epicureos, alij alios sequerentur: in varias cupiditates, & vitia cum ipsa etiam vitia pro diis haberent, ut dicit Theodoretus serm. de diis: & in varios errores, cum vnicuique liberum fuerit de diis quæ vellent commentari. At (laus Deo) congregati sumus per Christum in vnum, id est: in vnius Dei cultum: in vnicam fidei professionem: adeò, ut nec angelo aliud euangelizanti credamus, Galat. 1: in vnicum piæ vitæ exemplar Christum: & in vnicam beatitudinē & gloriam: ut & vnam sectamur Ecclesiam.

*Iudicium Dei
horrendum.*

Proponit etiam hinc horrendum Dei iudicium, in vasa iræ aptata iam in interitum, sua nimirum culpa: quia enim resisterunt veritati, miscuit eis Dominus spiritum soporis & vertiginis,

vertiginis, Isaia 29. iusto suo iudicio. Neque propterea fatali quadam necessitate quis eos coarctos fuisse opinetur, ut voluntate sua aliter uti non potuerint, arbitrij libertate ipsis, ut quidam falso opinantur, adempta. Dei enim præscientia non imponit aliquam necessitatem, nisi fortasse eam quam vocant consequentiæ, quam neque ordinat, neque approbat, sed tantum ad certum finem determinat ea quæ homo libero arbitrio facit. Quod ergo impio isto cõcilio, de quo Iacob, Genes. 49. & Psal. 20. non solum decreuerunt, sed etiam perficere moluntur, Dei vindicantis est iudicium, quod necessitiõ ipforum impietatem & malitiam est consecutũ: ut scilicet omnes conatus & vires in Christum perdendum intenderet. Hoc enim est quod scriptura docet: malos semper proficere in peius. Nullus est autem nocentior profectus, quam qui contra Christum, scripturam, & Ecclesiã suscipitur: qualis est eorum qui sese hostes Dei profitentur, vel factis vel verbis; ut sunt omnes peccatores & hæretici, qui non solum Christum persequuntur, sed etiã rursam crucifigunt, & ostentui habent in semetipsis. Hinc sequitur: *Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum.* Sic quod prius per occasionem tentaerant, nunc certo animi decreto statuunt, & exequi nituntur. Sententiã hæc iniusta facis esse dignoscitur. 1 Ex animi motu, cum non zelo pietatis & tuendæ iustitiæ, seu diuini nominis tuendi, sed liuore vindictæ sancita sit: quod viderunt Christum satis asperè illorum vitia persequentem, Matt. 27. Per inuidiam enim tradiderunt eum. 2 Ex subiecto; quia innocens morti adiudicatur: cum tamen in fontem occidere prohibeatur, Exod. 23. 3 Ex ordine; quia non auditum, non accusatum, etiam nec relatione, aut querimonia allata condemnant. Hinc est quod Gamaliel, Ioan. 7. aiebat: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit? Et Festus, Act. 25. Non est Romanis consuetudo, inquit, damnare aliquem hominem, priusquã is qui accusatur, præsentem habeat accusatores. *Iesus autem iam non in palam ambulabat apud Iudæos.* Sciebat enim quid consilij cepissent, qui nouit abscondita cordis, Heb. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei.

Secessit ergo Dominus non impotentia, sed eorum furori cedens, infirmis dans exemplũ, non esse peccatum, se oculis subtrahere persequerium, & furorem sceleratorum latendo potiùs declinare, quam se offerendo magis inflammare, ut dicit B. August. Sine offensione estote Iudæis, gentibus & Ecclesiæ Dei, ait Apost. Non enim debemus nos temere periculis ingerere, etiam pro pietate, sed stare quidem fortiter deprehensi: nam in voluntarium periculum propter incertum euentũ irruendũ non est. Qui stat, videat ne cadat, 1. Cor. 10.

Malis proficunt semper in peius.

Fuga persecutionis ali-quando licita.

Et qui amat periculum, peribit in illo, Eccles. 3. Moratus est autem Iesus in Ephrem cum paucis discipulis suis: qui tamen et si miserè sibi quoque metuerent; tamen non ausi sunt deserere tam benignum dominum atque magistrum. Ephrem vrbs est tribus Gad, sita trans Iordanem à parte Orientali. Huius recessus figuræ sunt: 1. Iacob fugiès à fratre Esau, Genes. 27. 2. Moses ab Aegyptiis, Exod. 2. 3. David à Saule, 1. Reg. 12. 4. Helias à Iezabele, 3. Reg. 19. Cùm Iesus fugaretur à Iudeis, fama est in Ephrem cum literas accepisse per Ananiam cursorem ab Abagaro rege, quarum meminit Eusebius lib. 1. hist. Eccles. cap. 16. Exemplar illarum, & rescripti Christi ibi apud eundem reperies.

E P I L O G V S.

Ciuitatis sanctæ Hierusalem primores (quod nemo unquam credidisset) consultant & anxij sunt, qua via tandem Christum perdant. Grauis fuit illis ad videndum, quia dissimilis erat illis vita eius. Iudeorum proprium fuit, semper signa petere iam verò signa petita (vt videas quid inuidia possit) atque adeò patria suamque ipsorum salutem recusant. Tempus tenebrarum instabat, unde se vltro ad occidendum, cùm tempus præfinitum adesset, manibus patricidalibus offerebat, vt sese pro nobis relinqueret Deo patri sacrificaret. In Christi manibus erat sacrificium, quod in manibus Iudeorum erat supplicium. Adimplentur sic diuina oracula, quia Christum non dimiserunt sic. Quia prædictum erat à prophetis sic Christum moriturum, Esa. 53. Daniel. 9.

S A B B A T O A N T E D O M I N I C A M
P A L M A R V M , E P I S T O L A .

Hierem. 18. Et dixerunt: Venite, & cogitemus contra Hieremiam cogitationes, &c. Finis Epistolæ: sicut conuenientes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

HIEREMIAS propheta typum gerens Christi à Iudeis precepti, contempti, ac crucifixi, etiam contra aduersarios suos auxilium diuinum & cõsolationem implorat præfenti Epistola, in qua agit tria.

Iudeorũ con-
silia contra
Christum.

1. Primò describit impia Iudeorum consilia, quibus Christo de ipsis benemerenti perniciem moliebantur, & sibi, ac Reipublicæ suæ salutem ex eius morte conciliare nitebantur, dum ait: Venite cogitemus contra iustum cogitationes. Quæ causa obsecro? quia vt est Sap. 2. contrarius est operibus nostris, impropere nobis peccata legis, diffamat in nos peccata disciplinæ, factus est nobis in translationem cogitationum nostrarum, & grauis est nobis ad videndum. Erant igitur cogitationes Iudeorum contra Christum, vt vnus ipse moretetur pro populo, ne tota gens periret, Ioan. 11. Porro vt omnia

Cogitationes
Iudeorũ con-
tra Christum.

omnia sibi tuta fore sperabant principes sacerdotum Christo sublato; ita & Iudæi, quibus displicebat veritas, à Hieremia prædicata, omnia facilius in Republ. successura putabant, ipso tanquam seditioso Ecclesiaste sublato. Dicunt enim: *Non peiibit lex à sacerdote, nec sermo à propheta, nec cõsilium à sapiente.* Quali dicant: Est certa & firma Dei promissio, qua sacerdotum nostrum diuinitus institutum perpetuò duraturum cum legis cognitione permanebit, Mala. 3. Deut. 17. vt non possimus quæ agenda sunt, ignorare. Non destituemur sapientum consilijs, quia ex his dependet Reipubl. felicitas: nec prophetæ (quia Dei voluntatem nobis annuntiant) verbo & visionibus destituemur. Venite ergo. & hunc seditiosum quotidie prædicantem, cap. 19. 20. afflictiones, bella, vrbis excidium, templi desolationem, regis captiuitatem, & totius Reipublicæ vastationem, percutiamus lingua, hoc est, falsis criminationibus, & calumniis eum oneremus. Miramur lignum in panem eius, Hierem. 11. hoc est, crucem in corpus eius, quia subinde se panem, qui de cælo descendit, dicere solet. Eradamus eum de terra, hoc est, morte turpissima condemnemus eum. Non attendamus ad vniuersos sermones eius, hoc est, tanquam somnia ipsius conciones æstimemus.

Fuit autem hoc concilium eorum iniquum & iniustum, Primò ex animo, quia inuidia & ira concitati erant. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur, Iac. 1. Secundò ex causa, quia contra innocẽtem, Exod. 23. Infontem & iustum non occides. Tertiò ex ordine. Nam ordine iuris prætermisso, absentem non auditum neque conuictum condemnarunt. Ioan. 7. Nunquid lex nostra iudicat hominẽ, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? dixit Nicodemus. Hinc Festus quoque ait, Act. 25. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquã is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiiciuntur.

2. Secundò, sub persona Christi Propheta sese omni humano præsidio destitutum sentiens, quando tum Politicum Ecclesiasticum magistratus contra eum conspirasset, ita vt in neruum mitteretur, ac in luto proiiceretur: ideo Deo suam testatur innocentiam, eumque ex fide agnoscens omnium oppressorum refugium, auxilium in tribulatione & defensorem, petit illum attendere causæ suæ, iuxta Psal. 42. & audire voces aduersariorum: siquidem tanta sit illius imbecillitas, vt sustinere ipsorum iniurias non possit, nisi adiutus diuino præsidio.

Neque verò prophetæ tantum hæc competunt, sed om-

Concilium Iudæorum quasi multipliciter iniquum.

Querimonia
Christi cōtra
Iudæos.

nibus fidelibus, imò ipsi Christo in cruce constituto, cuius innocentia hæc competit querimonia, qua conqueritur sese pro miraculis, Euangelij prædicatione, & remissione peccatorum, quam gratis obtulit, retulisse inuidiam Scribarum & Pharisæorum, contumelias, exilia, Ioan. 9. & 11 denique crucem. Nunquid redditur, inquit, pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ: Recordare ergo quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & vt auerterem indignationem tuam ab eis: dum scilicet in cruce pendens dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, Lucæ 23. Post Christum tali modo orauit & B. Stephanus, Act. 7. d. Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Impiis verò grauissima supplicia comminatur. Intelligebat enim Dei iustitiam non passuram inultam tantam iniuriam, perfidiam, & ingratitude, non ipsi tantum propheta, sed Christo Dei filio exhibendam. Atque adeò minatur omnibus iis qui vel Dei beneficiis essent ingrati, vel innocentes ac pios opprimerent, vt ex hac comminatione merito possint terreri impij (scientes Deum scelerum ultorem esse) & singularem consolationem accipere pij, scientes Deum innocentia suæ defensorem. 2. Petr. 2.

Mala que Iudæis imminere videntur.

3 Tertiò, Præmissa comminatione enumerat quæ mala ipsi imminere, tum à Babyloniis, ob grauissima ipsorum peccata scilicet, vt est Ezech. 16. idololatriam, vagas libidines, & otium: tum à Romanis, Tito scilicet & Vespasiano, ob contemptum, Ignominiam, & mortem filij Dei. Propterea inquit: Da filios eorum in famem, vt vel ipsi fame pereant, vel suo corpore aliis famem extinguant, 4. Reg. 6. Deduc eos in manu gladij. Fiant uxores eorū absque liberis & vidua. & vt i eorum interficiantur morte. Iuuenes eorū confodiantur gladio, &c. Nemo autem arbitretur hæc à Propheta dici appetitu vindictæ: fuerunt enim sanctissimi illi homines quàm alienissimi ab hoc vitio, scientes Domino hanc esse ex ipsius præcepto relinquendam, sed tantum est futurorum prædictio, vt vel sic metu imminētis mali pœnitentiam agerent, à peccatis desisterent, ac Deo se reconciliarent. Verum cum animaduertet Propheta aliud se nihil quàm surdis fabulam canere, ipsosque propria malitia ita excæcos, vt non ante desisterent, quàm filium Dei morte turpissima condemnassent, immutabilem contra ipsos pronuntiat Dei sententiam: Ne propitius, inquit, iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Quomodo igitur B. Petrus, Act. 2. multis pœnitentibus, qui vt Christus crucifigeretur fuerant cooperati, veniam concessit? Verum id nullo pacto cum Propheta pugnat. is enim loquitur de iis qui in odio & contemptu perseverauerunt, quales erant Scribæ, Pharisei, Principes, & Sacerdotes, quorum malitia ex

Apostolo-

Sententia dura contra Iudæos.

Apostolorum prædicatione creuit. Iustum ergo est, vt qui decipere pro virili laborant, & ipsi decipiantur, Psalm. Laqueum parauerunt pedibus meis, & incurauerunt animam meam.

EPILOGVS.

Quemadmodum arilla in manu sicut, sic homo in manu Dei, quem reuertentem per penitentiam veram Deus recipit; obstinatum autem perdit: atque in obstinatos Iudeos versus ultione, quod prophetam persequantur, quemadmodum etiam post tempus passionis saluatoris grauissimam ultionem in eosdem exercuit, quod dominum prophetarum recipere noluerint, & exercebit usque ad consummationem seculi: vt postquam subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiat, Rom. 11.

SABBATO ANTE PALMARVM, EVANGELIYM.

Iesus ergo ante sex dies Pascha venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus, &c. Finis Euangelij: sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

Ioan. 12.
Matth. 26.
Marc. 14.

CONTINET inæstimabilem Dei misericordiam hoc Euangelium, quam exhibuit Christus in eo quod tanta promptitudine Iudæam repetit, quia iam horam adesse sciebat, qua victima fieret pro peccatis totius mundi, ac volens immolaretur verus agnus immaculatus pro salute mundi, 1. Pet. 1. Præterea Mariæ Magdalenæ in Christum amorem commendat, & Iudææ proditoris insignem auaritiam arguit. Proponit autem quatuor.

1. Primò, Christus, quia agnouit æterni patris sui eam esse voluntatem, vt sese pro humana natura veram exhiberet hostiam & victimam pro peccatis, vt veritas vmbre responderet, qua decima die mensis iubeatur ovis immolanda in pascha tolli, Exod. 12. id est, sexta die ante immolationem, ascendit & ipse ante sex dies Paschæ, hoc est, iuxta nostram computandi rationem, 19. Martij. Nam 25. eiusdem pro nobis æterno patri satisfecit. Quo enim magis instabat hora à patre destinata morti, eo maior in corde Christi flamma charitatis ad hanc obeundam exarsit, Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? Venit autem Bethaniam Lazari à morte resuscitati, Marthæ & Mariæ Magdalenæ causa, ænigmatè quodam eos sibi gratos esse significans, qui verbis ipsius essent obediētes, Hos enim sua visitatione dignatur. Isa. 66. Ad quæ respiciā, nisi ad pauperulum, quietū, &c. Apo. 3. Ego sto ad ostium & pulso, &c. 1. Reg. 13. Melior obedientia quàm victima. Deinde vt peractum miraculum certius & illustrius faceret, dum eum, qui à morte suscitaret, omnibus vitæ officiis

Christus hostia & victima pro peccatis.

Christus quos sua visitatione dignatur.

Spes resurrectionis confirmatur.

uentem conuiuiam admittit: & spem resurrectionis suæ daret, ne discipuli qui non semel audierant hinc Christum per mortem abiturum, animum prorsus desponderent dum moriturum se significat, non tantum à morte absorbendum; qui enim alium à morte potuit reuocare, & se possit: & quocertius etiam esset omnibus, non fuisse phantasma, quòd pridem visus esset è sepulchro surgere, & domum abire. Augustinus: Viuebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas confundebatur Sadduceorum, Epicureorū, &c.

Conuiuium in quo Christus accubuit, quid præsignet.

Porro, in eo conuiuium, cui Christus accumbit, imaginem Ecclesiæ agnoscere licet, in qua sola Christus agnoscitur, adoratur, & colitur, charitate in cordibus fidelium diffusa, quæ non patitur otiosi quenquam. Nam Lazarus rediuuius, peccator scilicet è monumento ad pœnitentiam vocatus, gloriam Dei prædicat: Martha, quæ practicæ vitæ imaginem refert, operibus charitatis erga proximum, sed tamè ad gloriã Christi tota occupatur: & Maria iam non ad pedes otiosa desidet, sed vnguento pretioso caput & pedes Christi perfundit. Ea enim demum est Ecclesiæ Christi vera facies, quæ sibi, Apostolo teste, spõsam elegit, quam purgauit sanguine suo, quam denique corpus Christi idem appellat, in qua vera est obedientia in obsequium fidei, peccati cognitio, sacramentorum iuxta Christi formam institutorum reuerentia, vbi charitas, quæ plenitudo legis est, & perfectionis vinculum, energiam exerit suam proximi necessitatibus succurrendo. Vbi denique verbi ministris sacerdotibus Christi suus seruetur honos, iuxta præceptum Apostoli, Galat. 6.

Facies vera Ecclesiæ Christi.

2. Secundo, Magnam Magdalenæ erga Christum charitatem commendat, quæ tanta liberalitate caput & pedes perfudit vnguento nardi pistici pretiosi, id est, fidelis & puri, non vilis aut adulterini, quale in myrothecis plerumque conficere solent pigmentarij nostri: neque hoc cõtenta, extersit pedes capillis suis, haud dubiè lachrymis deuotionis humectatos. Id enim est peculiare fidei, vt Deum solū agnoscat, & quæ misit Iesum Christum, Ioan. 17. & charitatis, vt opes suas in ministerium Ecclesiæ, & ministrorum Christi benignè & liberaliter cõferat, 1. Thess. 5. Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos. &c.

Magdalena charitas erga Christum.

Fidei & charitatis peculiarare.

Fugienda enim hic est impia de hoc factò suspicio, quasi lasciuix tantum esset argumentum, quia Plinius inter maximæ luxuriæ indicia refert, quòd talos & pedes quidam inungeret, neq; enim Dominus capitur huiusmodi delitijs, neque nostro conuiuium conuenit. Aliud Spiritui sancto hic propositum fuit, significare nimirum, quam grata & meritoria

goria sunt apud patrem ea opera quæ ex fide proficiuntur, ut sunt dilectio Dei super omnia, & dilectio proximi. Hæc enim odore suavissimo totam Ecclesiam perfundunt: quæ licet malis sint odor mortis in mortem, sunt tamē piis odor vitæ in vitam: qui non solum inde consolationem accipiunt Spiritus sancti, verum etiam magis magisque accenduntur ardore cælesti; donec ad eandem attingant vitæ perfectionem, ut se, suaque omnia in Euangelij & Ecclesiæ subsidium conferant.

3 Tertiò, Avaritia excæcatus Iudas, imaginem gerens omnium in Ecclesia hypocritarum, qui pietatem quæstus causa simulant: seditiosorum, qui pacis & concordie unitatem ambitionis vel avaritiæ occasione scindunt: auarorum, qui perire arbitrantur, quod ipsorum cupiditati aut marfupio non seruit: & inuidorum, qui aliorum felicitate aut commodis anguntur, fremens, atque alios Apostolos ad murmurationem prouocans (qui tamen ob animi simplicitatem excusantur) ut magis cupiditati & avaritiæ suæ patrocinari videatur, honestum prætextum adfert, pauperum scilicet subventionem. Sic enim solet humana industria honesto titulo suis affectibus inferuire: quare si quippiam diuino cultui viderit impendi & honori, clamitat; Hisce pauperum viscera refici debuerant, cum interim nihil aliud quam sua & non sua quærat, ne in minimo quidem vel Dei, vel pauperum memor, Prouerb. 12. Viscera impiorum crudelia. Atque ideo duas quæstiones proponit: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & quare non est datum egenis? Hac autem dixit, non quod pauperes illi curæ essent, sed quia sui erat, & ea quæ mittebantur portabat.* Huiusmodi vtinam non multos nostra hæc ferat ætas, quibus cum nihil æquè cordi esse videatur atque ipsa pauperum cura, ut iis alendis omnia sua erogare velle videantur, reuera tamen aliud nihil animo meditantur, quàm Ecclesiæ bonis insidari, ex illis suum facere commodum, atque ut turpes solent harpyiæ, rapinis, ysuris, ac malis artibus, sub Euangelij ac pauperum prætextu ditescere. Huiusmodi illæ experiuntur regiones, in quibus pro Christi suavissimo Euangelio, Antichristi obtinuit max. cor. 1. 109.

Videmus hinc etiam quò ferat avaritia, nempe in prodicionem. Benè ergo ait Apost. 1. Tim. 6. Radix omnium malorum cupiditas, &c. Chrysof. Homil. 64. Grauis quidem morbus avaritia, grauis inquam, qui & oculos excæcat, aures obstruit, & fera seueriores reddit. Non conscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit: sed semel ab omnibus discedens in seruitutē sibi quos cepit, more seuerissimi tyranni vendicat.

Avaritia grauis morbus.

Ita maximè incurabilis hic morbus Giezi lepra percussit, Ananiam & Saphiram perdidit, Iudæa proditorem fecit, Iudæorum principes corrupit. quare dignè idololatriam Apost. eam appellat, Ephes. 5. Eccles. 10. Avaro nihil esse scelestius, &c. Vide etiam Eccles. 5. Abac. 2. Luc. 12.

4. Quartò, Acquissimus humanarum actionum æstimator & iudex Christus, non externam tantum operum larvam, sed radicem ipsam, intentionem scilicet, tanquam Deus intuens, innocentis dilectæ suscepit patrocinium. dum ait: *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Non perit hæc impensa, sed sepulturæ meæ tribuitur hoc honoris, quam illa nunc præuenit, quoniam tum non erit vngendi facultas. Matth. 26. sepulturam gloriosam fore præsignans, Isa. 11. Toto igitur errant cælo, qui iustum in quouis opere bono peccare, magna impudètia non verentur asserere: nunquam æterna Dei sapientia Christus bonum vocaret, quod peccatum est. Maledicuntur enim per Prophetam huiusmodi sinistrum iudicium, quo malum bonum, & bonum malum asseritur, Isa. 5. Est enim dilectio Dei natura sua bona, ergo & opera, quæ per Spiritum sanctum habitantem in cordibus nostris ex ea proficiuntur, relata in Dei gloriam, mala esse nequeunt.

Deinde ne quis occasione pauperum avaritiæ prætextum adferre posset, ut ita suæ inferuire cupiditati posset, docet pauperes nunquam defuturos, atque eam esse relictam homini libertatem, ut dum velit, benefacere possit, Christo verò non item, quem iuxta August. secundum præsentiam corporalem & visibilem non habituri erant semper, quo sibi talia impenderent beneficia, quem tamen secundum maiestatem diuinam, & secundum ineffabilem gratiam suam semper habitura esset Ecclesia, etiam in membris suis pauperibus spiritualiter, Matth. 28. & 25. Deut. 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra, Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Matt. 10. Qui-
cunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidae, &c. Quæ duo quasi paradoxa subnectere nituntur nostri temporis heretici: Nam Anabaptistæ communionem bonorum esse volunt, ac Platoniam œconomiam instituire, atque ad eam omniem à Republ. Christiana ordinem subuertere contra scripturas, Deuter. 15. Matth. 26. Psal. 48. Calvinistæ verò, qui omnia absoluta necessitate euenire cõtendunt, & Stoicorum fatum asserentes, arbitrij libertatem tollunt: qua sublata, falsum profus hoc loco Christus pronuntiat.

Patrocinium
Magdalena
suscepit Chri-
stus.

Libertas be-
nefaciendi ho-
mini relicta.

Anabaptista-
rum & Cal-
uinistarum
errores.

nuntiat. Neque enim dum voluerimus, licebit benefacere.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est, & uenerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum uiderent, quem suscitauit à mortuis. Augustinus: Curiositas traxit, non charitas; uisores enim suscitari Lazari cupiebant fieri, expectantes etiam de inferis aliquid Lazaro referente audire. Suadebat hoc insita mortalium ingenii curiositas.

EPILOGVS.

Ex Iesu in Bethania à Maria uncto Iudas indignatur, cum tamen multa condescensione ueniens ad eum, ostenderet quam bonum sit & necessarium nata oportunitate bonum facere, ne praesenti cum non possumus, uelimus. Nec corripuit aut reprehendit eum surripientem, quamuis animum eius cognosceret nolens illum confundere sed communem intulit excusationem; quo docet nos longanimes esse erga tales; sed occulte opprobrat ei prolixiorem, tamen si propter auaritiam traditurus esset eum in mortem. Sed nihil horum ferum & insanientem animum flexit proditoris, licet his multo plura & diceret & faceret, & ad mensam secum adhibuisset, quod & latronum animos mulcere assolet, & alta uerba locutus est, quibus etiam lapides moliri potuissent, sed aduersus omnia persistit immobilis. Adeo uere dixit Ecclesiasticus cap. 10. Nihil iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam suam uenalem habet, &c.

ALIVS SERMO EODEM SABBATO DE
ORATIONE IESV PRO DISCIPVLIS ET
ELECTIS HABITA AD PATREM.

Subleuatis Iesus oculis suis in caelum dixit, &c. Finis Euangelij: Ioan. 17.
Et ego ad te uenio.

VBi paterfamilias ad extremam uitæ periodum uenerit, filios Deo, amicis, parentibus, & tutoribus commēdat: ita Christus breui moriturus, Patri discipulos & electos commēdatos habet: ac Spiritui sicutandos committit. Hinc dicebat: Non relinquam uos orphanos, &c. Orationem hanc liquet ex Euangelica ferie à Christo habitam cæna peracta antequam pateretur. August. censeat Christum hanc orationem etiam sermocinationem ad suos habuisse, tract. 104: & conuersioni quam in cæna habuit, hanc orationem ad patrem addidisse, antequam egrederetur, ut habetur tract. in Ioan. ca. 112. Theophylactus quoque in Ioan. cap. 18. colloquium, ad solatium suorum fuisse ait, utique in cæna. Erigere namq; per orationem hanc suos uolebat (ut testis est Chrysost. in Ioan. homil. 79.) tum cum per doctrinam eorum mouisset animos. Imò Beda in cap. 18. Ioan. alia quædam interposita censeat, finita ipsa oratione, donec egrederetur Dominus. Oratione hæc præsertim duo facit Christus.

Patrisfamilias morem
Christus moriturus obseruat.

Oratio Christi pro electis, quando & ubi facta.

*Pfal. 122.
Thren. 3.
Christus quare
subleuatis
oculis orat.*

1 Primò orat vt ipse glorificetur: idque non sine cæremoniis facit. Nam sursum eleuat oculos, vt mentem in Deum oraturus offerre doceat, ait Chrysoft. homil. 79. in Ioan. Sic magistrum audiens balburientem, & singulas literas pronuntiantem, non cum ignorare dicitis, cum interrogat vbi sit litera (ait Chrysoft. hom. 17. in id, Patientia vobis necessaria est) discipulum enim vult instruere. Sic & Deus non opus habens oratione, orabat, vt orandum doceret. Præterea subleuat oculos in cælum, vt in tentationibus ad Deum recurrendum doceret, ait Theophyl. Item vt vnde venit, signo testetur, qui ait Iudæis: Vos de deorsum estis, ego de superis sum.

Pater, naturalis & consubstantialis, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, Ephel. 3, *venit hora*. Non fito vrgente (ait Augustin. tract. 104) sed Deo potius ordinante, Galat. 4. Omnia quæ fiunt in tempore, inquit, causas habent in diuina dispositione, quæ tamen causæ non sunt sub tempore, quare venit hora, non vt necessaria coactione pateretur, sed diuina dispositione dignaretur. Hora mortis, & potestatis tenebrarum in Iuda & Iudæis: Hora reparationis humanæ, Rom. 5. Apoc. 1. Hora qua per mortem meâ destruat author mortis, Hebr. 1. Oseæ 13: Hora sanè consummationis omnis prophetiæ & figurarum, Ioan. 19. & 20. Porro vt Christus antequam mortis doloribus angatur, orat, ita neque nos horam nostræ mortis expectemus, sed præueniamus in lachrymis & precibus, vt eruat nos ab illo interminabili fletu & stridore dentium, & à Gehennæ igni (ait Effrem libr. de compunct. cord. cap. 8.) & ne præualeat in illa hora nobis sathan. *Glorifica filium tuum*. Correlata hæc Pater & filius vim habent. Quibus docet se à Deo Patre exiisse, Ioã. 16 illi morem gerere ad mortem vsque: & ideo vicissim Patrem gloriâ eius quærere, & iudicare. Ioan. 8. Glorificari optat à Patre afflictionibus quas pro mundo passurus erat, vt gloria innotescat domini pro seruis patiētis. Oecumenius in Ioan. Aut *glorifica me*, inquit, edens prodigia & signa admiranda tempore meæ passionis. Sic enim expediebat ad humani generis salutem, vt mundus per patrem cognosceret filium, ac vicissim per filium cognosceret patrem. Clarificauit pater filium in passione, per solis obscurationem, terræ motum, veli templi, & petrarum scissionē, mortuorum suscitationē, Mat. 27. Per resurrectionem, Román. 1. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi. Per Spiritus s. missionem, Ioan. 16. Ille me clarificabit. Ipse enim per ora Apostolorum homines ad Christum conuertit, vt eius maiestaté agnoscerent

*Hora Christi
qua.*

tent & adorarent. Effectus huius orationis patuit postea in Centurione, qui visis signis in eius passione dicebat: Verè hic filius Dei erat. Sic nos quoque eius exemplo gloriã quæramus non à mundo, sed à Deo: non ante mortem, sed post mortem: non in delitiis, sed per passiones. Vnde dicendum cum Psal. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Spes enim gloriæ futuræ releuat nos in tribulationibus, vt ægrotum spes sanitatis, cum medici consilio obsequitur, & viatorem in labore viæ, spes perueniendi ad patriam consolatur, ait Cyprian. serm. 2. de zelo & liuore. *Vt filius tuus glorificet te.* Gloriam vocat (ait Theophylactus) non suam tantum, sed patris. Nam post crucem totus orbis ad eum & patrem confluit. Non enim quòd pater supplicium carnis perculit, vt Patripassiani volunt, intelligitur; sed quòd per filij sui mortem sic clarificandus erat, vt & nomen illius sanctificatur, Mat. 6. in sanctificationis per mortem Christi. Gloria nostra est, si vt filij patrem nostrum Deum glorificauerimus: Gloria militi, si morte sua honorificauerit principem: iuueni, si senem saluauerit: & vbi pater honoratur, honorabiles filij.

Patripassiani.

Proinde orat, vt electis det vitam æternam, & illius cognitionem, cum subdit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Sicut, pro quia hinc interpretari debet. & per omnem carnem, omnis homo, vt docet Oecumenius; non bruta contra Mahumeti Alchoranum. Quibus verbis se non Iudeos tantum, sed & gentiles saluaturum insinuat. Sed quid omnis carnis, ait Chrysost. Non enim omnes crediderunt, Roman. 1. Atqui omnes secundum partes crediderunt, vel ex omnibus aliqui. Quòd si non omnes, non id magistro crimini adscribendum est, sed non accipientibus. Potestas autem hæc data est Christo secundum hominem. Nam secundum Deum omnia per ipsum facta sunt, ait August. in tract. 105. Nouerimus ergo Christum datum caput super omnem Ecclesiam, cum ei potestas omnis carnis sit credita. *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Quantum in se est, neminem cogit, cum iuxta tritam paræmiã, virtus voluntaria sit. Finem verò exprimit Christus, in quem hæc potestas sibi credita est: nimirum vt ab eo, non minus quàm membra à capite, gratiæ infusione accipientes, possimus tandem gloriam adipisci. Propriè quoq; ait: quod dedisti mihi: Nam licet etiam reprobi illi dati sint, non tamen in gloriã, sed subiectionem, quia Deus omnia pedibus eius subiecit. Ponam, inquit, inimicos tuos scabellum pedum tuorum, quos vt vas figuli confringet. Dati sunt autem illi ad gloriam, quos Deus prædestinavit ante mundum, Ephes. 1. & confedere fecit in cælestibus in Christo, Ephes. 2. Sic enim erat in principio Deus in Christo mundum reconcilians. Nam

Potestas omnis carnis quomodo Christo data.

Virtus voluntaria est.

Christo aliter boni aliter reprobi dati sunt.

qui

qui exeunt è nobis reprobi, non erant ex nobis, Ioan. Gloria medici est, multos sanasse: Regis, liberalem esse, vt pater Esther 1: Ducis, de multis triumphasse. Ita Christi gloria est multis salutem contulisse. Hinc est quod ipse ait: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Dicere quoque potest illud Osee 13. Perditio tua ex te è Israël. Quomodo enim relictus est excusationi locus his qui malè agunt? Nam vt ignaui agonotheren, & malè affecti medicum incisionibus & adustionibus vtètem, ita Christum frustra incusamus, cum tot pro nobis expenderit, docet Gregor. Nazan. orat. ad subditos timore perculsos.

Hac est autem vita æterna, vt cognoscant. &c. Est autem cognitio per fidem, vita æterna in spe, Ioan. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam: Sed fructio postea in re, quando videbimus facie ad faciem, 1. Corinth. 13. perfecta & consummata erit felicitas. Radicem atque originem æternæ vitæ affirmari censet Cyrill. Alexand. esse fidem, & veræ pietatis virtutem. Vita igitur æterna pro dispositione ad eam sumatur, *cognoscant*: fide formata operibus. Erit autem fides, si omnium quæ credi debent. Nam qui peccat in vno, fit omnium reus. Discere ergo hic oportet, veram felicitatem in visione Dei & perfecta cognitione futuram esse, cum viderimus Deum facie ad faciem, vt præmissum est. *cognoscant te solum Deum.* Solum dicit, ad confusionem gentilium, qui idola sua Deos vocabant. Porro nos sanctos colimus, non vt Deos, sed vt Dei seruos & amicos: de quibus Christus, Ioan. 15. Vos amici mei estis, &c. Et cap. 12. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Quod primi quidè Christiani in Polycarpi nece docuerunt, Euseb. hist. Eccles. libr. 4. cap. 15. & Hieronymus ad Ripar. contra Vigilantium. Quod, *te solum*, dicit, ait Hilarus 4. de Trinitate: An communionem atque vnitatem suã à Deo separat? Separat sanè, si non ad id quod ait, *te solum Deum verum*, continuo subiecit: & quem misisti Iesum Christum. Nam vt libr. 6. de Trinitate pandit August. non negat id Spiritum s. aut Christum Deum esse, sed solum Deum: Quia hi tres vnus sunt, 1. Ioan. 5. esse approbat. Deus enim Pater, Deus filius, Deus Spiritus s. & tamen non tres dij, vt docet Athanasius. *Verum Deum*, ait nõ falsum, ad discretionem cultus nostri à cultu gentilium, quorum dij dæmonia, Psal. 95. 1. Ioan. 5. Et scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus Deum verum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna. Est ergo verus Deus, præter quem non est alius Deus; ita quòd dictio illa exclusiua, solus, determinat Deum, excludens omnem aliam Deitatem, quoniam non est alia Deitas præter eam. quæ est
in pa-

Radix & origo æternæ vitæ fides.

Deus pater eius solus Deus dicatur.

Deus pater eius verus Deus.

In patre, & eadem numero est in tribus personis, quæ sunt vnus verus Deus solus, estque hoc modo vnaquæque earum solus verus Deus. 1. Corinth. 8. Nam & si sunt qui dicantur dii, siue in celo, siue in terra: siquidem sunt dii multi & domini multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. *Et quæ misisti Iesum Christum.* Sui meminit, vt qui legis finis sit. *Qui licet despectus carne, æqualis tamen est patri diuinitate.* *Qui quoque patris & spiritus. s. maiorem nobis cognitionem reddiderit: vnde & manifestior certiorque factus sit.*

Obserua: Si Dei cognitio vita æterna est, inquit Cyrill. Alexand. quomodo dicit quispiam, alia quadam re indigebimus? Quomodo ergo fides absque operibus mortua esse perhibetur? Per fidem enim cognitio fit, teste Isaia cap. 7. Si non credideritis, non intelligetis. Quod autem nuda cognitio inutilis sit, testis est Iacob. cap. 2. Tu credis quia vnus est Deus, & probè facis. Dæmonia etiam credunt & horrescunt. Quid igitur ad hæc dicemus? Aut quomodo verus erit sermo Domini? Sed verus est absque vlla penitus hæsitatione. Cognitio enim vita est, quia totam mysterij virtutem parturit, per quam viuifico verbo coniungimur. Cum igitur origo, & quasi pronuba omnium bonorū sit, rectè à Deo vita æterna est appellata. Eodem quoque modo respondebimus his qui sic ratiocinabuntur: En vita æterna est credere solum Deum verum & Iesum Christum. Quid igitur tot nobis congeruntur ad salutem? Quid sacramenta, Pontifices, traditiones, Sancti, purgatorium? &c. Addet forsitan illi frustra credi in Spiritum s. quod ibi non exprimitur. At qui saluus fiet, qui in Spiritum s. non credit? Non remitteretur id ei peccatum, neque in hoc seculo, neque in futuro. Quemadmodum ergo in cognitione filij & Dei vnus est cognitio Spiritus s. ita nomine nimirum primæ Dei cognitionis, intelliguntur quæ à Deo sunt data in fidem Ecclesie. Vt cum Paulus ait, 1. Timoth. 5. quod si quis domesticorum curam non habet, fidem negauit: nunquid substrata fidei opera ad fidem reduxit? Ita quoque quæ Dei sunt, in Ecclesia per Dei cognitionem comprehensa intelligamus.

Ego te clarificauit super terram, q. d. Tu quidem ô pater in cælis gloriosus es ab initio: at ignorabat te terra. Imbui verò homines nomine, & potentia tua. Hæc enim glorificatio (ait Hilarius 4. de Trinitate) non pertinet ad diuinitatis profectum: sed ad honorem, qui ex cognitione ignorantium quæcipiebatur, Chrysost. in Ioan. Opus consummaui. q. d. Non quæsiui gloriam meam, sed tuam: verum deiçi meipsum ad summam ignomi-

Fides quomodo vita æterna dicatur.

Christus quomodo patrem glorificauit.

*Opus quod
Christus à pa-
tre accepit co-
summandum,
quale fuerit.*

*Scriptura præ-
teritum pro
futuro ali-
quando usur-
pat.*

*Christus quo
patre clari-
ficus à patre
rogauerit.*

ignominiam & humilitatem, vt tui nominis gloriam illu-
strarem apud homines, omni notitia Dei disseminata, & per-
fecto opere quod dedisti mihi. Hoc enim opus est incarna-
tionis vnigeniti, ait Theophylact. sanctificare naturam no-
stram, & prosternere rectorem mundi, qui se prius Deum fa-
ciebat: & inserere creaturæ notitiam Dei. Vnde, Ioan. 19. ait
pendens in cruce: Consummatum est. Misisti me sanare con-
tritos corde: prædicare captiuis apertionem, reis indulgen-
tiam, &c. Isa. en hoc præstiti. Dicit autem opus, quod spiri-
tualis erat officij: vt doceat in Carolo stadianos, presbyterum
duplici honore dignum, maxime qui laborat in verbo, vt do-
cet Apost. ad Timoth. An non scilicet hoc magnum opus est:
imò cetera omnia & labore & onere superans? Vera Dei glo-
rificatio in obedientiam est, vt ad Saulem dictum est: Obe-
dientiam volo & non sacrificiū. Sed quomodo consumma-
uit (inquit August. tract. 105. in Ioan.) opus quod accepit, vt
faciat, cum restet passionis experimentum? Sed præteritum
pro futuro usurpat, vt cum apud Psal. ait Psal. 21. Foderunt
manus meas & pedes meos; pro fodient. Et apud Ioan. Om-
nia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis; pro nota faciā:
cum posthac dixerit, Ioan. 14. Multa habeo dicere vobis. *Quod
dedisti mihi vt faciam.* Non ait: Iussisti (vt obseruat in hunc lo-
cum August.) sed dedisti. Vbi commendatur euidentis gratia.
Quid enim habet quod non accepit etiam in vnigenito hu-
mana natura? An non accepit, vt nihil mali, sed bona faceret
omnia, quando in vnitatem personæ suscepta est à verbo, per
quod facta sunt omnia? Quomodo verò datur à patre no-
stræ salutis opus filio, ait Cyrill. Alexand. sed non quasi aliud
à patre sit filius pater dedit hoc opus filio. Verum vt sapiētia
artificis implet, quæ vult artifex: & sol videtur imperare suo
lumini, vt orbem illustret: & tamen nec sapientia artifi-
cis aliud ab artifice est, nec lumen à sole; ita nec pater aliud
est à filio.

2. Secundò, orate pergit pro electis sibi datis, vt sermonem
eius agnoscant, eum seruent, & ad patrem veniant. *Et nunc cla-
rifica me tu pater,* inquit, id est, Clarifica humanam meam natu-
ram, quæ nunc in ignominia quoque crucifigēda est, & sub-
uehe eam in gloriam quam habebam apud te, ego verbum
& filius tuus, priusquam mundus esset. Illud ergo clarifica,
de incarnatione dicit vt homo: se autem habuisse gloriam
ante secula vt Deus, reuelat cum subdit; *Claritate quam habui
apud te, priusquā mundus fieret.* Idem sepe habet Athanasius ferm. 4.
contra Arrianos: & Hilarius. 3. de Trinit. Orabat vt id quod
ex tempore erat, gloriam eius quæ sine tempore est, claritatis
acciperet, vt in Dei virtutem & spiritus incorruptionē trans-
formata

Formata carnis corruptio absorberetur. Obserua igitur cum Theophylact. collocatam in throno regio naturam humanā Christi adorandā ab omni creatura. Quod Ioan. Damascen. lib. 4. de fide Orthod. cap. 3. probat purpuræ exemplo, quæ cum sit amictus regis glorificatur: & vt ex se lignū propter ignem coniunctum sit inaccessible, ita Christi caro propter vnionem, quam habet cum diuinitate, adoratur. Cyrill. Hierosolym. duplicem statuit Christi glorificationem, vt Deus ante mundi constitutionem, quæ illi natura congruebat: alteram de qua dicitur, Venit hora vt glorificetur filius hominis. Gloriam enim propriam sciebat esse crucem. Glorificatus nunc enim est patientiæ ferens coronam. Hinc quoque August. tract. 105. probat Christum esse prædestinatum, alioquin non esse filium hominis. Non quod prædestinetur vt Deus sed vt homo.

*Glorificatio
Christi du-
plex.*

Manifestari nomen tuum hominibus. Quod nomen? An non Iudæi Tetragrammaton, Iehoua, Elohim, Adonai, El, & cætera Dei nomina nouerant? Sed aut id non de Iudæis, verum de gentibus intelligendum est, vt colligit Oecumenius: aut nomen dicit patrem, quod pater sit filij naturalis, quod Iudæos latebat, ait August. in Ioā. aut quod Deus esset misericordiarum, & princeps totius consolationis, vix experimento didicerant, quod Christo passō & adueniente innotuit. Magna utique hinc nobis gloria contigit, quod diuinis arcanis admissi sumus *Quos dedisti mihi de mundo.* Quos selegisti de massa peccati, vt per me saluarentur, Act. 4. Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Venit quippe Christus in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Dati autem fuerant Christo, non qui illius erant tantum tempore, dum mortalis cum hominibus versaretur, sed & patres ism. vita functi, & qui tãdem erant nascituri. Cum ergo Christus datos sibi de mundo electos ait, prædestinationis arcanum reuelat. *Tui erant.* Per creationem, prædestinationem, prouidentiam, & directionē. *Et tu eos mihi dedisti.* Per meritum saluandos, in carne docēdos, Ioan. 1. mihi per vnionem naturarum vnione gratiæ coniungēdos, 1. Corinth. 10. Ephes. & ad finem vsque dirigēdos, docēdos & formādos, Isa. 8. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus, in signum & in portentū Israël à Domino exercituum qui habitat in Sion. An verò electi aliquando erunt patris, quando non erunt filij? Et habuit aliquando pater aliquid sine filio? Absit. Et tamen habuit aliquando aliquid Deus filius, quod nondum habuit idem ipse homo filius: qui a nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat vniuersa cum patre. Hęc igitur secundum

*Nomen Dei
quod Iudæos
latebat.*

*Electi ex om-
ni auo Chri-
sto dati &
prædestinati.*

humanitatē intelligenda sunt, ait August. tract. 106. in Ioan.

Et sermonem tuum seruauerunt. Tria ad salutem necessaria insinuauit: 1 Prædestinari è massa; 2 Christo donari; 3 Verbum Christi in cordibus nostris fructum facere, vt in terra bona docet Christus, Matt. 13. Tertium autem hic declarat, dum ait electos sermonem suum seruasse. Apertius ostendens cognitionem Dei seruandā esse in pectore vt non peccemus, & vt iuxta B. Iac. ca. 1. non auditores tantum, sed & legis factores simus. Sed quomodo nomē Dei innotuerat, & electi sermonem Christi seruauēr, aut crediderant tum discipuli, cum statim eo capto fugerint, Petrus abnegarit: imò Christo resurgente & apparente dubij extiterint? Porro soluit August. Præterita hæc: seruauerunt & crediderunt, scilicet, aut implicite, aut pro futuro interpretanda sunt. Prænuntiat enim, ait, quales essent futuri accepto Spiritu s. qui eos sicut promissum est, doceret omnia. Hinc addit: *Nunc cognouerunt.* Præsentī vititur pro futuro ad certitudinem pollicitationis suæ implendæ de Spiritu s. mittendo, quo doctore cognoscerent omnia; vt apud Isaiam: Ego qui loquebar, ecce adsum, pro adero: *quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Scopus enim fidei est, in visibili Christi carne non immorari, sed rapi ad diuinitatem eius, quia nihil in Christo est alienū à patre. Quod autem abs te ait, docet relationem personæ suæ in diuinis ad patrem: quoniam filius à patre est, non pater à filio. Quapropter quæcunque habet pater, filij sunt: præter innaſcendi proprietatem. Damasc lib. 1. de fide Orthod. cap. 9. *Quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis.* Non enim hæc mihi acquisita sunt, ait Theophylact. sed à te sunt, hoc est, naturaliter ad me pertinent, vt ad filium, qui in paternis rebus potēs est. Vnde agnouerunt diuina ea esse, non diabolica, vt Pharisei; aut humana, vt Barbari, 1. Corinth. 1. Sermo nanque crucis, stultitia est his qui pereunt. *Et ipsi acceperunt & cognouerunt verū quia à te exiui:* Per æternam generationem: Mich. 5. cuius egressus ab initio & diebus æternitatis. Vnde Psal. Ante Luciferum genui te: & crediderunt quia tu me misisti, id est, credent tandem quod misisti filium tuum in mundum, vt saluetur mundus per ipsum, Ioan. 3. Sicut fatentur, Petrus, Matt. 16: & Martha, Ioan. 11.

Ego pro eis rogo, vt homo quomodo aduocatus, lapis offensio- nis, Pontifex, sacerdos, & interpellator vocatur, ita & rogat pro suis; quia eos relicturus erat iuxta corporis conuictum, illos eius bonitati commendans seruandos, ne deficiant, sed semper in melius proficiant. Ego igitur pro his rogo, quos è mundo subductos, tuos esse voluisti, vt tua bonitas quod cepit in illis, perpetuum ac proprium esse velit. Non pro mun- do, id

Prænuntiatio
de Apostolis
quales futuri
essent.

do, id est his qui non sunt in sorte electionis. August. Sciebat enim quid esset in homine, 2. Timoth. 2. Nouit Dominus qui sunt eius: qui malis cupiditatibus excaecatus pertinaciter reclamatur doctrinae meae, sibi ipsi salutem gratis oblatam inuidens. Sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt: & omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Aequalis est enim patri secundum diuinitatem, ait Athanasius in Symbolo. Proinde quae patris sunt, filij sunt, quod inter eos sit rerum omnium communio. Et glorificatus sum in eis. 1 Per identitatem gloriae, ut Deus. 2 Per exaltationem humanitatis meae in proximo. Glorificatur item filius in his quae sunt patris, tantam omnium habens potestatem, sicut & pater, quam claritatem & discipuli cognouerunt, Act. 4. Non est in aliquo alio salus. Item ca. 10. Hic est qui constitutus est à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Et iam non sum in mundo, quem mox relinquo statim moriturus, nam de futuro interpretanda sunt haec. Et hi in mundo sunt, id est, supererunt multis afflictionibus & tentationibus, quo fiet ut tua ope maximè egeant. Et ego ad te venio. Per exaltationem humanitatis meae ad dexteram tuam: quia ut Deus semper sum in sinu patris, Ioan. 1.

EPILOGVS.

Euangelio hoc Christi pro electis oratio exprimitur: in qua primò pro se orat, ut glorificetur, utque electis detur vita aeterna & illius cognitio. Deinde pro electis sibi datis orat, ut sermonem eius agnoscant, eum seruent, & ad patrem veniant. Adde de nobis sollicitum humiliter oremus, ut apud patrem pro nobis preces effundat, ut sit nobis mediator, & maceriem peccatorum nostrorum dirimat, ut eum solum Deum agnoscentes, & mundo renuntiantes, ad eam cui praerogam gloriam peruenire mereamur.

DOMINICA IN RAMIS PAL-
MARYM, EPISTOLA.

Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, &c. Finis Epistolae Philip. 2. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.

QVOD ad Epistolae praesentis scopum spectat, commendatur in ea nobis maxima Christi humilitas, non solum ut eam sciamus miremurque; verum etiam, ac cum primis ut eandem imitemur. Et tria praesenti Epistola agit Apostolus. 1 Primò, Fideles hortatur, non ad solam fidei professionem, quae verborum strepitu enuntiatur, aut corde solum creditur: Neque enim sola fides ad iustitiam sufficit, cum sit illius tantummodò pars, sed ad vitae innocentiam, quae praeter fidem, etiam charitatem, modestiam, mansuetudinem, Sola fides ad iustitiam non sufficit.

nem, obedientiam, & humilitatem, aliasque virtutes complectitur, quæ quum in nullo viuidius, quàm in Christo apparuerint, qui prototypus est, & exemplar absolutissimum omnium virtutum, imò potius fons & origo: hunc commo-
 diffimè proponit Apostolus fidelibus imitandū: quia non est in alio aliquo salus. Non aliud nomē sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. In ipso habitabat omnis plenitudo diuinitatis: ad eò vt de plenitudine eius omnes acceperimus, gratiã scilicet pro gratia, Ioã. 1, id est, gratiã glorificationis æternæ, pro gratia iustificationis indebitæ, vt inquit Fulgentius lib. 1. ad Monimum. Sed opere pretium est animaduertere, quas Christi virtutes imitari à nobis velit Apostolus, dum ait: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo lesu.* Num scilicet, eas, quibus licet pedibus super aquas ambulauit, Marc. 6. mortuos ad vitam reuocauit, Ioan. 11. Luc. 7. claudis gressum restituit, Matth. 21. leprosos mundauit, Matth. 8. & cæcos illuminauit? Luc. 18. minime verò. Has enim si quibusdam concesserit, non tamen omnibus contulit. Licet enim admirandæ sint, non tamen ad salutem sunt necessariæ, neque ab ipsis pendet nostra iustificatio, quando & reprobis etiã cõceduntur, Matt. 7. Hæ verò virtutes, quas nos vult imitari Apost. tales sunt, vt sine ipsis placere Deo sit impossibile. Sunt autē charitas, quæ sola cum impellente, nos dilexit, quum inimici essemus, & semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, vt pro nobis fieret victima, qua æterni Patris ira remitteretur: & humilitas, qua quum diues esset, pro nobis egenus factus est, vt illius inopia diuites efficeremur. Ad eò enim hæ sunt omnibus necessariæ, vt apertè doceat Apostolus, 1. Cor. 13. sine his consistere veram iustitiam non posse, cum sola charitas sit vinculum perfectionis. Ergo si tantum nos dilexerit Christus, vt se totum nobis impenderit, abesse procul à nobis omnis inuidia, ira, indignatio debent: his enim Christum non imitatur, sed ab ipsius vestigiis recedimus.

2. Secundò, Proponit admirandam Christi mansuetudinem, qua semetipsum exinaniuit, formam serui accepit, & humiliavit semetipsum vsque ad mortem. Etenim cum esset ineffabili diuinæ maiestatis gloria æterno Patri æqualis, nimio nostri amore, ne creatura ad imaginem Dei creata semel, in æternū periret, semetipsum exinaniuit, accipiendo inferiorē, non degenerando ab æquali, vt habet August. in Ps. 14. Accessit enim in vnitæte personæ verbi anima rationalis & caro, secundū quã humanitatē licet esset minor Patre, erat tamen ei æqualis secundū diuinitatem, vt ipse testatur, dum ait: Ego & pater vnus sumus. Quia verò non aliã ratione,

Charitas
Christi.

Charitas vin-
culum perfe-
ctionis.

ratione, quàm morte filij Dei, superanda erat crudelis illa peccati, mortis, inferni, & diaboli tyrannis, quæ homini dominabatur merito primæ illius transgressionis, nec mori, aut alicui passioni subiici posset diuinitas, singulari dispensatione per vnionem hypostaticam coniuncta est diuinitati humanitas: quam sub forma seruili intelligit Apostolus. Etenim nomine formæ intelligit substantiam, auctore Chrysolomo, sicut & nomine serui ipsam humanitatē, iuxta Damascen. lib. 3. cap. 21. Quia si separata fuisset ab humanitate Christi diuinitas, nihil aliud quàm serua fuisset. Tanta autē fuit illius erga nos dilectio, vt non solum sese deiecerit ad humanæ naturæ susceptionem, quia viuere inter nos, si uoluisset, potuisset, beatus ac diues, sed & factus pro nobis est pauper, egenus, humilis, & cōtemptus, vt potius uermis diceretur quàm homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, Psal. 21. dum sese deiecit nostri causa ad mortem non splendidam, aut gloriosam, sed plenam confusionis, horro- ris, scandali, & miserix: & ut ait Apost. mortem crucis, qua nulla cogitari potuit execrabilior. Siquidē maledictus iudicabatur qui pēdebat in ligno. Ipse igitur fact⁹ pro nobis maledictū, vt nos eriperet de maledictō legis, Gal. 3. vt promissio ex fide daretur credentibus: qua profectō humilitate maior ab aliquo præstari nulla potuit. Meritō igitur hanc fidelibus proponit Apostolus, idque multis de causis: Primò, vt tantam Dei clementiam admirentur. Secundò, vt hac occasione in amorem Dei rapiantur. Tertio, vt pro gratia iustificationis, quam per Christum sunt consecuti, Patri æterno gratias agant. Quarto, vt sicut Christus, non sibi, sed pro nobis se humiliavit: ita & ipsi illius imitentur exemplum, proximis compatiendo & condolendo. Est enim efficacissimum argumentum tantæ humilitatis Christi consideratio humanis affectibus commouendis. Cuius enim tam cornea fibra est, tam adamantinum pectus, quod istoc non moueatur exemplo: vt fastum, superbiam, inuidiam, iram, aliaque mōstra ex animo suo non dimoueat? siculneus ac planè stupidus sit, imò à Deo desertus, quisquis istoc non commouetur exemplo.

3 Tertio, Indicat Apostolus qualem Christus sit consecutus gloriam ex singulari humilitate, obedientia, passione, & morte, dum ait: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, Apocal. 5. terrestrium hominum, infernorum, demōnum, qui credunt & contremiscunt.* Tanti enim fuit meriti *Obedientia Christi me-* apud Deum Patrem Christi obedientia, vt non tantum *Christi me-* bis, uerum etiam sibi meruerit (quanquam id pertinaciter ritum. negare

negare non vereatur Calvinus, qui turpiter hunc locum pervertit (præclaras illas tam corporis quam animi dotes. Diuinitati enim nulla maior, quam inerat, gloria accidere potuit. Quare prudenter distinguenda est à diuinitate anima Christi, quam crassa quadam ignorantia confundere imperiti solent. Meruit autem Christus animæ *ἀπαθείαν*, seu passionum indolentiam, & claritatem; corpori autem immortalitatem, gloriam, felicitatem, & sessionem ad dexteram Patris. Quod verò hæc Christo secundum humanitatem sint reddita merito innocentiae, humilitatis, passionis, ac denique mortis, manifestè non hic tantum testatur locus, verum & ille Isa. 53. pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur. Item: Iniquitates omnium nostrum portauit, ideo dispersit ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Item, Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Vides Caluine, Christum esse à Deo Patre benedictum propter sanctitatem vitæ & doctrinæ? Quod si huic interpretationi non credas, Basilium in commentariis eiusdem Psalmi consulas, qui ex iisdem scripturis huc allatis docet Christum multa cōsecutum, tanquam merita & præmia virtutis. Quare immeritò hoc loco Scholasticos grauas Caluine, quasi hi primum hoc ediderint paradoxon: quando communis omnium veterum hæc fuerit sententia, qui hanc præpositionem, propter, causalem esse volunt, non consecutiuam tantum.

*Christus à
Deo Patre
benedictus.*

E P I L O G V S.

In hæc Epistola hortatur nos Apostolus cum primis ad humilitatem, hoc est, ut submittamus nos & coram Deo, & coram proximis. Et quò fortius nos huc impellat, summam Christi humilitatem nobis ob oculos ponit, & sequentem exaltationem celsissimam: sicque humilitatis eius exemplo debiti iure nos urget, nec non sequuta exaltationis paradigmatè, præmiique magnitudine nos inuitat. Quadrat huc verbum B. Petri 1. cap. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c. Nihil aquè seruos decet atque sedulo imitari dominum, Ioan. 13. Si igitur ipse exemplo & nos humiliabimur, itidem exaltabimur à Deo, donabimurque & hic nomine æterno, & illic vita æterna.

D O M I N I C A I N R A M I S P A L -
M A R V M, E V A N G E L I V M.

Matth. 21.
Marc. 11.
Luc. 19.
Ioan. 12.

Et enim appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem olueti, &c. Finis Euangelij: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis.

QUÆ AD MODVM nihil aura mobilius, quæ nunc ab Austro, nunc ab Oriente aut Occidente perflat: ita nequæ præsentis fortuna incōstantius est, iuxta hoc Poëticum:
Si for-

Si fortuna volet, fies de Rhetore consul: Si volet hæc eadem, fies de cōsule Rhetor. Sic homo natus de muliere, nunquam in eodem statu permanet: quinimò vita eius est tanquam fumus ad modicum parens, Eccles. 10. Hodie rex est, & cras morietur: hodie sanus, cras æger: Hodie extollitur vsque ad cælos, cras deprimitur vsque ad abyssos. Hoc in semetipso & experiri & contestari voluit Christus. Paulò enim antequam pateretur, omnium applausu exceptus est in celeberrima omnium Iudææ & totius Palæsthinæ vrbium Hierosolyma: quinta demùm subsequente die à Iuda proditus, à Iudæis morti traditus, & à gentibus cruci affixus est. Complectitur hoc Euangelium quatuor.

1 Primò, Christi Hierosolymam appropinquantis datum discipulis præceptum: de quo Euangelista sic enarrat: *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis.* Quod multis antè sæculi sacri vates præfagierant, quod scripturæ de Christi cecinerant maiestate, hodierno deprehenditur Evangelio. Dixit Dominus David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, 2. Reg. 6. Suscitabo semen tuum post te, & stabiliam thronum regni eius in sempiternum. Et filius in persona Davidis, Psal. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Et vox illa: Regnum tuum, regnum omnium sæculorū, & dominatio tua in omni generatione, Dan. 7. Item: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur, Isa. 11. Et illud: Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra, Hierem. 23. Proinde angelus: Regnabit, inquit, in domo Iacob in æternum, Luc. 1. Huius ergo regni tesseram & argumentum omnium conspectibus exhiberi voluit Christus antequam pateretur. Siquidem reges ut hæreditario iure regnum sibi deberi contestentur, nobilissimam omnium civitatem magno cum apparatu, acclamantibus vndique turbis ingrediuntur: ita Christus totius Iudææ metropolim Hierosolymam, magno populi stipatus agmine, adiit, omnibus summa voce eum regem, filium David & Messiam acclamantibus. Porro Hierosolymis appropinquat. 1 Ut doceat se nihil suos vereri aduersarios: prius quoque fugisse, & se abscondisse cum lapidare eum vellet, non quòd eorum minas & impetus frangere nō posset, sed quòd nondum hora patiendi aduenisset. 2 Voluntariè se pati contestatur, ut qui eum inimicorum suorum cogitationes nosset, & eorum furorem cauere posset, vltiò tamen quasi eos in se prouocans, & liberè agere permittens, Hierosolymam accesserit, Isa. 53. Oblatus enim est, quia ipse voluit. 3 Se victimam pro peccato esse docet, quæ tum

deligebatur, in die Paschatis mactanda Hierosolymis. Nam typo duorum hircorum Christus depingebatur, vt aptè adducit Tertull. lib. 3. contra Marcionem, quorum pro delictis oblatas cum canticis & floribus excipiebatur. Nullo igitur cogente, imò neque quoquam homine prouocante, Hierusalem adiit, sed solum vt loco simul & passioni appropinquaret, & Deo & patri obediens fieret vsque ad mortem crucis, Philip. 2. Et *uenisset Bethphage, ad montem Oliueti*. Die quidem præcedente, vt Ibaanes recenset, cap. 12. venerat Iesus in Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus: ibi quoque cæna exceptus fuerat, Mariha ministrante, Lazaro discumbente, & Maria caput & pedes Christi pretiosissimo vnguento perungente. Conuenerant autem Bethaniam permulti, non vt Iesum tantum, sed & Lazarum resuscitatum viderent. Distabat Bethania ab Hierusalem quindecim stadiis. Crastino igitur die Christus in Bethphage venit, viculum sacerdotibus addictum, medium inter Bethaniam & Hierosolymam, distantem nimirum à Bethania minus vno militari integro, seu octo stadiis. Porro viculus ille situs erat in monte Oliueti, ab oliuis frequentibus ibi, sic dictus: vnde ab oliua, aut oleo, sumpta similitudine, testatur suam in homines gratitudinem & beneficentiam. Oleum quippe tranquillitatem inducit, & ardores vlcera mitigat. Proinde antiquitus qui pacem indicabant, oliuæ ramum ferebāt. Sic & olim columba ramum oliuæ portans virentibus foliis ad Noë reuerfa est, in signum iræ Dei sedatæ, quæ exundante diluuiò innotuerat Genes. 8. Christus verò pacem vniuerso mundo attulit. Cum enim inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinẽ filij eius, Roman. 5. Ipse est pax nostra, Ephes. 2. Oleum luminis fomentum. Christus quoque lux est (Ioan. 8) nobis per ipsius mortem reuelata, cum in cruce velut in candelabro exaltatus est: vt qui mundum, seu Ecclesiam ingrederetur, ipsum verum lumen viderent. Oleum lassum corpus reficit. Sic Christus onere peccatorum grauatò releuat, quibus ait Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Oleum contra algores munit: Per Christum Spiritus s. calor donatur. Oleum dolores lenit: Gratia verò Christi saluari sumus, Ephes. 2. Roman. 7. Ioan. 1. Postremò oleum magis magisque se effundit, & effusum se prodit: Sic charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, Roman. 5. Et de plenitudine Christi nos omnes accepimus, Ioan. 1: Hæcque in nos effunditur sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, Psal. 132. Imò & sicut oleum effusum est nomen Christi, Cant. 1. Porro in Bethphage meritò subsistit Christus, mox consecrandus summus pontifex, & intraturus in san-

in sancta non manufacta, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, Hebr. 9. Hoc enim in viculo sacerdotes commorabantur, vt qui tandem ad offerenda sacrificia suis vicibus templum adibant.

*Tunc misit duos discipulos: ex hoc scilicet loco, vt testetur ab umbris, quæ per locum sacerdotibus legalibus addictum insinuantur, ad veritatem, quam in Hierusalem consummaturus erat, sacrificio corporis sui progredi oportere. E monte misit Oliueti: quia sicut oleum gratiam indicat, ita significatur non paruum illis esse collatam gratiam, qui vt prædicent & annuntient verbum mittuntur. Duos misit: Vt significetur in vtrumque populum mittendos esse qui verbū Dei annuntient, Galat. Aut in commendationem charitatis, quæ duobus mandatis impletur. Et hos mitti oportuit: quia nemo ritè verbi minister est, nisi legitima autoritate missus sit, Roman. 10. Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est. Quod hîc castellum legimus, in Græco *κωμην*, quod vicum sonat. Item quod dicitur contra vos, græcum sonat, ex aduerso vestrum. Est enim mons Sion, in quo sita est Hierosolyma ex aduerso montis Oliueti, è quo suos Christus demittebat, decurrente per ima torrente Cedron in valle Iosaphat. Vel secundum quosdam, per vicum intelligitur Hierusalem, quasi contemptus gratia sic vocaretur; vt quæ ciuitatis nomine indigna esset, cum ciuitas ciuium vnitas dicatur: ciues verò Hierosolymæ ab inuicem etiam penes ea quæ Messiam concernebant, discinderentur: Aut quòd illa vicus ceu castellum tantum esset, si ad Ecclesiam quam significabat, compararetur. Melius tamen videtur vicus aliquis vrbis adiacens fuisse, vt ferè sit in egregiis vrbibus: in quo huiusmodi essent genera animalium, quæ ferendis oneribus subseruirer. Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Duo hîc sunt in Christo admiranda: Vnum quòd absentia nouerit æquè atque præsentia: statim nimirum discipulos asinam alligatam & pullum inuenturos. Sic Ioan. 1. suam diuinitatem Nathanaeli manifestauit. d. Antequam Philippus vocaret te, cum esses sub ficu, vidi te. Simile ferè legimus de Samuele. Is enim vbi essent asinæ Cis Sauli indicauit, 1. Reg. 9. Sed quoniam idem demum industria rescire quis potest, alterum sequitur. Christus nimirum docet sibi secreta cordium nota esse, dum certò prædicat neminem prohibiturum voluntatē suam. Statim, inquit, inuenietis. Porro vt Beda annotat, asina ista deputata erat ad usum pauperum, qui propria non haberent iumenta; vnde licebat cum agasonis licentia eam soluere, ea vti, ea tamen lege vt ad suum locum reduceretur. Contemplatur hîc Chrysost. in Math. Christi humilitatem,*

qui cum esset rex regum & dominus dominantium, humile & contemptibile animal eligit; utique ut reges & magnates doceat non multiplicare sibi equos, Deut. 17. Sed quod nec in curribus aut equis, verum in nomine Domini Dei magnificamur, ut Psal. habet. *Soluite, ait, & adducite mihi: Utique ut asinae infidens Hierosolymam ingrediar. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.* Noluit piissimus Dominus invito iumeta auferri, licet esset dominus omnium: noluit mali occasionem præbere. Sed hoc ipso instruit principes & magnates, ne aliena bona recipiant, & subditos opprimant. alioquin videat quid Iezabeli & Achab contigerit, qui vineam Naboth rapuerunt, 3. Reg. 21. Sed heu principes infideles, socij furum, ait Isa. 1. His quoque verbis ostenditur, quibus armis defendatur Euangeliū. Non enim ait: *Cōcutite, rapite, & similia: sed, dicite. Gladius enim spiritus est verbum Dei, Ephes. 6. Viuis quoque est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, Heb. 4.* Sic Dominus Iesus spiritu oris sui & labiorum suorum interficiet impium. Sed & si totus mundus nobis qui vocati sumus, resistat, dicendū erit: Dominus his opus habet. Num satius est Deo magis obedire quàm hominibus? Act. 5. Si quando etiam asinum, id est, nosmet & corpus etiam nostrū recusans legis diuinæ onus perferre, ad Christum adducere voluerimus, semper id præ oculis sit: Dominus his opus habet. Seu caro, seu malus dæmon, seu mundus nos in præcipitium iniquitatum pertrahere nitatur, meminerimus quòd Deus non vult mortē peccatoris, Ezech. 18. Sed & Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.

Interim etiam obserua, quantæ virtutis sint verba Christi, quantæ sit maiestatis eius dominium. Non ait: *Dicite quia Dominus Nazareth, aut alterius loci, aut aliēius provincie: sed Dominus simpliciter, & per emphasim, cuius maiestatis nullus sit limes: qui magnus sit in caelo, terra, mari, & omnibus abyssis. Si & verba eius tantam vim habent, ut velut stupidos reddat eos, qui dicebāt, ut Marcus refert: Quid soluitis pullum? Nam statim ubi responderunt discipuli, Dominus his opus habet: non sciscitati sunt, quisnam dominus ille esset, sed discipulis cesserunt. Hic discant omnes Christiani, si qua disputatio excitetur in sacrosancta nostra mysteria, semper maiestatis & Domini Christi meminisse. Statim enim vi illius coacti cedent, ne reluctabuntur, sed se in obsequium verbi illius captiuitates credent.*

Si quem delectet sensus mysticus de asina & pullo cum cæteris circūstantiis, videat Chrysof. in Matth. Hieronym. in Matth. Cyrill. Alexandr. Hilarium, Anselmum, Origen. tom. 3.

rom. 3. homil. 14 in Matth. cap. 21: Bedam, Thomã in Matt. & reliquos. Applicatio est facilis.

2. Secundo, Prophete, Christi Iesu in Hierosolymam ingressum celebrem prædicentis, vaticinium & singularem Christi humilitatē, quã in hoc ostēdit, quod insidet aſello, ſtipatur abiectis hominibus, & puerorū acclamationem admittit. Sunt enim hæc opinione mūdi, qui nō sapit ea quæ Dei sunt (stultitia enim est illi) ludicra prorsus, potiùs quàm seria: fidelibus autē admiranda sunt mysteria. Significant enim ipsum à patre æterno destinatū, vt sarcinam peccatorū nostrorum tolleret, Ioan. 1. pauperibus & humilibus veritatē Euangelij annuntiaret, Isai. 61. 1. Cor. 1. doceret pauperum & humilium non displicere orationem. Prophetæ etenim omnes, quotquot de officio veri Messia: vnquam docuerūt, hæc primaria ipsius fore munia describere, vt Zach. 9. dum ait: *Eccc Rex tuus venit tibi iustus, Saluator, pauper, & humilis*; vt nimirum iustificet circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, Rom. 3. saluum faciat populum suum à peccatis eorum, Matth. 1. illius inopia diuites nos efficeret, 2. Cor. 8. & sua humilitate mederetur contritis corde, & humiles spiritu saluaret, Psal. 33. Hæc vt pijs fidelibus annuntiaret mysteria, hæc humili est vsus pompa, non quali solent Reges huius seculi, videlicet, phaleratis equis, curribus triumphalibus, seu arcuatis, equitum aut peditum millibus, & armorum aut tubarum strepitu. Voluit enim regni sui maiestatem collocare non in huiusmodi externis, quæ mundus admirari solet, sed in iustitia, gaudio, pace, & Spiritu sancto, Rom. 14. Neque enim mundanū venerat instituere regnum, Ioan. 18. sed celeste, ac spirituale. Atque idē contra Regum huius seculi morem, ante victoriam triumphum celebrat: Certa enim illi erat de hoste, quocum pugnaturus aduenerat, victoria: quod scilicet, per sanguinem crucis suæ expoliaret principatus ac potestates, ac palam traduceret, triumphans de illis in semetipso, Col. 2. *Hoc autem totū factū est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam (Zachariam cap. 9. & Isaiam cap. 62.) dicentem: Dicite filie Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedēs super asinam, & pullum filium asinæ.* Ideo hinc factō Prophetæ vaticinium adhibetur, ait Glossa, vt appareant omnia in Iesu completa esse, quæ de Christo prædicta erāt. Hinc Chrylost. in Matth. Interrogat, ait, Iudæi quis rex delatus super asinam intrauit Hierusalem. Et quia non habent alium qui sic venerit, necesse erit huac solum dicere regem ipsis per Prophetam promissum.

Sex igitur hic aduenientis Christi conditiones assignantur à Matthæo. 1. Quod sit præsens: Visibilis, Ioã. 1. Audiedus, Hebr. 1.

Christi humilitas.

Heb. 1. Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio: Manibus contrectandis, 1. Ioan. 1: Qui conuerteretur cum hominibus, Baruch 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: qui digito etiam monstratur à Ioãne, Ioan. 1. Ecce agnus Dei. Hoc satis indicat hoc verbum: *Ecce*. Sic Isa. 52. Ecce qui loquebar adsum. 2. Quòd sit Rex, cuius varij honoris tituli panduntur: quòd sit rex gloriæ, Psal. Ipse est rex gloriæ: Rex pacis & veritatis, Ezech. 37: Rex totius potestatis, Esther 19: Rex sapientiæ, Hier. 23: Rex, proinde honorandus, 2. Timoth. 2: Rex qui potestatem habet super corpus & animã, & ideo timendus, Apoc. 19. Matt. 10. Hoc indicat hoc verbum, Rex. 3. Quòd sit propinquus, vt qui sit non alienigena vt Herodes. Prohibetur enim Deuter. 17. alterius gentis hominem regem facere: sed ex Iudæis secundum carnem, Ioan. 4. Quia salus ex Iudæis est. Sed neq; legi aduersarius: qui non venit legem soluere sed adimplere, Galat. 4. Misit enim Deus filium suum factum sub lege. Hoc indicat dictio *iuu*. 4. Quòd adueniat nō vt exactiones, bella, aut seditiones imponat, sed in vtilitatem omnem, vt diabolus à principatu deiciat, Ioan. 12: Vt regnum peccati destruat, Ioan. 1: Regnum cæleste conferat, Luc. 12: Vt homines Deo reconciliet, Rom. 5: Vt homines Spiritus s. gratia illuminet, Ioan. 1. & 14: Vt que det animam suam in redemptionem pro multis, Ioã. 10: & Matth. 20. Hoc indicant hæc Prophetæ verba: *Veni tibi*. 5. Quòd neq; vi armorum aut furore quodam percitus accedat, vt hominum peccata vindicet: aut sicut olim in eos serpentes, pestem, bellum, aut famem immittat, quin potius vt misereatur, & cōdonet hominibus suas iniquitates. Hoc indicat verbum: *mansuetus*. Venit enim mansuetus ad impropria, Isa. 53. Qui cum malediceretur, non maledicebat: Venit ad tormenta & verbera, Isa. 50. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus me: Venit etiam vsque ad mortem, Hier. 11. Ego quasi agnus, &c. Et nunc quidem ad peccata, vt qui patienter agat pro nobis. 6. Humilitatis deniq; præ se fert exemplum. Non enim, ait Chrysoft. in Matth. sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, nec ascendit super feruidum equum, discordiæ amatorem, & litis, sed super asinam tranquillitatis & pacis amicam. Hoc indicant hæc verba: *Sedens super asinam & super pullum s. rium subingulis*.

Discipulorum
obediencia.

3. Tertio, Prompta discipulorum obedientiam, qua Christo parent, dicenti: *ite in castellum, quod contra vos est*, ipsam nimirum Hierosolymam significans, quam essent in negotio prædicationis Euangelij experturi quidem rebellem ac refractariam, sicut ante ipsos omnes Prophetæ fuerant, quot
quot

quot misisset, vt superstitionē, idololatriam, & impios cultus dānarent, quos non antē persequi destitit, quā crudelibus supplicis extinxisset, vt patet in Isaia, Hieremia, & aliis: quū falsos prophetas & adulatores maximi faceret: ne autem raliū exemplo terrentur Apostoli, pollicetur fugam. *Et in nemis asinam & pullum alligatum cum ea.* Isthoc vaticinio significans fore, vt prædicatio Euangelij promptos ac beneuolos sit inuentura auditores, Isa. 55. Quomodo descendit imber & nix de celo, &c. sic erit verbum meum, &c. Ostendit autem verbum Dei nos esse asinos, id est, peccato & maledictioni obnoxios, alligatos, & captiuos à diabolo ad suam ipsius voluntatem, nec solui posse, vel sola obedientia legis, vel viribus liberi arbitrij. Si enim ex iis esset iustitia, ergo gratis Christus mortuus esset: sed per Christum, quem nobis annuntiat prædicatio Euangelij, quod hic exprimit, dicens: *Soluite, & adducite mihi.* Est enim hoc verbum reconciliationis, 2. ad Cor. 6. quod posuit Christus nō in Apostolis tantū, sed in omnibus Prædicatoribus, Pastoribus, Sacerdotibus: quorum est autoritate clauium, & legitimo sacramētorum vsu soluere peccatores à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Vtinam in tanta Reipub. Christianæ perturbatione, qua sæuissimus magna tyrannide grassatur dæmon, hanc Christi vocem sic audiant, vt obtemperent quotquot sunt Episcopi, Pastores, & Prædicatores: quos videlicet posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisiuit Christus sanguine suo, Act. 20. vt Apostolorum exemplo fortiter resistent gladio spiritus verbi Dei aduersariis potestatis, hæreticis, & perfidis, qui miseris modis Ecclesiam scindunt & violant, fideles erroribus & peccatis onerant, cū contra eos liberare, & ad Christum (vt hanc asinam Apostoli) adducere deberent: Tunc enim verè huic Christi præcepto obtemperant ministri Christi, quando eos non ad se, sed ad Christum adducunt. hoc fit dum postposito proprio quæstu, Christi gloriam, fidei promotionem & animarum salutem quærent. Tunc enim verè ad Christum adducunt, eiusque præcepto satisfaciunt, quando cum Paulo dicunt: Non quæro vestra, sed vos. De obedientia ergo discipulorū sic habet textus: *Euntes autem discipuli fecerunt sicut,* &c. Quibus verbis obsequium & reuerentiam Christo exhibitam recenset Euangelista. Primò quidem ex parte discipulorum. Deinde ex parte turbæ præcedētis & subsequētis. Discipuli quidem nihil cunctati sunt, nihil sciscitati, sed statim viam capessentes, inunctum sibi negotium peregerunt: Suo vtique nos exemplo docentes nihil morari præcipiente Christo aut Ecclesia: nō in quæstiones effluere. Quis enim seruus à Do-

à Domino quærat, cur aliquid iubeat? Imitemur puerū Samuelem, qui noctu sibi apparente Domino: Loquere, inquit, Domine, quoniam audit seruus tuus. Imitemur & Psal. dicentes cum ipso: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Porro Marcus latius exprimit quid fecerint discipuli. Inuenerunt, ait, pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluetibus illis pullum, inquit Lucas, dixit Dominus eius ad illos: Quid soluitis pullum? At illi dixerūt: quia Dominus eum necessarium habet. Et statim ait Marcus, dimiserunt eis pullum. Non permitterent, ait Theophylact. animalia ducere, nisi diuina virtus eis incumberet, cogens illos; præsertim cum rustici & coloni essent.

Discipuli quoque non tantum Christo morem gerunt, sed & magnam honoris reuerentiam exhibent. *Imposuerunt enim super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Nimirum vt mysterium istud contemplerur profundius, nihil subterfugerunt discipuli, quo minus & Iudæo & Gentili Euangeliū viamque veritatis annuntiarent: sed sicut asinæ & pullo propria etiam vestimenta imposuerūt, ita propria corpora, quibus anima eorum tegebatur, morti exposuerūt pro Christo.

Pio igitur hoc discipulorum & istius turbæ, de quo infra dicerur, officio, quibus Dei cultus agnoscat, ostenditur
 1. Obedientia: Euntes enim discipuli fecerunt, &c. Melior quippe est obedientia quàm victimæ, vt in causa Saulis docuit Dominus, 1. Reg. 15. Hinc & Saul abiectus est, quod præcipiente Deo, vt deleret Amalech, eidem pepercerit, 1. Regum 28. E contra Abrahæ obedientia commèdatur, qui proprium etiam filium accepto mandato mactare paratus fuerit, Genes. 22. Rubenitarum, & Gaditarum, nec non & mediæ tribus Manasse, ad iussa Iosue paratissima, Iosue 1. Item Rechabitarum, qui mandato patris nec vinum biberunt, nec vineas coluerunt, nec domos ædificauerunt, Ierem. 35. Idcirco Dominus, Si vis ad vitam ingredi, inquit, serua mandata. Deinde pietatis in proximis officio, vt si quas animas errantes pereperimus, ad rectum tramitem reducamus. Hoc nimirum indicat Apostolorum factū. Nam cum asinam & pullum adduxerunt, nos lasciuientes, & in morem asinæ sarcina iniquitatum onustus peccatores ad Christū adducere, & per suas exhortationes illi submittere debere docuerunt. Vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo. Merces vtiq; vberissima pro charitate hac rependitur: Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Tertio bonæ conuersationis exemplo. Hoc enim
 per

per vestimenta, quibus quis operitur, indicatur. Sic etiã peccata vestimenta dicuntur apud Psal. Operiantur velut diploide confusione sua. Sic Deus amictus lumine sicut vestimento. Externis enim patent opera & vita hominis, sicut & exterius apparent indumenta. Ea ergo asinæ & pullo imponuntur, vt in eis decentiùs Christus sedeat, quando pia nostra conuersatione peccatores per imitationem fulciuntur, & bonis operibus decorantur. Nec enim satis est peccatorem ab errore viæ suæ recedere, sed & eum iudiciũ facere oportet, Ezech. 18. & 33. Recedit autem ab errore viæ suæ, cum solutus ad Christũ ducitur: Iustitiam autem facit, cum discipulorum Christi vestimentis, id est, pia conuersatione per imitationem operitur. Sed & omnia pro Christo exponi debere vestimenta ista indicant: quod utiq; Dei vero cultui tantò necessarium est, quantò per eum Deo nos vniri & mundo renuntiare oportet, vt docet Tertull. lib. de corona milit. Nam velut vestimenta corpori accidunt, & illius causa instituta sunt, sic temporalia, &c. Porro sicut Apostoli vestimenta exponunt, sic & nos omnia in discrimen pro Christo exponere debemus, etiam vt fratres luctemur.

4 Quartò, Populi noui Regis aduentu gloriãtis gaudium, quod ostendebat, plateas vestibus sternens, arborum ramos spargens, & acclamatione cantici, O sanna filio Dauid: Sic quippe sequitur in textu: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via.* Quibus verbis ex parte quoque turbæ pietatis obsequium Christo exhibitum exprimitur. Quod enim præ manibus habent, offerunt: si plura liceret, darent. Etiam pedibus asinæ calcanda hæc submitunt, hoc officio sese Christo offerentes, & deuotionem cordis sui exponentes. Porro hoc factò deponenda esse vestimenta obuia Christo, & expoliandum veterem hominem, & induendum nouum præsignabant, Collos. 3. *Alij cadebant ramos de arboribus:* quibus mons Oliueti abundabat, dictus scilicet ab oliuis ibi frequẽtibz: & *sternebant in via.* Quo factò Christum mortis victorem declarabant. Ramus enim palmæ signum victoriæ est. Vnde sicut palma etiam superposito ingenti pondere non flectitur, ita nec Christus etiam insurgentibus in eum Iudæis morte & peccato minimè vinceretur. Sic Christum quoque agnoscere victorem & triumphatorem opus est eum qui Dei se fideli obsequio deuouet. Hęc enim est vita æterna, vt cognoscant te solum, &c. Ioan. 17. Hoc turbæ istæ protestantur & in ramis oliuarum, & palmarum, & in cantico, O sanna filio Dauid, &c. Ephes. 5. Impleamini omnes Spiritu s. loquentes vobismetipsis in hymnis & psalmis, & canticis spiritualibus, gratias agentes Deo, &c. Docebant quoque piis operibus
fidem

fidem nostram illustrari debere. Ramis enim viam Christo sternunt, qui operibus & moribus Christo dignis fidem suam exornant. Fructus bonae arboris describit Paulus, Galat. 5: e contra statuens malae arboris, nimirum incredulitatis gemina. Turba autem qua praecedebant & qua sequebantur, clamabant dicentes: *Osanna filio David.* Clamore cordis tui testatur affectum. Symmachus, *Osanna verit, Obsecro Domine, salutem imparti nobis, vel filio David.* Hac ergo confessione fideles isti populi agnoscunt. 1 Rationem cur Christum aduenerit, nimirum ut saluet, cum saluati ab eo exoptant: 2 Eius humanitatis arcanum, cum eum filium David nuncupant. Nam & Dauidi promissus fuerat Christus, isque eius filius secundum carnem nuncupatus, Luc. 1. Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. 3 Eius gloriae celebrationem.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Nec enim in nomine suo venit, sed patris: nec propriam gloriam, sed patris gloriam quaesuit, Ioan. 5. Ego veni in nomine patris mei, & non recipistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Hoc & qui praecedebant, & qui sequebantur, vnanimes clamabant, & qui eorum qui Christi incarnationem praecesserunt, & qui eam securi sunt, vna est fides, quamvis sacramenta pro temporum varietate diuersa fuerint; vnica tamen omnium est significatio, & finis vnus legis Christus ad iustitiam omni credenti, Rom. 10. Lucas vero addit: *Pax in caelo, & gloria in excelsis.* Perspicue enim docent, inquit Hieron. in Matth. aduentum Domini in carnem, non solum humani generis in terra, sed & angelorum in caelis esse salutem & gloriam: quia dum nos redempti ad superna reducimur, eorum perfectus numerus qui in sathana fuerat minoratus, impletur. Venit enim Christus, ait Paulus Ephes. 1. instaurare omnia quae in caelis, & quae in terra sunt. Marcus autem clamorem hunc populi sic concludit: *Hosiah-ana in excelsis.* q. d. Non quaerimus salutem in terra, qualem nobis praestiterunt, Ioseph, Moses, Iosue, & alij suo tempore dicti saluatores: sed in caelo, id est, quae nos caelo reponat, & aeternae beatitudinis participes reddat. Non quaerimus terram fluentem lac & mel: non etipi a terrenis hostibus, sed sic ab insidijs omnium inimicorum nostrorum spiritualium eximi, ut triumphemus in excelsis. Christum ergo ad futuram, imo proximam quam operaturus erat mundi salutem, & ut Israel ab omnibus iniquitatibus suis redimat, prouocare videntur. Quae omnia si, ut oportet, penitus inspiciamus, doctrinam suauissimam continere deprehendemus, scilicet, quo pacto eos esse affectos oporteat, qui Christum per passionem in caelestem Hierusalem ingredientem imitari velint, perfecta, sci-

cta, scilicet fidei, quæ corde creditur, confessione, eleemo-
 synarum largitione, bonorum operum fructibus, quibus
 ad pietatem prouocari proximus solet. hinc tanto studio
 semper ad imitationē sui fideles sunt hortati Apostoli. Imita-
 tores mei estote, sicut & ego Christi, 1. Cor. 11. Phil. 3.
 Sunt autem in Apostolis potissimum imitanda fidei con-
 stantia & integritas, quam ad extremum vsq; spiritum con-
 seruarunt, charitas, qua se totos impenderunt, & superim-
 penderunt pro Christo & Ecclesia; & spes, quam habebāt si-
 cut anchoram animæ firmam ac tutam, incedentem vsque
 ad interiora velaminis, Hebr. 6. Quia enim, teste Christo,
 arcta, & angusta est via, quæ ducit ad cælum, atque adeo
 multis salebris ac scrupulis, vt caro indicat, obnoxia, vt fa-
 cile primo intuitu percettatur humana ratio, præsertim ea
 quæ delictis & voluptatibus affluerit (quanquã longè sen-
 ticosior & difficilior sit ea, quæ ad perditionem ducit) infir-
 mitati nostræ hoc concedit Christus, vt Sanctorum virtutes
 (quæ ipsius quoque dona sunt) imitemur, vt hac ratione de-
 speratio adimatur, quam carnis infirmitas suggerere solet,
 dum vident Sanctos, Prophetas, Martyres, Apostolos simili
 infirmitate circumdatos, ex spiritu Christi ipsos inhabitante,
 potuisse patriam, amicos, parentes, fortunam, corpus, &
 vitâ pro Christo cõtemnere. hoc enim verè est illi vestimen-
 ta prosternere, quemadmodũ & ramorũ projectio parandæ
 per Christum victoriæ contra mortem, mundum, ac diabo-
 lum erat symbolum: quo etiã testabantur eum esse Chri-
 stum, qui per sanguinem crucis pacificaret ea, quæ in cælis,
 & quæ in terris sunt, Col. 1. Cæterum, vt ferè semper glo-
 riam sequitur inuidia, ita Christo hic obtigit. Ex hac enim
 pompa impij Pontifices, Pharisei, & Scribæ maiorem in-
 uidiæ & odij occasionem conceperunt, non tam erga Chri-
 stum, quàm erga discipulos, populum ac pueros, à quibus
 Christo hic exhibetur triumphus. Displicet enim semper
 diabolo, & eius ministris, hæreticis, cultus qui vèro Deo
 exhibetur, maximè si prima fronte non videatur expresso
 Dei verbo præscriptus: sed dicant, oro, quibus scripturis hic
 cultus populo erat præceptus? haud dubiè nullis, placuit ta-
 men Christo: ergo malè damnantur illæ cæremonia, quas
 affectu quodam pietatis exhibent fideles ad fidei suæ prote-
 stationem: neque sunt vlla ratione hæreticorum, qui sese of-
 fendi conqueruntur, causa reiiciendæ. Obserua quod Eu-
 angelium hocce prodit Christum maximè omnium applau-
 su exceptum esse, & tandem tamen eadem turba à Pharisæis
 excitata, Christum crucifigi postulauit (quod Ecclesia vtroq;
 tum ingressus Christi, tum passionis hodie lecto Euangelio,

*Arcta via
 quæ ducit ad
 cælum.*

ob oculos fidelium statuit) poterit nonnihil differi per fidelem concionatorem de fortunæ mobilitate. Ea enim adeo varia est, vt quos extulit, statim deprimat; & quos depressit, statim erigat.

Valet ima summis

Murare, & insignem extenuat.

Hoc satis in suo Ecclesiaste Salomon docuit. Nam cum omnibus bonis affluxisset, omnibus quæ sub sole concupisci possunt delitiis abundasset, tandem concludit: Vidi quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Eccl. 1. & vlt. Hoc in Troad. Seneca his verbis testatur: Quanti casus humana rotant? Minus in paruis furiosa ferit. Audi & quid Solon Cræso Lydorum regi suas gazas ostentanti dixerit, vt recenset Theodoretus lib. affect. Græc. serm. de homine. O Cræse, inquit, homo est quædam maxima miseria. His verbis fortunæ varietatem obiectans, quam Cræsus tandem etiam igni à Cyro expositus agnouit, vt Iustinus libr. 1. suæ histor. & Herodotus narrant. Habes etiam Pompeium, Iulium Cæsarem, Alexandrum Macedonem, Annibalem, post summam rerum occisos miserè & interemptos. Nec tantum exempla è scripturis gentium depropi possunt, sed & è sacris Bibliis. Adonibezec Chanaanorum Rex à Iosue captus, amputatis manuum pedumque digitis, miserimam tandem vitam duxit: qui prius 70. Reges vicinarum urbium interemerat, cum longo eos tempore veluti canes sub mensa ad pedes suos pauisset. Præsto etiam sunt Sedechiæ Regis, 4. Regum 25. Iezabelis, 4. Reg. 9. Antiochi, 2. Machab. 9. Herodis, Act. 13. aliorumque exempla permulta, ex quibus concludere possumus, non siddendum esse mundo, aut fortunæ, sed soli Deo. In quo qui confidit, bene mœnia struxit.

EPILOGVS.

Euangelium hodiernum, quod ob id Dominica prima Aduentus prælectum fuit, quod habeamus in eo & vaticiniū de Messia aduentu secundū carnem, & impletionem eiusdem, hæc Dominica palmarum tam ob causam nobis prælegitur, quod describitur in eo Domini ingressus prope ante Pascha & passionem eius factus sit. quodque eo tempore in se sanguinem suum pro nobis effusus, ac mortuus venerit Hierosolymam, idque voluntariè & vltro, iuxta isaie vaticiniū: atque hoc ipsum pulchrè etiam Zacharias de Messia prædixit. Quum enim descripsisset modum aduentus eius, quod nempe venturus esset rex pauper, iustusque & seruator: mox ad ipsum (quasi tum præsens fuisset) conuersi sermonem, sic inquit: Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Nec tantum voluit se ostendere verum Messiam hoc facto, verum etiam aduonbrauit se venisse saluatum vtrunque populum per asinam & pullum significatum.

FERIA

595

FERIA SECUNDA POST DO-
MINICAM PALMARVM,
EPISTOLA.

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, &c. Finis Isa. 50.
Epistolæ: *Speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.*

Est hæc Epistola quædam *ὁμολογίας* passionis Christi, quæ non futura prædicere, sed gesta narrare videtur. Sustinet autem personam Christi Propheta, tria potissimum agens.

1. Primò, Proponit Christum scilicet ex singulari Patris voluntate obtulisse pro salute generis humani, quia sacrificia, holocausta & oblationes Patri iam non placuerunt. Impossibile enim erat sanguine taurorum aut hircorum deleri peccata, Hebr. 10. Idè inquit, *Dominus aperuit mihi aurem, vel, ut est Psalm. 39. corpus aptavit mihi. Ego autem non contradico, & reversum non abij.* Siquidem in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus. In mysterio namque redemptionis humanæ peragendo, eadem totius trinitatis fuit voluntas, licet filius tempore passionis in agonia, & sudore sanguineo constitutus, petere videbatur, ut, si possibile esset, transfiret ab eo calix. Erat enim ea petitio insinuatio tantum humanæ imbecillitatis, quam mox ratio superior correxit, dum ait: Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Nihil enim æquè semper optavit filius, ac redemptionem, & salutem generis humani, quam nulla veterum sacrificiorum hostia comparare potuit, sed sola agni immaculati Christi, quam pro nobis iuxta Patris voluntatem in ara crucis obrulit, ut esset redemptio & propitiatio pro peccatis, non pro nostris tantum, ut loquitur Ioann. cap. 2. sed pro totius mundi.

2. Secundò, Ut singularem filij Dei erga nos dilectionem & amorem insinuaret, ostendit, semotis metaphoris, figuris & ænigmatibus, quomodo filius Dei semetipsum exhibuerit Deo Patri pro nobis, &c. Ephes. 2. oblationem & hostiam, in odorem suavitatis, dicens: *Corpus meum dedi percussentibus, genus meas vellentibus, & faciem non auerti ab increpantibus & conspuentibus.* O magnam & verè stupendam Dei erga nos misericordiam & benignitatem! qua, quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: qua denique ipse Filius, ut habet Apostolus Apoc. 1. nos dilexit, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo, dum languores nostros ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ viuamus, 1. Pet. 2. dum corpus suum sacrosanctum, quod peccatum non fecit, quod Spiritus sancti operatione Virgo concepit & peperit, & in ore cuius non est in-

*Stupenda Dei
erga nos mi-
sericordia &
benignitas.*

uentum mendacium. Ita (vt iustitiæ aeterno Patri pro nobis satisfaceret) ludibrio permisit impiorum, vt non esset species ei, neque decôr, vt esset despectus & nouissimus virorum, vt quasi ouis ad occisionem duceretur, & quasi agnus coram tundente se, obmutesceret, *Isai. 53.* Perpendant hæc mysteria fideles, & desinant tandem in temetipsis perpetracione scelerum rursus crucifigere Filium Dei, *Heb. 6.*

3 Tertiò, Describit Christi tum innocentiam, quòd scilicet nullo suo merito talibus iniurijs, calūnijs, pœnis, & supplicijs sit affectus, sed tantum, quòd Pater posuerit in eo iniquitates omnium nostrum, vt quasi conterere ipsum voluisse videretur, *Isaiæ. 53.* Id enim iudicabat mundus, dicens: Sperauit in Deo, liberet eum si vult. Si est filius Dei, descendat de cruce, *Mat. 27.* quibus calumnijs hic respondet Christus: *Dominus Deus Pater est auxiliator meus*, scilicet, secundum humanitatem, quæ auxiliatore eguit. Vnde ipsi in agonia constituto aderat Angelus confortans, *Luc. 22.* licet secundum diuinitatē esset Patri æqualis. Ergo quia nulla est in me iniquitas, tanta est conscientie puritas & innocentia, & ideo non sum cōfusus. Remansi enim inter mortuos libera vinculis, scilicet damnationis. Imò mortem ipsam moriendo destruxi, *1. Corint. 15.* *Osee 9.* Ero mors tua, ô mors, &c. Hac fiducia securus posui faciem meam, vt petram durissimam, vt plagis & verberibus non cederet; & atteri me passus sum propter scelera vestra, *Isa. 53.* non meo merito, si accusare me aduersarius voluerit, accedat ad me, stemus simul. Neque enim cedam peccati conscientia impulsus. Tuetur enim innocentiam meam auxiliator meus. Ac proinde qui me condemnare voluerunt, quasi vestimentum conterentur, & tinea comedet eos, id est, perpetua eos manebit miseria. tum etiam insignem misericordiam, qua nunquam potest obliuisci misereri. Siquidem omnium iniuriarum quasi immemor, post tanta in ipsum commissa scelera, & flagitia, vocat ad gratiam remissionis: nolens, vt ait Apostolus Petrus, *epist. 1. cap. 3.* aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Ait enim per Prophetam, *Quis ex vobis timens Dominum. & audiens vocem serui eius?* quasi dicat: Si ita vt me Dei Filium sitis persecuti, iniuria affeceritis, odio habueritis gratum, & in crucem adegeritis, non est quòd desperetis tamen, pœnitimini, credite Euangelio, baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini, *Act. 2.* Hoc est enim audire vocem serui eius. Sic enim fiet, vt si in tenebris ambulauerit, iam lumen recipiat fidei & veritatis, ac translatus de potestate tenebrarum, transferatur in regnum filij dilectionis Dei, ad *Coloss. 1.* Si tamen speret in nomine Domini, & innitatur

Innocentia
Christi.

Insignis Christi
miseri-
cordia.

innitatur super Dominum Deum suum: hoc est, fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineat. Hebr. 3.

EPILOGVS.

Epistola præfens varicinium est de passione ac morte Christi, ad quam voluntariè ex singulari eius genit humanam amore, se obtulit hostiam & oblationem Dei patri in odorem suauitatis, Ephes. 5. Huius singulares aliquot species exprimit hic Propheta Evangelicum in persona Christi. Quibus clementissimæ matris imaginè in se expressit Christus; quæ dum patrem inuatum videt, & filius verbera diuæ minitantem. mox ex materno affectu occurrit, manus interponit ac verbera ea pro filio recipit. Sic Christus mater pulchra dilectionis, Eccles. 24. sciens Patrem suum generi humano grauiter offensum, atque ob peccatum iam tam flagella parantem. in paterna humero, imò toto suo sacratissimo corpore intercessit & occurrit, Patremquæ placatum reddidit, dum suo linore nos sanauit. Ex quo factò satù etiã innotuit, quã innotuit sit peccatum, pro cuius expiatione tam diu passus est Filius Dei & Dei apparet iustitia, quæ maluit Filium occidi, quã in peccatum manere multum: & misericordia resurget, quæ sic compassus est generi humano, ut pro ipsius salute unigenitum daret, Rom. 5. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam si cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.

FERIA SECUNDA POST DOMINICAM PALM. EVANGELIUM.

Et factum est, cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis, &c. Finis Euangelij: Et exinde quærebatur opportunitatem ut eum traderet.

HOC exordio Matthæus admonet omnium quæ hæcenus Christus & docuit & fecit. Prædicauerat Euangelium, beneficiis inuitarat omnes, Apostolos aduersus afflictiones imminuentes confirmauerat, impios iudicij comminatione terruerat. Omnes, inquit, sermones hos consummauerat, ut veraciter dicere potuerit: Opus consummavi quod dedisti mihi, Ioan. 17. Ne ergo planè deiretenuer, cum mox viderent Dominum suum rapi ad ignominiosum supplicium, tandem palam ipsis aperit diem ac modum mortis suæ, cuius mentionem inculcat animis discipulorum, ne cum eam viderent, velut ad rem prorsus inexpectatam sic expauescerent, ut penitus desponderent animum, præsertim cum intelligerent Iesum vltro venisse ad mortem, quam alioqui licuisset effugere; neque prius occidi potuisse, quàm venisset ille dies, quem ipse suæ morti præfinerat. Is autem erat dies Paschæ, Luc. 22: Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Quod ergo nesciebant, hoc aperit quod scilicet in illa Paschali vespera tradendus, & sequenti die crucifigendus

cifigendus esset. Quia ergo satis sciebāt Apostoli Christum legum esse obseruantissimum, nec certas habere ēdes, in quibus iuxta legis decretum agnum comederent, præbent se tamen illi morigeros, & quo loco parari velint, rogant. *Vbi vis, inquit, paremus tibi comedere Pascha:* Chrysof. Benè dicunt: *Vbi vis?* Quia in tota vita sua non fuit ei certa mansio in mūdo, Matth. 8. Vulpes foueas habent, &c. Et 2. Cor. 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cū diues esset, propter nos egenus factus est, &c. Rabanus: Audiant qui ædificandarum domorum curam habent, quos marmorum columnarū deflectant. Itaque varia proponit hoc Euangelium.

I Primò, Christus vt suam natiuitatem, & vitam voluit esse in summa humilitate & penuria; (in stabulo enim nascitur: tota vita non habet vbi caput reclinet, Luc. 2. & 9. 1. ad Corinth. 8. cū diues esset, &c.) eandem in extremam mortis horam seruare voluit; vt exemplo doceret suos ab omni auaritia, superbia, fastu & ambitione quàm alienissimos esse debere: et si interim non obscure significet se cæli ac terræ dominum esse, vt pote cui omnia ad arbitrium parata sint. Nam & Petrum & Ioānem ad ignotum hominem destinat, quæ fieri velit tanquam Dominus imperat, vt qui omnium corda arbitrio suo regeret, sciens nihil sibi denegandum. Ecce, inquit, introeuntibus vobis ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat: Incerta & præsentia prædicit, quo diuinitatem certius agnoscant, Luc. 22. Et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi magister. Neque verò ad diuites, Scribas, Phariseos, Principes & Sacerdotes, Apostolos mittit, nō quòd & ipsorū non posset rebelles inflectere quòd vellet voluntates: sed ne cuiquam inuito vim facere gratia putaretur, eum eligit, quem voluntarium fore præsciuit, id est, humilem & abiectum, nullo famulorum strepitu stipatum, sed qui ipse lagenam aquæ humeris gestaret: vnde eius humilem conditionem agnoscere licet. Talibus enim delectatur Christus, qui humili sint & contito corde, non reicientes gratiā Dei, sed eam humeris in vtilitatem proximorum ferētes: Parati etiam omnia discrimina ipsorum causa ferre. hi demum hospitio & conuiuio Christum excipere merentur, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonē meū seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, Ioā. 14. Claret hunc discipulum Iesu fuisse, sed occultum propter metum Iudæorum, Ioan. 12. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, ne de synagoga fierent. Chrysof. Diuinitus inspiratus, multorū odia vnus amore contēpsit.

Tempus

Tempus meum, ab æterno præordinatum, in lege præfiguratum, amore salutis hominum desideratum, prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis.

2 Secundò, Magnam verbi Dei potentiam cõmendat, quæ potuit facilè huic, cui destinantur Apostoli, adimere omnem imminentis periculi metum & timorem. Siquidem dederat Pontifices & Pharisei mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum, Ioan. 11. Vnde parum tutum videbatur eum hospitio admittere, qui esset & Ecclesiasticus, & ciuilibus magistratus autoritate proscribitus. Sed hæc est Christi, eiusque, quam inspirat gratis, fidei virtus & enetgia, vt famæ & fortunæ bonis neglectis, in solam Dei Patris voluntatem respiciat, eam sequatur & obtemperet, etiã cum capitis periculo, sciens, absque summa illius prouidentia, & voluntate accidere nihil posse: quare sese huic promptissimè subiicit. Contrà verò, hoc fidei lumine destituta ratio, & prudentia carnis, neglectis Dei promissionibus, præsentia tantum, & quæ ante pedes sunt, cernit, horum consideratione mouetur: nec Deo, cui omnium rerum & humanarum & diuinarum cura est, fidit aut credit: ita terrenis affixus, vt cælestium consideratione non magis quàm brutum moueatur.

3 Tertio, Vt in hoc viro significaret, qualem fidelium oporteat esse fidem & obedientiam erga Deum, eiusque verbum, prædicat qualem ipsum sint experturi Apostoli: scilicet, facilem, & promptum. Ipse, inquit, ostendet vobis cenaculum grande stratum, & ibi parate. Verè magnum, in quo tam magnifica facta, Phasæ vetus terminatū, nouum inchoatum: & tandem Spiritus s. missus discipulis, Act. 2. Charitas enim quæ diffusa est in cordibus fidelium, non sibi, sed Christo, & proximis omnia impendit. Non enim quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi; illi totum cenaculum cordis sternit, vt alium nullum hospitem admittat. Apostolos verbi Dei ministros, & prædicatores patitur verbo fidei exornare conscientiam, illustrare cognitione veritatis, amore cælestium bonorum accendere. Submittit enim intellectum in obsequiū fidei. Neque enim alia ratione Christus recipitur, quàm fide, spe, charitate, & obedientia, qua verbo creditur, promissiones expectantur, proximus propter Deum diligitur, & mandatis eius obtemperatur. Hæc qui ex spiritu fidei fecerit, iustus est, non imaginaria tantum imputatione, sed verè: iuxta illud Ioannis: Qui facit iustitiam, iustus est: habet & Christum habitantem per fidem & charitatem in corde, vt ait Apostolus ad Ephes. 3. Cuius potentia in omnibus tentationibus defenditur & liberatur, etiã si maximè insidietur hostis, est tanquàm leo circumeat quærens vt deuoret.

*Fidelium fides
& obedientia
in Deum,
qualis.*

4 Quartò, Proponit singularem Christi in peragendo redemptionis humanæ myfterio promptitudinem, qua sese æterno Patri obtulit *ἑῷ*, & pretiū pro peccatis nostris, dum testatur Euangelista, ipsum facta hora discubuisse, & duodecim Apostolos cum eo. Ex quo claret alios discipulos seorsum in alia mensa comedisse, quia cœnaculum grande paratum ad hoc; sed seorsum ipse cum discipulis duodecim, quos ut selectos voluit sacrosancti cœuij testes esse: nec Iudam dedignatus est huius conuiuij cōsortio, quo inexhausta Dei benignitas, & inaudita proditoris manifestatur perversitas. Quibus etiam non obscure diuinam Christi potentiam declarat, qua effecit, ut etiam si tam ciuiles quàm Ecclesiastici magistratus contra eum cōspirassent, non potuerunt tamen, nisi dum vellet ipse, quod cupiebant perficere. Ex quo sequitur, irritos esse omnes conatus mundi, carnis, diaboli, & impiorum, quos solent cōtra fideles & electos intentare, nisi diuina permissione fulciantur: quæ tamen ad eorum salutem patitur subinde ipsos cruci succumbere: quia non nisi per varias tribulationes vult ipsos intrare in regnum cœlorum, sicut & vnigenitum suum cruci subiecit, ut esset fidelibus exemplum & regula. Atque hoc erat, quod tanto desiderio sitire sese testatur Christus, dum ait: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. sed dico vobis. quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Quid enim aliud Christum in mortem pro nobis adegit, nisi ineffabilis charitas, qua dilexit nos, etiam cū inimici essemus? ad quam cū vbique nos hortetur, tum maximè hisce verbis, quibus in vltima cœna non Apostolos tantum, sed nos omnes instruit, atque ad hanc charitatis vicissitudinem hortatur, quod in ea vitæ Christianæ perfectio & consummatio esset constituta: neq; alia via, quàm per hanc, esset acquirenda felicitas æterna. Desiderat ergo primum typicum Phase manducare, & sic sue passionis mysteria declarare, ut antiqui Phase probator existat, & ad suæ dispositionis figuram pertinuisse demonstrat, dum adueniente veritate ostendit vmbra cessare. Et quia vltimum vale, ideo multum desiderabile. q. d. Hoc affirmo vobis, post hæc non comedam vobiscum hoc Pascha, iuxta legis prescriptum, sed aliud Pascha perfectius iuxta spiritum perficietur in regno Dei. Quibus verbis, inquit Beda, Christus prohibet agnum Paschalem vitrà carnaliter exhiberi, asserens se nequaquam Mosaicum vitrà celebraturum. Sic calicem sumens, gratias egit pro legalium consummatione, & noui testamenti inchoatione. Post hoc non bibam de fructu vitis, iuxta carnis necessitatem, sed mox aderit regnum Dei, Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.

Nam

Phase veteris terminus.

Nam post resurrectionem comedit & bibit cum discipulis, Act. 10. Dedit cum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.

EPILOGVS.

Cum Iesus multis variisque sermonibus animos suorum aduersus afflictiones imminentes ne plane descerentur cum mox viderent Dominum suum rapti ad ignominiosum supplicium, tandem palam ipsis aperit diem ac modum mortis, cuius mentionem inculcat animis discipulorum, ne quum eam viderent, velut ad rem prorsus inexpectatam sic expanescerent, vt penitus desponderent animum. præsertim cum intelligerent Iesum vltro venisse ad mortem, quam alioqui licuisset effugere: neq; prius occidi potuisse, quam venisset ille dies, quem ipse suæ morti præfinitur. Is autem erat dies Pasche. De venditione Iesu item in Euangelio præsentis agitur, per Iudam apud Principes perpetrata, cuius animus sic addiçtus erat reterimo auaritia morbo quod sibi in ungueto perisse credebatur, id ex Domini pretio pensare voluit. Auaro enim nihil est scelestius, Eccles. 10. Diuinitatem quoque suam hic discipulis subaperit futura hæc & alia prædicans. Isa. 41. Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia dii estis vos. Isa. 42. Noua quoque ego annuntio antequam oriatur.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PALMARVM, EPIST.

Tu autem Domine demonstraisti mihi, & cognoui, &c. Finis Epistolæ: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris. Hierem. I I.

VATICINATUR hæc quoque Epistola de mysterio passionis Christi: Sustinens enim personam Christi Hieremias, tria facit:

I Primò, Ostendit sese ex certa Dei reuelatione intellexisse Iudæorum contra se odia, machinationes & consilia, quibus ipsum propter veritatem verbi Dei sunt persecuti. Nullus autem Prophetarum, siue vitæ puritatem, siue prædicationem, siue persecutiones spectes, clariùs imaginem Christi expressit, quàm Hieremias. Siquidem sanctificatus in vtero sanctissimè vixit, prædicatione grauitè vitia carpsit, & persecutionibus variis aggitatus, tandem à populo lapidibus est obrutus. Non quòd ista cum Christi factis cõferri verè possint: distant enim multis parasangis. Christi nanque longè alia fuit vitæ innocentia, prædicatio & passio, adeò vt soli Christo conuenire propriè possit ista Prophetæ sententia: Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam. Nunquam enim Sanctorum puritas tanta esse potest, propter eam, quam circumferunt naturæ corruptionem, vt misericordia non indigeant conditoris, beneficio redemptionis non egant:

denique victimæ pro peccatis cessent. Hæc enim soli Christo ob vnionem diuinæ naturæ competunt.

2. Secundò, Quasi per antihesin inter se committit singularem Christi innocentiam, perseuerans in ea, quam ab agno sumpsit, metaphora, dicens: *Tu ostendisti mihi studia eorum, & non cognoui quòd cogitauerunt contra me consilia*: quæ Christo non alia ratione competere possunt, nisi quatenus ita se gesserit, ac si prorsus ignorasset Scribarum, Sacerdotum & Phariseorum, contra ipsum machinationes, cum nihil vnquam horum ipsum latuerit, ita vt frequenter nõ tantum ipsorum, vel verba, vel facta, quamuis occulta prodiderit, verum etiam abditissimas eorum cogitationes. Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Erant enim in Christo omnes sapientiæ, & scientiæ Dei thesauri absconditi, tanta vbertate & copia, vt de plenitudine eius omnes acceperimus veram tum Dei, tum scripturarum cognitionem: insuper remissionem peccatorum, & gratiam pro gratia, Ioannis 1. nec non Iudæorum contra ipsum inuidiam, dum videntes illustria Christi facta, miracula, & dogmata, malo quodam zelo periciti dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Ioannis 11. Conceperunt autem hunc zelum impij ex honoris, dignitatis, & quæstus nimia cupiditate, quibus dum priuari metuebant, iuxta Prophetæ huius oraculum cõsilio diffiniunt, dicentes: *Venite, mittamus lignum in panem eius, & erodamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius*: hoc est, Morte turpissima condemnemus eum, vt nulla post hac eius supersit memoria. Hæc quidem cogitauerunt impij, sed errauerunt. Nam excæcauit eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, Sapient. 2. Omnibus etenim suis consiliis ac machinationibus hoc sunt consecuti, vt ipsi sibi perpetuam ignominiam, damnationemque æternam: Christo verò gloriam ac nominis immortalitatem compararent: quia enim Christus sese humiliavit vsque ad mortem, dedit illi pater nomen quod est super omne nomen, Philipp. 2.*

3. Tertio, Denuntiat pro hac tanta in Christum inuidia horrendum Dei in ipsos iudicium, quo acerrimè Filij sui tuebatur innocentiam, & vlciscetur illatam injuriam: & impiorum iudicaturus est non tantum facta, sed corda & renes, dum ait: *Tu autem Domine Sabaoth, qui indicas in se, videam vñionem tuam ex eis*, quæ non optando, appetitu videlicet vindictæ, dicuntur à Propheta, sed vaticinando, Dei cõtra ipsos sententiam pronuntiat. Tribuit autem Deo iudicij æquitatem, qua nihil, vt qui ipsa iustitia est, ex affectu, amore & odio sit iudicaturus, sed in iudicio & iustitia, vt eius sententiam nec damnare

damnare etiam si velit, reprobis possit: sed laudare redemptus. Item tribuit severitatem, qua impios & infideles, hæreticos, hostes fidei, a postata fide, & quotquot sine fide ac penitentia in peccatis contra conscientiam perseverant, perpetuis illis gehennæ suppliciis puniet. Proinde quisquis sese aut potètia, aut calumniis impiorum opprimi sentit, consilium Prophetæ sequatur, reuelat Domino causam suam: ipse enim, iuxta Psalmographum, est refugium pauperi, adiutor in tribulatione, iudex orphanorum, & pater viduarum. Merito igitur Christus, ut exemplum omnibus oppressis exhiberet, Patri æterno causam suam vindicandam committit, nec temerè: Nam, Apostolo teste, exauditus est pro sua reuerentia, Hebr. 5. dum in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum lachrymis & clamore valido obrulit. Vidit namque visionem quam Pater sumpsit de perfidis Iudæis filium Dei persequentibus, de gèntibus, idololatriæ gratiam Euangelij respicientibus, & de impiis peccatoribus filium Dei conculcantibus.

EPILOGVS.

Propheta Hieremias in spiritu prouidens Iudæorum conspirationem contra Christum, etiam excidium illorum prædicit. Conspiratio erat pessimum eorum consilium, quod ex odio contra Christum habuerunt, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, hoc est, iuxta B. Gregorium, crucem Dominico corpori affigamus. Vtique in corpus lignum missum est: sic enim Christus reuelauit, panem suum corpus appellans, Ioan. 6. cuius retro corpus in panem Prophetes nuntiavit. Tertullianus aduersus Iudeos: Excidium est euersio Hierosolymitana, totiusque Iudæici populi desertio usque sub finem seculi, Matthæi 21. & 23. Rom. 11. Isai. 59.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PALMARVM, EVANGELIYM.

Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? &c. Finis Euangelij: Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti, &c. Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

INTEREA dum Iudas & sacerdotes de perdendo Iesu consultant, ille salutis humanæ negotium agit. Complectitur hoc Euangelium tria.

1. Primo, Quomodo Iudæi iuxta præceptum, Exod. 12. Iudæi duabus duabus tantum de causis colebant Pascha. 1. Quia angelus ea nocte, Aegyptiorum primogenitis trucidatis, percussisset Iudæis, Exod. 12. 2. Quia eadem nocte Aegyptio sunt egressi, amplissimis spoliis ditati, & omnibus ipsorum aduersariis submersis, Exo. 14. Hæc autè, quia, Apostolo teste, in fi-

in figura contigerunt, 1. Corinth. 10. Cuius ut veritatem exhiberet, aduenit Christus: idcirco ne legi derogare videretur, Apostolos de duobus admonet, scilicet de Paschate post biduum celebrando, de Passione, quam per crucem esset subiturus: significans eam adesse horam qua transiret ex hoc mundo ad Patrem, Ioan. 13. & quod aduersum nos erat chirographum decreti deleteret, ad Colof. 2. Agit autem hoc Christus, ut anxios, & parum in fide firmos Apostolos certiores faceret de sua diuinitate & humanitate, qua potuit futura prædicere, & sese voluntarium morti obicere. *Quæ* duo eò attentius sub articulum Passionis voluit inculcare Christus, quòd in his duobus summam felicitatis fidelium collocasset. Neque alia ratione cuiquam posse eam adipisci, nisi perfecta vtriusque fide & confessione. Ut enim sine fide impossibile est placere Deo, ita & qui erubuerit me, inquit Christus, coram hominibus, hunc filius hominis erubescet, &c. Luc. 9. sed Christiani longè, scilicet, maioribus de causis hoc celebrant, quo recordantur, quòd potentia magni illius consilij Angeli Christi eius, destructi sint, & captiui ducti in ligno crucis, Col. 2. & ipsi Christiani erepti de potestate tenebrarum, & translati in regnum Filij Dei, Coloss. 1. & quòd loti in sanguine Christi ab omnibus peccatis, acceperint Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant, Abba Pater, Rom. 8. Apocal. 1. His siquidem de causis Pascha nostrum immolatus est Christus: horum consideratione & memoria epulantur in azymis, 1. Corinth. 5. sinceritatis & veritatis: sed eum lactucis agrestibus iuxta Dei decretum, Exod. 12. Sic enim typicum agnum Patres, Christus & Apostoli comederunt. Requirit enim beneficiorum Christi memoria, nostrorum peccatorum quandam recordationem, eorumque veram penitentiam, cum acerbis cordis dolore, de offenso clementissimo Patre Deo coniunctam, sed addito azymo, id est, odio & detestatione peccati, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Hoc enim significabat Deus, dum prohibet in domibus eorum, qui Pascha comederent, esse fermentatum panem veteris malitiæ & nequitiae: quia nulla esse potest conuentio Christi ad Belial. Ut igitur Christus non solum legi obtemperauit in esu agni Paschalis, sed ex nimia charitate qua dilexit nos, obtulit se ipsum pro nobis, ut esset Pascha nostrum, ac nobis immolaretur: ita vicissim nos oportet ex vera fide, & conscientia bona, hæc ipsius beneficia amplecti.

*Iudeorum
malitia.*

2. Secundò, Proponit malitiam Iudeorum, quorum principes interea dum sacra hæc tanta religione sibi à Deo præcepta colenda forent, inuidia irritati, secundò contra Christum
conci-

concilium faciunt, quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent. Quia enim semel inter ipsos constitutum erat perdere Christum, quem sentiebant ipsorum auaritiæ, superstitioni & impietati esse cōtrarium, lata iam per Caiphā sententia, solum hoc de modo perdendi agitur cōcilium, dicentes, vt est Sapient. 2. Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Improperat nobis peccata legis: Diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ: Promittit se sciētiam Dei habere: Filium Dei se nominat: Factus est in traductionem cogitationum nostrarum: Grauis est nobis ad videndum: & tanquam nugaces æstimati sumus ab illo. Vide Marth. 23. Venite ergo, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra, & nomen eius non memoretur amplius, Hierem. 17. Ergo dum de homicidio conueniret inter eos, consultatum est de tempore, quia verebatur tumultum populi, propterea quod non pauci essent, qui conspectus miraculis, & audita doctrina mirabili, & animaduersa morum incredibili mansuetudine, magnificè de illo sentirēt. Metuebant plebem, qui non metuebant Deum: nec verebatur homicidio polluere diem festum, qui nō ausi fuissent vesci panibus fermentatis. Sic enim impietas semper in malum proficit, iustissimo Deo præcedentiā peccata nouis subsequenti- bus vindicante; vt non immeritō impij magistratus imaginē hi Principes & sacerdotes præ se ferre videantur: qui cū semel veritatem ipsam oppugnare ceperint, non ante desistunt, quā omnino oppresserint, exigentibus id sæpè meritis subditorum, quia Dominus est, qui regnare facit hypocritam propter peccata populi sui, Iob 34. Illud quoque hoc loco admirari licet, humanam malitiam, licet potētia, armis, facultatibus, & omnibus præsiidijs fulciatur, nihil tamē posse contra electos, nisi Deo permittente: qui mala hominum voluntate ad exercitium virtut electorum, non pro ipso improborum arbitrio, sed secundum propositum suum, & Ecclesiæ vtilitatem. Est & illud quoque horum Principum magnæ improbitatis, & impudentiæ argumentum, quod nullo pietatis vel religionis amore cōercentur à flagitio concepto in filium Dei, sed solo mundi & turbarū motu. Ideo inquit, *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo; sed iusto Dei iudicio comprehenduntur in conciliis quibus cogitant*, P salm. 10. Hoc est concilium illud de quo Iacob, Genes. 49. dixit: *Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat, anima, &c. in furore enim suo occiderūt virum, & suffoderunt templum: de quo dictum est: Ioan. 2. Soluite templum hoc, &c. & sequitur pœna: Diuidam eos in Iacob, &c; id quod videmus cōpletum.*

Horrendum
Dei iudicium
in Iuda.

3 Tertiò, Horrendum iudicium Dei in Iuda proponit, qui ex Apostolo & verbi Dei præcone, factus, propria malitia, quã ita est exæcatus, venditor, traditorque Christi. Cum enim diabolus misisset in cor eius, vt traderet eum, tũc abiit ad Principes & summos Sacerdotes. Huic infelici bonus odor mortem attulit: imò quia mortuus erat, bonum illum odorem ferre non potuit. Abiit igitur, ac totus ab eis recessit, Apostolatium suum dimisit, Episcopatum suum alteri dereliquit. Abiit in concilium impiorum, & in via peccatorum stetit, &c. Abiit ad principes sacerdotum, quos sciebat certis animis conspitasse in mortem Iesu, neque quicquam esse in mora, nisi vt sine tumultu caperetur. Ad id efficiendum nemo magis idoneus erat, quàm aliquis ex eorũ numero, qui proxima familiaritate Domino iungebãtur, quem non fallebat quò se solitus esset conferre Iesus. Et inuentus est in illo selectissimo choro, cui charius esset impiũ lucrum quàm Dominus tam mitis & beneficus. Tanta pestis est avaritia, ù cuius animum occupat. Iudæ similes sunt, quotquot propter commodum, iustitiam, veritatem, &c. produnt ac pessundãt. Adiit, inquit, Iudas principes Phariseorum non vocatus, nec per promissionem aliquam illectus, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* q. d. Scio consilium vestrum de occidendo Iesu, ad hoc me sponte offero. Vide autem eius malitiam & contemptum Christi: non vocat eum magistrũ: pretiumque in ipsorum voluntate constituit. O mercator infelicissimè! in voluntate ponis e mentis, mercedem eius qui continet cælum & terram; & quia vendidisti, iam non habes, cælo & terræ exosus. Imitator es paternorum scelerum, qui fratrem suum Ioseph vendiderunt Ismaëlitis 30. argenteis. Zachar. 11. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Hic fructus est avaritiæ, vt verè dixerit Poëta: *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames?* & Apostolus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum diaboli, quæ mergunt homines in interitum, 1. ad Tim. 6.* Refert autem impius hic proditor omnium eorum imaginem, qui contra conscientiam, veritatem Dei in mendacio detinent, quæstus causa pietatem simulãt, sacramenta Christi non nisi certo pretio accepto administrãt, & Simoniaca labe turpiter Ecclesiam defordãt. Hi enim verè Christum Iudæis tradunt illudendum & occidendum: quia huiusmodi hominum causa nomen Domini iugiter blasphematur: quibus iustissimè competit illud: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, &c. Psal. 54.* Quòd autem opportunitatem nacti impij magistratus perpetrãdi sceleris pretium offerunt, insignem eorum in Christũ declarat inuidiã, quanuis parati

parati iacturam subire, vt innocentis morte sese exsaturent. Ita solent ij quibus veritas odio est, omnia tentare, vt cam semel opprimant: nec antè desistunt, quàm quod cupierint, assequantur. Illi polliciti sunt pecuniã: hic operam. Tantula mercede ad facinus immanissimũ adduci potuit; tamque vili æstimatus est sanguis ille pretiosus, qui sufficiebat vniuerso mortalium generi redimendo: & pro quo veri fideles parati sunt nedum sua, sed & seipsos exponere, id impij quiq; tam vile iudicant. Luc. 22. Et spopõdit, & querebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis. Auidus & inhians promissæ pecuniæ, statim ex eo tempore captabat occasionem & opportunitatem prodendi Iesum. Quid hic aliud innuitur, quã quod ab his potissimum Christus patitur, qui amici videtur? nemo Christum vilius æstimat, ac magis vilescere facit etiã aliis, quàm qui Christi vices gerunt in terris. Nemo iustitiã tam faciliter conculcat, quàm qui iustè iudicare debent. Nemo magis verbo Dei & Euangelio iniuriam facit, quàm qui omnium maximè de ipso gloriantur. Iudas se iactitant esse, hoc est, veros diuini nominis confessores, sed Iscariotes sunt, hoc est, lucri cupiditate omnia faciunt. Et vt semel omnia dicam; nemo magis Christum blasphematur, quàm qui nomine eius gloriatur. Non igitur est quod Iudæ & Iudæis succenseamus, cum nos eadem faciamus. Qui enim nunc Euangelium verbum Dei, nomen Christi, iustitiam, & membra Christi tam viliter æstimamus, etiam ipsum Christum contempissemus. Hoc sibi vult Mattheus, cum & Iudã vendentem, & Iudæos ementes nominat.

EPILOGVS.

Exordium præclarissime cense ultimi vale, quam cum selectis totius mundi fecit Christus Iesus, nobis ob oculos ponit. In qua duo obseruanda: Agni typici immolatio & finis, & agni veri mystica significatio; & præsentissima exhibitio; quo omnia legis inuolucra cessauere & completa sunt. Desiderat enim primum typicum Phasæ manducare, & sic sue passionis mysteria declarare, vt antiqui Phasæ probator exiit, & ad sue dispositionis figurã pertinuisse demonstrat, dum adueniente veritate ostendit umbram cessare. Et quia vltimum vale, ideo multum desiderabile. Nam in vespera decimaquarta die mensis primi necesse fuit occidi agnum Paschalem, Exod. 12. quare vt veritas corresponderet figura, voluit Dominus cum discipulis Phasæ veteris terminare, & nouum inchoare. Item ne improvisus & nescius existimaretur traditus & passus, traditionem prædixit sicut & passionem; occultè tamen, non prodendo proditorem, quo sic ad resipiscentiam eum prouocaret. Deberet, inquit, amor esse reciprocus, sed tamen est hic nobiscum in mensa, qui me proditurus est his qui me quaerunt ad mortem. O quot in mensa Domini immundas habent manus!

FERIA

FERIA QVARTA POST
DOMINICAM PALMARVM,
EVANGELIVM.

Ioan. 13.

Ante diem festum Pasche, sciens Iesus quia venit hora eius, &c. Finis Euangelij: ita & vos faciatis, &c.

ET si non ignorem huius Euangelij historiam factam esse ipso die cænæ Domini, atque hoc die Christum fuisse à Iuda venditum; tamen quia, iuxta communem Ecclesiæ consensum, lotio pedum sacramenti institutionē præcessit, idēo consultē hoc Euangelium hoc die interpretari licet. Hic Euangelista primo Phasē rationem reddit. *Vt, inquit, transeat ex hoc mundo, &c.* Secundō causam describit, quare Christus per crucem ad patrem trāsierit. Ad hoc enim non pellexit ipsum nostra dignitas, qui ne corporalibus quidem beneficiis digni eramus, quanto minus æternis? Nec nostrum meritum, tori enim eramus in peccatis nati; quo igitur potuimus aliquid mereri? nec nostra iustitia: quis enim iustificatur in cōspectu Dei? sed immēsa eius charitas. In finem quippe dilexit suos, & nihil omisit, quod amantem deceret. De hac charitate Ioannes ait, 1. ca. 4. In hoc apparuit charitas Dei, non quasi nos dilexerimus Deum, &c. Verē prius dilexit nos, qui cū adhuc inimici essemus, pro nobis mortuus est. Sicut igitur summa charitate nos complexus est, ita vsque ad finem, donec vinceret peccatum, mortem & omnes maledictiones: in ea perduravit, nihil deterritus vel fuga, vel abnegatione ipsorum. Abnegauerunt eum Apostoli, reliquerūt inter hostes, nihilominus tamen constans perstitit, vt appareat solū Deum veracem esse, omnem autem hominem mendacem. Sic ergo amati redamemus Christum, & eius causa proximum ad salutem animarum finem fidei nostræ. Complectitur autem quatuor.

*Manfuetudo
Christi.*

1. Primò, Singularem Christi manfuetudinem, & humilitatem, qua se non tantum in abiectissimam seruitutem lotionis pedum demisit, sed in horribiles illos dolores Passionis, quos nostra causa assumpsit, ad Philippenses 2. Propter nimiam scilicet charitatem, qua dilexit nos, &c. Eam autem dilectionem electis, & fidelibus quotidie impendit, quam Apostolis typica hac lotione significauit, s. sanguine suo sese animæ, & corporis sordes loturum, peccata nimirum, & penas peccatorum: quæ licet in natura videantur relicte in exercitium, in morte tamen prorsus extinguentur, Apocal. 7. Absterget Deus, Dan. 12. Isa. 25. Deleuit enim Christus mortem, peccata, mundum, diabolum, & infernum, non vt non sint, sed vt fidelibus non dominantur, ablata ipsorum tyrannide, & potentia;

potentia, ne lotis & iustificatis noceant, sed potius, vt ait Apost. Rom. 8. cooperetur in bonum. Nam præcipit mortem in sempiternum, Isa. 25. deleuit chirographum decreti ad Col. 2. vicit mundum, Ioan. 17. alligauit fortem, & vasa eius diripuit, Luc. 11. & in sanguine testamenti eduxit vinc-tos de lacu, in quo non erat aqua, Zach. 9. Sed tamen egent continua lotione pedum, quia etiam in iustificatis & electis infirma natura subinde graues & malos affectus gignit, qui continua egent lotione, quæ per pœnitentiæ lachrymas fit. Dum itaque Christus surgit à cœna, deponit vestimēta, lin-teo se præcingit, mittit aquam in peluim, & incipit lauare pe-des discipulorum: insignem illam erga miseros mortales de-clarat charitatem, qua cum diues esset, propter nos egenus factus est, vt s. ipsius inopia diuites efficeremur. Singula emphasim habent. *Cena facta cum diabolus iam misisset in cor, &c.* Post factam omnium bonorum legationem & testamentū, humilitatis ac charitatis exemplum adiecit, vt ostēderet non satis esse, vt nos bona Christi percipiamus, nisi & ipsi aliis seruiamus: Obserua autem quod tum loquitur de humilitate Christi, prius eius celsitudine commendata, vt ex conside-ratione altitudinis ipsius mirabilior appareat humilitas. Quia enim superbia & inane desiderium sciendi, primum hominem deceperat, omnium maximè Ecclesia mater cōtra superbiam munienda erat. Pater, inquit, omnia dederat ei in manus, vitam & mortem, gratiam & gloriam, Psal. 83: à Deo exierat: ad Deum rectà pergebat: is, inquam, taliter se submit-tit. Meminit autem Euangelista etiam præscientiæ Christi, de futura sua morte, ne quis existimet eum coactō animo & mera impiorum potestate ad crucem adactum. Nam Pro-pheta Isa. 53. ait: Oblatus est quia ipse voluit. Surgit à cœna, &c. Vide Domini humilitatem, omnia per seipsum agentis. Surgit à cœna, ponit vestimenta sua, præcingit se, peluim ipse implet aqua, pedes lauit & tergit. Si conferamus personæ di-gnitatem cum officio in quod se deiecit, nihil potest dici de-missius. Hominum & angelorum dominus, habens in ve-stimento & in femore suo scriptum: Rex regum, & Domi-nus dominantium, idem homo, idemque Deus, idem humi-lis, idemque altissimus. Si attendamus quibus lauit: nam vnus proditor, alter abiurator, alij omnes transfuge futuri, omnes ingrati beneficiis, maximè Iudas. Proinde vt Christus sum-mam charitatem etiam erga inimicos monstraret, ira extre-mè sese deiecit, factus pessimorum seruus. Voluit hac deie-ctione sua omnem ambitionis & arrogantiæ affectum radi-citus è mentibus nostris euellere: nam humiliari, est opus eius qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit: superbire &

fastuosum esse, opus est eius qui à diabolo egressus est, & ad diabolum vadit. Quid ergo tu superbis terra & cinis? adhuc extento collo ambulas? latuere speculum humilitatis. Saluator tuus pronus ministrat Apostolis, & tu aliis te præfers? Christus etiam proditori pedes lauat, & tu dedignaris reconciliari fratri?

Petri modestia & animi demissio.

2. Secundò, Petro recusanti lotionis beneficium, ostendit insignem illius vilitatem, dum insinuat veram iusticiam, aut vitam æternam haberi non posse, nisi per Christum à sordibus peccati abluamur. Obseruanda interim est Apostoli Petri modestia, & animi demissio, qua indignum se iudicat, cuius pedes ille lauaret, qui sua virtute cæcorum oculos aperuit, Matt. 12. leprosos mundauit, mortuos suscitauit, Ioan. 11. cælum & terram è nihilo creauit, Gen. 1. & denique omnia fecit quæ cæli ambitu continentur. Petrus ad quem Dominus primò venit, quia principalior inter discipulos, ipsius Domini dignitatem & propriam humilitatem considerans, expauit ad hoc factum, hoc animo refugiebat à magistro lauari, quo Baptista detrectauerat eidem impartiri baptismum; Matth. 3. Tu, inquit, mihi lauas pedes? tu quem confessus sum filium Dei? Matth. 16. tu cui turbæ cecinerunt: Osiabana, filio David, Matth. 21. mihi seruo & imperito piscatori lauas pedes? Nondum nouerat Petrus huius magistri sui disciplinam, si quod in schola eius ille maior, qui humilior esset: quodque maxime ipse Dominus omnium in summa humilitatis arce regnaret. Tulit quidem hæc animi modestiam Christus, quanquam ex zelo, non secundum scientiã prodiret, insinuans eos qui spirituales sunt, debere imbecillitatem infirmorum sustinere. Ideò inquit: *Quod ego facio, nescis modo.* quasi dicat: Animalis adhuc cum sis, non percipis ea quæ sunt Spiritus Dei, quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius, Roman. 11. Sic lauat & nos Dominus nunc aduersis, nunc prosperis: verè autè nescimus quid, & ad quem finem quodlibet faciat, sciemus autem in futuro. *Scies postea,* dum scilicet, Spiritum sanctum acceperis, qui deducens te in omnem veritatè docebit te omnia, Ioan. 14. 16. Sed ne hoc quidem responso coercitus fuit Petrus: non lauabis, inquit, mihi pedes in æternum. Pertinacia quidem Petri ex zelo fuit, sed non secundum scientiam. Non minus pertinaciter & nos adhæremus his, quæ nobis videntur bona: nec priusquam illustremur, quæ Dei sunt nostris præferimus. Verùm dum pertinaciùs Christo reluctari pergit, vt est semper carnis natura propensior in ea quæ rationi adlubescunt, potius quàm quæ verbo Dei impetrantur, his obedire, graui illum comminatione terret, dicens: *Si non lauero te: quasi*

Galat. 6.
Rom. 14.

quasi dicat: Nisi te facibus prauæ concupiscentiæ purgatum mundauero, spiritu iudicij & spiritu ardoris, Isa. 4. qui baptizatis ob perpetuam cum carne luctam est necessarius: *Non habebis partem mecum*, scilicet, in terra uiuentiũ, quã per passionem uobis quoq; sum ac omnibus electis paraturus. Aut, inquit, lauaberis, aut à mensæ scæderisquæ mei cõsortio temoueberis. Quo dicto exponit Christus, quid lotio pedum significet, & quare ante passionẽ pedes discipulorum lauerit. Nam primum lauit pedes, ut declaret se uenisse ut ministret aliis, non ut sibi ministretur: deinde ut doceat officium suũ esse purgare, & abluere peccatorum sordes, id quod fit sanguinis sui asperione. Significat igitur hæc ablutio totam Christi passionem in peccatorum nostrorum purgationem factam. Quæ lotio exterior quanquam non esset necessaria ad salutem ex sua natura, tamen ex uoluntate Dei fuit, quemadmodum lignum scientiæ boni & mali ueritum, Genes. 2. & 3. Interior tamen cuius illa figura fuit, necessaria est, quæ nisi Christi sanguine fieri potest, Apoc. 1. Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Hæc terribili comminatione audita percussus (est enim quouis gladio ancipiti penetrabilior sermo Dei, pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus, &c. Hebr. 9.) se totum uoluntati Dei permittit. Est enim ea fidei natura, ut se totam Deo committat. Ideo inquit, *Domine, non tantum pedes, sed & manus, id est, opera; & caput, id est, intentionem.* Quibus uerbis pulchrè exprimit nos, nostraque omnia ex se sordida esse ac sœda, nec in iudicio Dei posse consistere, nisi à Christo purgata. Sicut ergo supra naturam carnis (quæ suã opinionem bona specie conceptam mordicus tenet) uidimus, sic nunc uidemus naturam fidei, quæ se totam in diuinam resignat uoluntatem, ut nobiscum agat: utcumque tandè liber, ipse exitum, ipse uitam inueniat pro sua uoluntate. Sic David: Si dixerit, non placet: præsto sum. Sic Abraham securus est uerbum Domini quocunq; duceretur, nihil cauans vel submurmurans. Arque hæc sui ipsius in diuinam uoluntatem resignatio, uerus est cultus Deo acceptus, ut Christus dicit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, &c. Matt. 16. Sed utrumque etiã ex charitate fiebat, & detrectatio, quia plurimum obseruabat Dominum: & admissio, quia à Domino separari uolebat.

3 Tertiò, Doctrinam Christi, qua docet eos, qui, ut loquitur Apostolus, Heb. 6. & Rom. 6. semel sunt illuminati, gustauerunt donum cælestè, participes facti sunt Spiritus sancti, in morte Christi baptizati sunt, & loti sunt à peccatis, ut

scilicet, sint in Christo Iesu noua creatura, renouati spiritu mentis, & induti nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: quo modo, scilicet, eos oporteat ambulare, & placere Deo, quorum caput, & manus, id est, authore Bernardo, sermon. de lotionem pedum, intētio & operatio munda est, vt non hominibus, sed soli Deo placere studeant, abnegantes impietatem & secularia desideria, vt sobriè & piè viuant in hoc seculo: his tamen esse opus vt pedes lauent, id est, animi affectiones, subinde per pœnitentiæ lachrymas expurgent. Vix enim fieri potest, quin vanitati, voluptati & curiositati subinde animus plusquam oportet cedat. Nam in multis offendimus omnes. Est enim, iuxta Augustinum, sanctissima oratio: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quare leuia etsi hæc videantur esse peccata, contēnenda non tamen sunt, quando impossibile sit cum eis saluari: nec nisi per Christum elui possunt: est enim propitiatio pro peccatis nostris. Si tamen secundam post naufragium tabulam pœnitentiam nō negligamus, qua virtute sanguinis agni immaculati, animorum & corporum sordes purgantur, vt coram Deo eiusque severo tribunali consistere possimus, tãquam abluti, sanctificati & iustificati. Sic enim fit, vt loti simus coram Deo mūdi, quemadmodum hic docet Christus: quamuis enim sine peccato non simus, tamen si non dominetur ac regnet in nostro mortali corpore, vt obediamus concupiscentiis eius, non imputatur, etsi carne seruiamus, legi peccati, modò mente seruiamus legi Dei, Ro. 7. Hinc dicit: *Qui lotus est, baptismo scilicet, non indiget nisi vt pedes lauet*, hoc est, affectiones animi purget ab omnibus inquinamentis huius mundi. Sancti & pij homines loti sunt, hoc est, per Christum abluti & sanctificati. Verum ea sanctificatio nondum perfecta est: manēt enim reliquias peccati, quas subinde purgare oportet. Pedes igitur, hoc est, affectus animæ, quamdiu in hoc puluere gradimur, ex toto mundos seruare non possumus, quin aliquando voluptati, vanitati, aut curiositati animus cedat plusquam oportet. Origen. Impossibile est, inquit, extrema animæ & infima eius non cōtaminari, quanquam quò ad homines perfectus quis esse puertur, Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et in multis offendimus omnes. Et vos mundi estis. Quomodo mundi sunt, quibus adhuc pedes, id est, affectus ablu-tione indigent? Mundi quidem sunt credentes, in Christo per fidem mundati, vnde & nihil damnationis est ipsis. Sed tamen in seipsis adhuc sunt peccatores: ob id scriptura eos & sanctos & peccatores nominat, sed diuerso respectu. In quantum

quantum Christi membra, sancti sunt: in quatum homines, peccatores sunt, & purgatione ulteriori indigent. *Sed non omnes.* Hoc dixit propter Iudam, cuius notauit conscientiam, qui sibi tantum conscius fuit, vt vel sic relipisceret, posteaquam intelligeret se non latere Dominum, quem destinabat prode- re. Hic ergo & in principio historiae huius traditoris memi- nit: vt ostendat insignem & Christi charitatem & humilita- tem, qui etiam traditori pedes abluir: & insignem Iudae ob- stinationem, qui nec tanta charitate reuocatus fuit.

4 Quarto, Suo ipsius exemplo hortatur Christus Apost. Episcopos & Sapietes, quibus Ecclesiam suam, quam acqui- siuit sanguine suo, Act. 20. commisit, ad mansuetudinem, modestiam, & episcopiam, dum ait: *Si ergo ego laui pedes vestros, dominus & magister*, non tragicus aut imaginarius vel titulo tenus: sed verus; & vt loquitur scriptura, Dominus dominan- tium, Princeps regum terrae, & Rex regum: ergo & vos debetis alter alterius lauare pedes. Qui maior est vestrum, fiat si- cut minor, Matth. 20. Luc. 22. Galat. 6. q. d. Si ego qui cum patre cunctis creaturis praesum, non rapinam arbitratus sum vt essem aequalis Deo, sed meipsum exinaniui, &c. aequum est vt & vos qui inter vos fratres estis, & conferui, non gra- uemini mutuis officiis inuicem inferuire: nec non Apostola- tum vestrum non dominationem, sed summam humilitatis ministerium arbitremini. Turpe fuerit igitur vobis in gre- gem vobis credendum, aut etiam inter vos turgere fastu, sa- uire violentia, cum me tam mitem, tam modestum dominum ac magistrum habeatis. Non est seruus maior domino suo quam diu seruus est: neque legatus quamdiu legatus est. Et quidem quo ad rationis notitiam, nemo non scit seruum minorem esse domino, nos minores esse Christo: Verum id ipsum paucissimi factis probant. Exempli gratia: Christus omnis creaturae iudex est, & tamen impie iudicatus est. Quis nostrum simile quid patienter fert? quis non resistit? Iam hic seruus maior vult esse domino suo. Item, Christus sponte mortem subiit: quis nostrum mortem non fugit? An non & hic seruus maior esse cupit domino suo? Christus abiectus, & virorum nouissimus reputatus est: quis nostrum hic fert se despici? Maior igitur esse vult seruus domino suo. Non igitur abs re Christus addit: *Beati eritis*, non modo quia creditis, sed si imitantes exemplum meum, feceritis ea, meis ob- temperando iussis. Non enim magnum, virtutem agnoscere, sed studiose agere, maximum. Luc. 12. Seruus sciens volun- tatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Estote ergo factores verbi, & non auditores tantum, fallen- tes vosipfos, Iac. 1. Non iubet autem Christus hoc praecocepto,

vt in publicis peccatis, & manifestis criminibus inuicem sibi adulentur & præfecti & subditi: sic enim politiam omnem prorsus subuerteret: Sed ex æquo vult omnes suæ sortis meminisse: vt, s. mutua lenitate sanemus, quæ salua charitate tolerari possunt. Est autem superiorum & gubernatorum, vitam & mores leniter ferre suorum subditorum, quatenus cum pace Reipub. & sine iniuria creatoris licet, & subditorum, gubernatorum, & doctorum mores, licet terribiles & difficiles, tolerare. Porro quàm graues turbas in Ecclesia Christi dederit huius præcepti neglectus, res ipsa loquitur. De prænuntiatione prodicionis Iudæ poterit hic non nihil subdi. Applicatio erit facilis.

Superiorum est
& gubernatorum, subdi-
torum vitam
& mores leniter ferre.

EPILOGVS.

S. Euangelista loquutus de tanta Christi charitate & humilitate, prius celsitudinem commendare voluit, quod à Deo exisset, & ad Deum iret: quodque omnia Pater dederit ei in manus, mortem, suos hostes, proditorem ipsum, quem perdere poterat vt ficum, aut scindere vt petram, sed voluntarie sustinet passionem & mortem Christus Iesus. Charitas causa fuit mortis eius: nam in finem dilexit suos, & nihil omisit quod amantem deceret, vt sic amati redamemur eum, & eius causa proximū ad salutem animarum finem fidei nostræ. Post hæc occurrit contemplanda Christi humilitas, qua in tam humili forma suis discipulus lauat pedes, & antidotum erit contra pestem ambitionis. Quem enim non pudeat erigere qui hæc videat. hinc dicit: Exemplum dedi vobis. Nec satis est scire ista, sed beati sunt qui fecerint ea. Ethicè vero ex huius Euāgelij circumstantiis etiam docemur, quomodo nos vite parare debeamus ad sacram Synaxim, &c.

FERIA QUINTA IN CAENA
DOMINI, EVANGELIUM.

Luc. 22.

Math. 26.

Marc. 14.

1. Cor. 11.

Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Finis Euangelij: qui pro vobis fundetur, &c.

ABROGATIS typis illis & Mosaicis sacrificiis, in vltima cæna Christus nouum, non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedec, sacrificium instituit, panē & vinum, in verum ac viuum corpus suum conuertendo. Vbi non ratione, sed fide sunt estimāda, quæ in hac Cæna agit Christus. Item obseruandum, non hominis hoc esse figmentum, sed diuinam institutionem: quam cōtemnere, ridere, ac vilipendere, blasphemare est Dei sapientiam. Ante omnia igitur sacramentum hoc magnipendere disce. Deinde cum Dei institutum sit, caue ne curiosius singula inuestigare velis, sed verba ipsa diligenter sunt attendenda. Sunt autem obseruanda quatuor.

I Primò,

1 Primò, Vehemens hoc Christi desiderium, quo præter consuetudinem ad hanc Cœnam accedit, non obscure magnum quid ipsum facturum indicans, ex quo intelligas non communem aut vulgarem fuisse, sed prorsus diuinam ac celestem, qua dignatus est Filius Dei humanam naturam maledicto obnoxiam, cœlestibus epulis pascere, proprio scilicet corpore & sanguine. Siquidem id & potuit, quia Deus, apud quem non impossibile omne verbum, Luc. 1. & voluit, quia sæpius pollicitus fuerat, Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c. Nam quemadmodum agnus paschalis non ob aliud tollebatur è grege, ac immolabatur, quam ut comederetur, per comestionem autem tibus incorporatur homini: sic Christus non in alium usum nobis propositus est, quam ut nos ipsi & ipse nobis incorporaretur. hoc enim est manducare Christum. Quisquis igitur est sacramentarius, aut Calvinianus, aut Mennonita, veritatem corporis in sacramento Eucharistiæ negans, hic vel diuinitatem, vel omnipotentiam, vel voluntatem Christi tollit, efficacem contra manifestum Dei verbum, quo dicit: Ego & Pater vnum sumus, Ioan. 10. Omnia quæ habet Pater, mea sunt, Ioan. 16. Item: Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, Psal. 134. Certa fide est ergo credendum, Christum potuisse, voluisse & fecisse, scilicet ut ex pane corpus suum fieret, quod vitam daret.

Dignatio Filij Dei.

Sacramentum quid Christo tollant.

Christus omnia potest.

2 Secundò, Ut insignem illam charitatē, qua sese in mortem pro nobis erat daturus, arctius animis nostris infigeret, non sui tantum typum & figuram discipulis in speciebus panis & vini exhibuit, tanquam mœnosynon quoddam & certum amicitiae symbolum. Est enim cuilibet etiã plebeio facile apud amicum sui figuram in imagine pictam relinquere: sed hæc nemo nisi qui ratione caret, pro corpore amplectitur. At verò Christus diuinitatis suæ potentia accepit panem, ut promissioni fidem faceret: Panis quem ego dabo (Ioan. 6.) caro mea est: & gratias agens benedixit, ut insinuaret sublimius aliquid se facturum, quam humana ratio assequi potest: sic enim in rebus arduis semper solet facere Christus. Neque iis contentus fuit, sed fragit, ac dedit discipulis non simpliciter, aut mimice, tantum: sed dicendo, Accipite & manducate. Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Quid sibi volunt hi insoliti gestus, quos Christus hic exhibet? Ex aliis panibus non iubet edere, nec de aliis poculis bibere, nulli quicquam apponit sicut hic facit: Quid aliud hic intendit, quam omnes nos attentos reddere ad ea quæ sequuntur, ut scilicet sciamus quod hic panis, & hoc vinum non commune aliquod vinum vel panis sit, sicut in manducatione agni ederant & biberant,

sed longè aliud, singulare excelsum, nempe id quod verbis exprimit, corpus scilicet & sanguis eius. Hinc & discipuli hos inconuetos gestus attendentes, non contradicunt, non interrogant, sed simpliciter credunt. Facit ad hoc quod Lucas scribit: Dominum dixisse post comestionem agni: Amodo non bibam ex hoc genimine vitis, &c. Quo, scilicet, verbo significauit hunc vltimum esse vini potum, quem super terram cum discipulis sumeret. Statim enim post hoc additur: Et accepto calice, denuò dedit eis. Si nihil nisi vinum est in hac vltima cæna, quomodo verum est, quod prius vltimū potum dederit: Si prior potus vltimus fuit de vino, non potest hoc esse purum vinum, quod post vltimum potum dedit: si non est vinum, oportet quod illud sit, quod verba exprimunt, scilicet, sanguis eius. Hoc verbo accipite, donaturum se aliquid pollicetur. Quis autem non magnum, præclarum, ac vtilissimum quid à saluatore, à Christo, à Deo expectet? Magnum decet magnifica dare. Si vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis, quãtò magis pater, &c. Luc. 11. Accipite igitur, præparate vos ad accipiendum quodcunque Dominus talis dederit: fieri enim non potest, vt malum, aut incommodum sit, aut vanum, quod Saluator præstat. Manducate. En in quem vsū accipiendum donum hoc, nempe vt manducetur. Nihil prodest panis, nisi manducetur. Hoc igitur verbo innuit, donum hoc non simpliciter accipiendum, sed ita, vt nobis vniatur: nec simpliciter, sed vt vnum corpus nobiscum fiat, quemadmodum panis conuertitur in naturã aliti. Vt autem hanc metaphoram intelligamus, obseruandū, in nobis nihil esse nisi peccatum, mortem, infernum, maledictionem: nullam in nobis esse iustitiam, vitam, salutem, gratiam. Vacui igitur sumus omnibus bonis. Christus autem omnia hæc bona in se habet: nec solum pro se, sed & pro nobis, atque ob id se ipsum nominat panem vitæ, Ioan. 6. Sicut enim panis non propter se ipsum conficitur, sed vt confortet hominem: sic Christus non pro se tantum hæc bona habet, sed ea nobis communicat. Sed per quem modum? Quomodo nos iustitia, & vitæ vacui, Christi iustitiam, & vitæ communicare possumus? Manducando ipsum. Tunc panis virtutem sentis, cum ipsum tibi incorporas: tum Christi bona percipis, cum ipsum in te assumis. Sed quomodo manducatur Christus? Simpliciter nobis offertur, in verbo scilicet & sacramento.

Dupliciter igitur & corpus ipsius manducatur, spiritualiter scilicet, & sacramentaliter. Quid sit spiritualiter manducare corpus Christi, quando scilicet offertur in verbo, ipse expressit, cum dicit: Qui venit ad me, non esuriat, & qui

qui credit, &c. Corpus igitur Christi spiritualiter edere, est ex corde credere Christum hominem factum, peccata tua in se transfuisse, pro te sanguinem fuisse, infernum deuicisse, teque Deo reconciliasse, &c. Qui hoc modo credit, fide quodammodo Christum rapit, & in se traicit, ac vnū cum ipso fit corpus: quo fit vt non esuriat in peccatis, quia Christi iustitiam habet: nec in morte, quia Christi vitam habet: nec in maledictione, quia Christi benedictionē habet: neque in afflictione, quia per Christum liberationem videt. Hęc spiritualis manducatio omnibus necessaria est, sine qua nullus saluatur. Nisi enim Christi iustitiam & vitam participemus, quid aliud quàm in nostris peccatis remanemus? Hinc Christus, Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Non hic loquitur de sacramento, non enim omnes damnantur, qui sacramentum non percipiunt aut ceperunt; sed de spirituali manducatione, id est fide in Christum, sine qua nemo videbit Deū, Heb. 11. Hoc modo manducauerūt etiam patres veteris Test. corpus Christi: offerebatur enim & ipsis Christus in verbo & promissionibus, vt Adæ in promissione seminis: item Abraham, item Daudi, &c. Has promissiones qui fide acceperunt, verè corpus Christi spiritualiter manducauerunt. Sine hac spirituali manducatione nihil prodest sacramentum, imò magis obest & damnat, quia indignè accipitur. Offeritur secundò nobis Christus in sacramento, quod ideo fit, vt admoneamur promissionum hoc externo signo, & certificemur hac corporali manducatione verè nobis Christum datum cum omnibus quæ habet. Qui enim corpus dedit, quid non daret? Vbi vides non frustra externam hanc manducationem esse institutam, quemadmodum garriunt impij quidam & ingrati. Quid, inquit, opus erat externo sacramento, cum fides omnia Christi bona ad se rapiat? Et tu quis es, qui Deum aude arguere in suis operibus, quasi non sapienter omnia ordinasset, & suauiter omnia disposuisset? Possemus & nos contra illos similiter inferre: Quid opus fuit Christum incarnari aut pati? Quid opus prædicari Euangelium? Poterat Deus solo verbo restituere hominem, sicut solo verbo creauit; ergo passio Christi nihil prodest, aut Euangelium? En quanta ingratitude nostra. Deus multis modis sua bona, suumque filium nobis communicare vult, per incarnationem scilicet, per verbum, per sacramentum; & quis tu es ingrate & impie homo, qui interrogare audes, cur id facere velit, vel quid necesse sit? Summo gaudio gestire deberes, quòd sua bona communicare vult, per quemcunque modum id faciat. Hęc est antiqua illa sathanæ astutia, qua & Euā seduxit. Cur, inquit,

præcepit vobis Dominus non manducare, &c. q. d. Ad quid utile hoc præceptum? Hoc modo & nos decipere conatur. Non sic Abraham quærebat: Quid opus egredi è terra mea? Quid opus filium immolare? Sed simpliciter obediebat. Hæc est natura fidei. Sic nobis faciendum.

Altera pars sacramenti, eaque principalior, est verbum Dei. Panis enim visibilis vna pars est: quodlibet enim sacramentum hæc duo habet, signum scilicet externum, & verbū Dei, quæ & à se inuicem diuidi non debent. Panem vides, verbum audis. At cui potius credendum, visui an auditui? Certè auditui. Nam qui loquitur Deus est. Omnis igitur sacramentorum virtus ex verbo Dei est: accedente autem verbo Dei ad panem, iam non est illud quod prius erat, sed longè aliud & excellentius, propter verbum adiunctum: est enim verbū omnipotens, Sap. 18. Cùm igitur Deus per suum verbum externa rei adiungat suam virtutem, & potèntiam, & nomen, quis dicere audebit non esse nisi purum panem? Non enim virtute ministri, sed Dei, fit transsubstantiatio. 1. Petr. 4. Qui ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus. Ipse enim adest sacris verbis, modò adsit legitimus minister, forma præscripta, fides Ecclesiæ. Efficiunt igitur verba à ministro prolata, legitimo ritu, non in signo, nec in sola memoria, id quod verba illa indicant: quod pro vobis tradetur: item qui pro vobis effundetur, quæ non de signo aliquo, sed de carne & sanguine Christi intelliguntur. Illa enim sunt, quæ pro totius humani generis salute tradita sunt & oblata. Quanquam species illæ, quæ & sacramenti nomine censentur, visibile signum dici possint, sub iis tamen continentur verum corpus & verus sanguis, vera anima, & Deitas Christi, atque proinde eodem quo ad dexteram patris sedes cultu adorandus, tum simul in memoriam redeutes illius sacrificij, quo ille in crucem sublatus, se pro nobis hostiâ obrulit Deo. Quare vehementer errant, qui Christū panem tantum fregisse, ac dedisse discipulis, impudenter asserunt. Operatoria enim est hæc Christi oratio, eam intentione faciendi prolata ab eo qui potestatem habet: Qui corpus suum non cum pane præsens, adesse fecit, sed verè, vt catholica credit Ecclesia, transelementauit & transsubstantiauit in corpus & sanguinem suum. Quare liberè contra Oecolampadium, Syencfeldium, Stankarum, Caluinum, Bezam, Lutherum, Brentium, aliosque omnes nostri temporis hæresarchas, credimus & profiteamur, Christum in hac nouissima Cæna, verum suum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, discipulis dedisse, non vt ipsis tantum esset charitatis & amoremnesynon, sed fidelibus omnibus pignus & arrhabo salutis

Transsubstantiatio.

Corpus Christi non tantum memnesynon,

salutis æternæ Christi merito obtinendæ, perpetuæque mortis Christi recordatio, 1. Corinth. 11. Quotiescunque manducabitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Atque ideo Apostolis, Episcopis, & sacerdotibus hanc potestatem in Cæna Christus fecit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis sacerdotium, novæ legis Sacramentum, ipsosque Apostolos, & per eos eorum legitimos successores sacerdotes instituit, qui offerrent dona & sacrificia pro peccatis, quemadmodum ipse Christus non solum in cruce cruentum iuxta typum Aaronis, sed in Cæna secundum ordinem Melchisedec, obtulit sacrificium. Vides ergo hinc non rem gestam tantum scribere Evangelistas, sed ut eodem modo continetur in finem vsque mundi. Præcepit igitur Apostolis, ut faciant quod ipse fecit, significans se sacramento suo semper adfuturum, & id acturum per Apostolos, & eorum sequaces, quod in cæna per seipsum egit. Errant igitur qui dicunt: Credo quod Apostoli consecrarunt, vel ipse Christus, sed non credo quod quilibet sacerdos hoc possit. Item credo quod sancti percipiant corpus Christi, secus autem de peccatoribus. Audi tu qui hæc garris. Sacramenta non fundantur super dignitate vel indignitate nostra, sed super verbo Dei; qualiscunque sit, vel minister, vel suscipiens, manet tamen Dei ordinatio. Sicut enim nec homo nec angelus potuisset panem mutare in corpus Christi, sic nec quisquam impedire potest. Non igitur dicit: Si dignè sumpseris, habes corpus meum: sed, Accipite, hoc est corpus meum. Sicut fides, præcepta Dei, & oratio Dominica manent bona, & in suo valore, etiam si tu nunquam credas vel ores, vel opereris, quemadmodum externæ quoque Dei operationes semper manent, quantumvis nos eisdem abutamur. Deinde præcipit nobis ut accipiamus, manducemus. Qui igitur Christianus est, oportet, ut huic præcepto aliquando satisfaciatur. Non quidem tempus aliquod præstituit, sed tamen præcepit: non igitur liberum est, ut ex toto possit omitti. Quod autem addit, In mei memoriam, vult ut sacramentum hoc sit monumentum charitatis Christi, qua omnibus modis seipsum donavit, in socium, fratrem, sacrificium, cibum, potum, &c. Item vult ut hoc sacramentum monumentum sit & memoria veri sacrificij, hoc est mortis Christi. Hinc Paulus, 1. Corinth. 11. Quotiescunque sumitis, mortem Domini annuntiabitis. Hæc in Missa meditanda essent: itemque cum ad sacramentum accedimus.

3 Tertiò, Quale corpus sub visibili elementorum specie Apostolis dederit: verum scilicet, & vivum, quale Virgo mater cœcepit & peperit: Magi in præsepio adorauerunt: in mortem

sed pignus & arrhabo salutis æternæ.

Sacerdotium nova legis sacramentum, & sacerdotes instituuntur.

*Corpus quale
Christus Apo-
stolis dedit.*

mortem Iudæis tradidit Iudas, & Pilatus crucifixit: clauso sepulchro propria virtute suscitauit; & ab angelis in cælo ad dexteram Patris adoratur. Quod Christi verbis efficacissimè demonstratur, dum ait, Luc. 22. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur.* An quæso aliud corpus in mortem dedit, quàm mater peperit, quàm Magi adorauerunt, quàm cruci est affixum? Atqui hoc se dare fateatur: Illud igitur sit oportet, nisi mendacem eum esse voles, qui summa veritas est: proinde nec fallere, nec mentiri potest. falleret autem ac mentiretur, si cum verum se dare corpus assereret, typicum tantum & figuram illius exhiberet. Probant igitur hæc verba veritatem corporis Christi in Sacramento. Nam Dei verba sunt: & ideo magni pendenda. Quid enim simplicius dici posset, etiam si omnes linguæ in vnum conuenirent? Cum igitur nullus Euangelistarum vel minima litera indicauerit tropum aliquem in his verbis latere: sed nec Paulus sincerus ille Euangelij prædicator, nec aliqua causa iusta adduci possit, hæc verba aliter intelligenda esse, standum est his verbis, tanquam certissimis & securissimis Dei ipsius, quæ non decipient, nec errare sinent. Qui apposuerit ad verba hæc, ait Ioannes Apoc. 22. apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis, &c. Cum ergo adsit corpus Christi, clarum est sacramentum hoc infructuosum non esse, id quod plerique garrunt. Constat enim quod caro Christi diuinitate plena est. Si Deus nihil prodest, nec caro Christi. Cum in terra ambularet caro illa, omnibus quos tangebatur, profuit, quomodo igitur fieri posset, vt sub specie panis hæc Christi caro non prodesset, cum tamen sit eadem caro, idem verbum, eiusdem naturæ? Et cum certum sit ibi esse corpus Christi, quid opus est disputare, num panis substantia maneat vel non? aut cum Capharnaitis interrogare: Quomodo? &c. Ioan. 6. Nec corpus tantum tradidit, sed & sanguinem, neque id abs re. Sicut enim lex habuit victimas, & supra hoc emundationem per sanguinè: sic corpus Christi fuit victima, & sanguis emundat. Victima Deo offertur, sanguine nos emundamur. Dicit sanguinem noui testamenti: quo admonet eius quod Moses post publicationem fecit, nempe occisi vituli sanguine respergendo populum, cum his verbis: Hic est sanguis foederis, &c. Exod. 24. Sic Christus: Hic est sanguis, &c. Quanto igitur sanguis Christi dignior sanguine vituli, tanto testamentum nouum nobilius veteri. Testamentum est notificatio bonorum, siue scripto, siue viva voce fiat: confirmatur autem morte testantis. Testamentum fecerat Deus Israëlitis, nempe terram Chanaan eis se daturum: cum autem Deus mori non posset, vitulum

tulum occidi iussit, cuius sanguine & morte testamentum confirmavit. Sic Christus bona sua nobis testamentum legavit, nempe remissionem peccatorum, quam nihil non bonorum comitatur. Testator ipse Christus, ut firmum esset testamentum, mortuus est: cuius mortis ut memores essemus, ceu sigilla affixit testamento suo sacramentum corporis & sanguinis sui.

Verius hic igitur veteris Ecclesie Patres amplectimur, puta, Augustinum tractat. 26. in Ioan. Item 45, 50, 61, 62: lib. 21. de ciuitat. Dei, cap. 25. serm. 11. de verbis Domini.

Ambrosium in cap. 22. Luc. lib. 2. offic. cap. 28: lib. 4. de sacram. cap. 4: Item lib. 5. cap. 4: Item de iis qui mysteriis initiantur, cap. 9.

Chrysostomum, Homil. 31. 61. ad populum Antioch. in cap. 10. 1. epist. ad Corinth. hom. 3. in epist. ad Ephes.

Theophylactum, comm. in Marc. cap. 14. Matth. 26. in cap. Ioan. 6.

Origenem lib. 8. contra Cels. homil. 16. in Numer. Item capite 26. Matth. hom. 38. in Lucam.

Hilarium, lib. 8. de Trinitate.

Cyprianum, serm. de Cæna Domini, Panis quem Dominus discipulis tradidit, non effigie, sed natura mutatus est.

Tertullianum libr. 4. contra Marchion. libr. 2. ad uxorem lib. de resurrectione carnis.

Irenæum lib. 4. contra hæres. cap. 17. Item lib. 5. in initio: quam coniuratos hostes fidei hæreticos, qui non verentur apertissima Christi verba euertere, qui veritate sublata vmbra tantum, & simulachra relinquunt.

Neque veritati derogat, quod Patres quandoque diuersis nominibus, scilicet figuræ, ut August. in Psalm. 3. Tertullianus contra Marc. Augustinus tractat. 27. in Ioan. signi, Augustin. tract. 50. in Ioan. habet Christum in præsentem per fidem, in præsentem per signum, &c. & Sacramenti appellant: siquidem, ipso Augustino teste, vna eademque res & veritas esse potest & figura, ut de corpore Christi loquitur. Sic Aaronica illa sacrificia, ut vera erant sacrificia & figuræ veri illius sacrificij quod in cruce filius Dei obtulit pro nobis. Est itaque Eucharistia hæc à Christo Apostolis & nobis omnibus data, verum ac viuum Christi corpus, sed nunc immortale, impassibile & glorificatum, omnibus scilicet iis gratis ornatum, quibus post resurrectionem est humana natura affecta.

4 Quartò, Vfus, quem esse voluit Christus in sumptione, Vfus Eucharistie in sumptione & adoratione, ut in vtroque fides nostra exerceretur. Parit autem horum vtrunq; varios effectus. Nam sumendo, 1 Christum incorporamur. 2 Efficimur corpus Christi mysticū. oratione.

Res vna eademque res & veritas esse potest & figura.

*Probatio ad
Eucharistia
sumptionem.*

3 Charitatem infusam per Spiritum sanctum alimus & fouemus, 1. Corinth. 10. Vnus panis & vnus corpus multi sumus, &c. Vnde Augustinus, qui accipit sacramentum virtutis, & non seruat vinculum charitatis, non remedium accipit pro se, sed iudicium contra se. Quare grauius monet fideles Apostolus, vt probet seipfos, & sic de pane illo edant & de calice bibant: hoc est, vt Scripturæ docent, fidem, charitatem mutuam, Matth. 5. si offers timorem: probationem sui, 1. Cor. 11. castitatē, 1. Reg. 12. Si mundi sunt pueri, &c. adhibeant. Quod si in veteri lege, vbi figura tantum fuit, non permittebatur accedere ad altare, qui maculam haberet, quanto minus illud licere debet in hoc sacramento, in quo verum corpus, & verus est Christi sanguis? Quamobrem suam quisque conscientiam diligenter examinet, priusquam ad hanc mensam accedat, ne quod bonum est, male malus accipiat. Hoc est quod item fideles admonet Augustin. Tract. 26. in Ioan. Videte, inquit, fratres, panem celestem spiritualiter manducare, innocentiam ad altare apportate, peccata & si sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quod dicitis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittitis, dimittetur tibi, securus accede, panis est, non venenum: sed vide si dimittis. Nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes: Deum fallere non potes. Nonuit ille quid agas, intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat, aut coronat. Et alio loco, indignè dicit eum accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam, Epist. 118. cap. 3. In summa: quisquis ad salutem vult accipere corpus & sanguinem Christi, hoc in primis eum contendere & elaborare oportet, vt sit membrum Christi, hoc est, vt per fidem & charitatem Christo adhæreat. Quamobrem nemo prius ad sumendum viuum & verum Christi corpus accedat, quam corporis eius mystici membrum factus fuerit, atque vnde auulsus est peccatis suis, Christi corpori se rursus inseri curauerit. Quod ita demum futurum est, si & cum Deo, & cum proximo, qui eiusdem corporis membrum est, reconciliari studuerit, & offensam ipse remittens, & remitti sibi vicissim postulans. Nam cum omni immunditia atque omni crimine vacare oportet ad mensam hanc accessurum, nihil tamen æquè illi aduersatur, atque diuisio, atque voluntatis alienatio, atque ira, odium, æmulatio. Vnde rectè vocatur ab August. sacramentum pietatis, signum vnitatis, vinculum charitatis. Sic enim fiet, vt sacrosanctis mysteriis desumendis, & si non exactè, saltem quatenus humana fert imbecillitas, sese idoneos

neos faciant, Christo id suo spiritu supplente, quod humana induitria præstari nequit: quæ cum infirmior sit quam vt præstare hæc possit exactè, respicit Deus ipsorum humilitatem, qua declarant indignos sese qui cælesti illo cibo pascantur, d. cum Centurione: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: respicit obedientiam, qua nitantur satisfacere Christo dicenti: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, Ioan. 6. & bonam respicit eorum voluntatem, qua in omnibus satisfacere nituntur præceptis, tum Christi, tum Ecclesiæ.

Matth. 8.

Adorando autem, fidem, spem & charitatem exercemus, sine quibus in possibile est placere Deo, Hebr. 11. Nec potest superstitionis aut idololatriæ argui, qui extra sumptionem adoratit, vt eleganter ostendit Augustinus tom. 8. in Psal. 98. quia ipsam carnem, in qua hic ambulauit, nobis manducandam reliquit. Et nemo illam carnem māducat, nisi qui prius adorauerit. In summa tria hic obseruanda. Primum, huius sacramenti perfectio. Nam nihil ad perfectum adduxit lex, Hebr. 7. Hinc sacrificia veteris legis non erant Deo accepta, nisi in fide offerentium, quia figurabant plenum & perfectum Christi sacrificium in cruce. Et sic lex solum vmbra habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, Hebr. 10. Nam omnia in figuris contingebant illis. Christi autem sacrificium perfectum, Hebr. 10. Impossibile est sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata, &c. vsque: In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Sequitur: In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi semel, Ioan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ecclesiæ verò sacrificium dicitur representatiuum illius quod in cruce factum est: in quo verus agnus non iam in cruce mortalis, sed secundum similitudinem Melchisedec speciebus panis & vini, impassibilis offertur, Hebr. 7. Vnde consequitur necessariò hanc translationem sacerdotij nouæ legis, sacerdotes esse secundum ordinem Melchisedec, qui panem & vinum obtulit, Genes. 14. erat enim sacerdos Dei altissimi. Hinc Dominus panem & vinum in corpus & sanguinem consecrando discipulis tradidit, eisdem in sui memoriam faciendū mandauit, quod pulchre annotat Paulus, 1. Cor. 11.

Adoratio Eucharistia.

Secundum, operatio. Nam huius virtute sacramenti purgamur à vitiis, gratia impinguamur & confortamur, & ad gloriam perducimur. Imò & vitam præstat gratiæ, de qua Christus, Ioan. 6. Qui manducat me, viuet propter me: & vitam gloriæ, quam spe quidem consequimur manducantes corpus, & sanguinem Domini bibentes, te ipsa verò non

non prius adipiscemur, perfectè scilicet, quàm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatè. De quo item Christus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Est etiam mutæ dilectionis in nobis confœderatiuum, non significatiuum solum, teste Augustino: Significant species panis & vini, communionem charitatis inter Christianos esse debere, vt sicut ex multitudine granorum panis, & vuarum multitudine vini liquor vnus profuit, sic Christianorū vniuersa multitudo, sibi inuicem mutua dilectione solidissimè connectatur, ac verè fiat corpus vnum, 1. Corinth. 10. Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus &c. Ceterum quoniam hanc vnionem potissimum præstat & efficit vnitas capitis, idcirco Christus huius corporis caput, præsens est in hoc sacramento; vt non modò significetur ista communio, verum etiam efficaciter præstetur iis qui se idoneos reddunt. Sicut enim à capite nerui suam originem sortiuntur, quibus tum caput ipsum membris, tum membra singula sibi colligantur: sic ab hoc capite Christo nerui charitatis diffunduntur per huius sacramenti sumptionem ad singula membra: spiritusque Christi transformat, viuificat, & cōnectit ea, tam inter se, quàm ipsi capiti per esum ipsius corporis, & potum sanguinis, Ephes. 4. Veritatem autem facientes, in charitate crescemus in illo per omnia qui est caput Christus, &c. Tertium frequentatio. Quoniam mors Christi non erat iteranda, ne quando tantum beneficium elabi posset à mentibus hominum, neue sacrosancti scœderis initi semel, cum salutis suæ authore possent obliuisci, instituit vt crebra communionē sacri panis & calicis memoria renouaretur inter Evangelicæ legis professores, donec veniat, non iam seruator, sed iudex, 1. Corinth. 11. Interim non expectanda alia hostia pro peccatis, quandoquidem hæc vnà sufficit pro abolendis peccatis totius mundi. Vt ergo sit nobis quod offeramus acceptabile sacrificium, quo nobis respicientibus conciliatum & placatum certò Iohannes patrem, id nobis facere in sui memoriam præcepit, Luc. 22. 1. Corinth. 11. Chrysostr. super illud, 2. Timoth. 3. Volo quidem adiuicere planè mirabile, & nolite mirari neque turbemini. Quid verò est istud? Sacra oblatio ipsa, siue Petrus, siue Paulus, siue cuiuslibet meriti sacerdos offerat, eadem est quam Christus dedit discipulis, quamque sacerdotes modò faciunt, nihil habet ista quam illa minus. Cur id est? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui datè sacrificauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdos nunc quoque pronuntiat: ita & oblatio eadem est.

Sequitur:

Sequitur: Et hoc igitur Christi corpus. & illud: Qui autem hoc illo minus habere aliquid putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest & operatur. De hoc sacrificio Dominus, Malach. i. promisit. Postquam crassa legis exprobrauit holocausta & hostias, mox istud statuit toto orbe terrarum offerendum: Ab ortu, inquit, solis, vsque ad occasum, magnū est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Et paulò post de Christi aduentu, deque Ecclesia loquens ait, 3. cap. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Et Rabbi Ionathas, ben Vziel, qui vixit ante Messiam, sic interpretatur versum, Psalm. 71. Erit sacrificium panis in terra, in capite montium Ecclesiae. Videat qui habet oculos, quod sicut dictum est, ille est Messias, de quo loquitur totus Psalmus. Cùm ergo ait: Et erit placenta frumenti in terra in capite montium, vult dicere, quòd placenta panis, fiet sacrificium in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia. Et Rabbi Salomon, qui vixit circiter Christi natiuitatem: Erit placenta frumenti in terra, in vertice montium: Magistri nostri, inquit, exposuerunt hoc esse genus placentarum in diebus Messiae. Vnde in libro Siphiae habetur: In diebus Messiae frumenta producent placentulas, sicut est plenitudo volae siue palmae manus, & venies & accipies inde plenitudinem placentulae rotundae, instar volae manus, iuxta refectionem tuam. Haec igitur fuit fides Rabbinorum Iudaeorum, vt buccellam panis dicerent Messiam, iuxta illud Osee: Inclinabo ad eos cibum, & traham eos in funiculis Adam. Sicut enim fuit redemptor primus, id est, Moses: ita erit & redemptor nouissimus, id est, Messias. Nam sicut Moses dedit panem è caelo: ita Messias erit, vt scriptum est, buccella panis in terra.

EPILOGVS.

Institutio venerabilis Sacramenti altaris in praesenti Euangelio continetur. Finitis quippe veteris agni caeremoniis, transit Christus ad institutionem noui & veri agni, quem in memoriam suae passionis & nostrae redemptionis frequentari instituit: de cuius dignitate sic inquit C. . . . A. Vide o homo qualis sis à Christo honore honoratus, quali & mensa potius: anod angeli videntes horrescunt, nec sine reuerentia respicere audent, propter eam: qua inuis fertur consecrationem. Confirmatur ergo verbis Christi Christiano & catholica nostra confessio de hoc Sacramento, qua haec est: Credo corde, & ore confiteor sub speciebus panis & vini in venerabili Sacramento, veraciter, essentialiter & praesentialiter esse & contineri, verbi Christi virtute, carnem & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, cor-

sti, corpus & animam eius, Deum & hominem, adeo veraciter atque de Maria virgine natus est, atque in cruce pependit: nec non iam sedet a dextris sui Patris omnipotentis in caelo. Vt ego sit nobis quod offeramus acceptabile sacrificium quo nobis respicientibus conciliatum & placatum certo sciamus Patrem, id nobis facere in sui memoriam praecepit, 1. Corinth. 11. Unde cum discipulis idem faciendum praecepit, manifestum est post verba consecrationis prolata à sacerdote, non panem, sed corpus esse Christi, atque iam veram transsubstantiationem, post vltimum verborum instans, fieri, vbi compleitur sensus: quae sit non virtute ministri, sed Dei. 1. Pet. 4. Ipse enim adest sacris verbis, modo adfit legitimus minister, forma praescripta, & fides Ecclesia.

FINIS Epistolarum & Euangeliorum
Quadragesimalium.

LAUS Deo opt. max. omnium bonorum ac
gratiarum fonti exuberantissimo.

Deuter. 32.

Inimici nostri sunt Iudices.

*Pis, succincta, & utilis est haec in Epistolas & Euangelia
Quadragesima explicatio, digna quae qua legatur &
manibus teratur:*

*Ita attestor Reynerus Brakelius Supplebanus
D. Mariae virginis Antuerpie.*

*Idem attestor ego Philippus de Almaraz, Ca-
nonicus Antuerpiensis: Actum 29. Ia-
nuarij, 1567. stylo Brabantie.*

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM

QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

A Bacur cur à Deo Danieli discophorus deslinatus.	501
Abacuc quid interpretetur.	505
A baptisinate tentatio expectanda.	69
Abiedii iudei, & eretici Ethnicii.	222
Abysus insidiorum Dei abditissimus.	251
Abstinencia fidei & charitati coniuncta placet.	18
Abusus & hæreses, ecclesiæ & imperio sacro periculose res sunt.	500
Abusus principii qui.	79
Abusus hodie omnis plenus.	302
Abusus reformatio paucis cordis est.	169
Adoratio &ucharistia.	623
Adversitas summæ est patris voluntas, & quare innotuit.	40
Adversitatibus quomodo occurrendum.	21
Adversitatorum vana persuasio.	511
Adulatio aulica superstitiosa est idololatria.	173
Adulatores in Principum aulis regorum & eorum publicarum ruinae sunt.	14
Adulter est in vxore ardentior amator.	95 137
Adulteri enormitas.	94
Adulterium quomodo olim puniuntur.	244
Adulterium semper grauissimè puniunt, etiam apud ethnicos.	341
Adulterum & paruulorum dispar salutis ratio.	407
Acquitas & iustitia diuina.	92
Acquitas in omni opere seruanda.	95
Acquitiem iudici sui tuetur Deus.	91
Aeternitate Christi iudeis respondit.	377
Aeterna mors ubi ista de puniuntur.	106
Affectus, his quid declarauerit Christus.	446
Affectus veri in Christo, sed alia ratione quam in nobis.	446
Afflictio iustorum & impiorum dispar fortitudinem.	41
Afflictiones fortuito non accidunt.	401
Afflictiones ad meliora compellant.	257
Afflictiones non sunt perpetuo signa Dei irati.	416
Afflictiones voluntate Dei diutius aliquando durant, vt glorificentur in nobis.	111
Afflictio non est ad denda afflictio.	416
Afflictorum consolatio est quod Deus eos videt.	112
Agonum nomine pios intelligit.	48
Agricole vixit Christi proprie sunt Episcopi.	214
Allegoria iuxta Pauli mentem.	315
Allegoria quid sit.	311
Allicum opus quomodo Deus facere dicitur.	71
Alare nostrum Christus, & eius meritum.	129
Alzarcato meretricis quid significat.	366
Aluata montis Tabor.	124
Amanitæ impune se ferocunt.	175
Ambrosio aut iupetia & alia.	509
Ambus & avaritia hæreticorum, ecclesiam turbat, & regna.	500
Ambitio omnia diruit, & funditus evertit.	282

Ambitio quantum damni inuenerit Ecclesiæ, regnans tam in choro quam in foro.	108
Ambitiosi animam venalem circumferunt.	59
Ambulare in veritate.	16
Amor Dei indignis erga suos electos.	453
Anabaptistarum error impius.	18
Anabaptistarum & Caluinistarum errores.	570
Angeli administratorij spiritus, & custodes nominati.	59
Angelorum cura de nobis, & affectus erga nos grandis.	60
Anima immortalis contumitur.	198
Animæ omnes Dei sunt creatione, non merito.	93
Animus in ieiunio & pietate candidus esse debet & sincerus.	28
Animus magnanimus & fortis Diogenis.	173
Annulus in manu.	218
Antestatum cadere, & cum adorare qui dicitur.	59
Antichristus notatur.	128
Apparitiones spirituum aliquando fieri credit Ecclesiæ.	204
Apologia Christi.	408
Apologia Christi contra inimicos suos.	84
Apostoli exortiti.	253
Appetelus cur labi permisit Christus.	185
Apostolorum doctrina præcipua est ethica.	115
Apostolus rogare maluit, quam imperare.	133
Aqua viva donum aut gratia spiritus sancti.	112
A quibus abstinendum, si insitiam parere voluerimus.	36
Arbitri libertas gratie cooperatur.	197
Arca tabernaculi.	464
Arcia via que ducit ad exilium.	593
Argumentum ab abusu non valet.	295
Argumentum à doctrina ad mores non valet.	462
Arma Christianorum contra satanæ tentationes.	56
Arma Ecclesiæ & hæreticorum diuersa.	484
Arma quibus diabolum Christus abegit.	61
Arianorum & Anabaptistarum errores confutatur.	463
Arrii consuetudo & Sabellij.	327
Articuli Bæsi compositionis Sanctorum confirmantur.	512
Afferret nonne Christo, & veræ libertatis donator.	102
Australia grauis morbus.	589
Australia magnos in republ. metus excharosolent.	118
Australia radix omnium malorum.	110 241 262
Australia regnat in orbe.	243
Außer salus Christus.	43
Außeritas civilis & Ecclesiastica est ex Dei ordinatione.	163
Audacia humana temeraria dum spiritus Dei non tenentur.	529
Augustini sententia de Angelorum ministerio obseruanda.	60

I N D E X.

Aulicorum clamor contra Danielem.	500	Cathedra triplex.	174
Aurum habet Ecclesia, non vt seruet, sed vt ero-	362	Cathedra pestilentie, quæ etiam hæreticorum	165
get.		est.	165
B		Catholicus sensus Christi est vox.	220
Babylonis destructio, & veri Israelis libera-	255	Cauium hæreticorum contra caelibatum sacer-	313
tio.	255	dotum.	313
Baptizati dicuntur rectè carere omni peccato,	260	Causæ ad vitam Christianam nos mouentes	50
etsi non omni malo.	260	dux.	50
Baptismi effectus.	260	Causæ, cur solum prohibuerit, & loculum attri-	416
Baptismi præludium Piscina.	110	gerit Christus.	416
Baptismus piscina excellentior in quo fuerit.	120	Causa desertionis Iudæorum.	155
	120	Causa transfigurationis Domini in proprio cor-	127
Baptismus sacramentum illuminationis.	432	pore.	127
Basilizoneni sunt omnes Christiani in hoc	40	Cauterium quando adhibendum fratri.	220
mundo.	40	Ceremoniarum pia asserio.	404
Basis orationis meritum Christi.	150	Ceremoniæ Christi in hoc miraculo quid con-	360
Beatitudinis distinctio.	71	tineant.	360
Beatorum mentio ritè sit in laudis sacrificio.	533	Ceremoniæ Ecclesiæ ad quid spectent.	329
	533	Centurio bonus princeps & paternus.	20
Bellum multorum capitum respubl.	62	Centurioni erga famulum amor & pietas.	18
Benedictio Isaac symbolum erat benedictionis	235	Centurioni fides & obedientia.	20
diuinx per Christum sciendæ.	235	Charitas Christi.	580
Beneficia in nouo testamento per Christum ex-	62	Charitas Dei & proximi gratiis. Deo hostia	242
hibita.	62	est.	242
Beneficia Spiritus S. omnia insigni metaphora	497	Charitas Dei patris erga Iudæos.	212
proponit Christus.	497	Charitas diuidit inter filios regni & gehennæ.	241
Beneficium rependit Christus pro iniuria.	476	Charitas sese extendit ad omnes.	36
Beneuolentia regis Syriæ singularis in suum in-	257	Charitas vera de proximi salute est sollicita.	444
terit principem.	257	Charitas vinculum perfectionis.	580
Benignitas Dei sese nobis obstringit.	4	Charitatis gradus.	242
Bibere de fonte Christi quid sit.	498	Charitatis mutue est pro inferis orare.	309
Blasphemia & calumnia Iudæorum in Deum im-	92	Christianorum est curam agere viduarum & or-	275
pudentissima.	92	phanorum.	275
Blasphemia grandis Iudæorum.	155	Christianos decet gratiarum actio.	244
Blasphemia insignis Iudæorum.	453	Christianos quomodo vana gloria tentet satana-	55
Bona agere non sufficit, sed bona bene agenda	512	nas.	55
sunt.	512	Christi humilitas.	587
Bona opera rectè merita vocentur.	422	Christi in cruce maximè gloriosum.	128
Boni à peccatis desiliunt virtutis amore, & mali	244	Christo adhaerentibus nihil est mentendum.	439
formidine peccatorum.	244	Christo adhaerentibus nihil est mentendum.	439
Bonitas Dei ad poenitentiam nos inuitat.	104	Christum qui verè sequatur.	457
Bonitas Dei ad poenitentiam nos inuitat.	104	Christum qui verè sequatur.	457
Bonum malum vincendum omnibus.	120	Christum risisse non legitur.	446
Bonum quod est perpetuandum.	300	Christus à Deo patre benedictus.	582
Bucolica metaph. promittitur Christus oues suas	61	Christus adulteram clementer absoluit, & pru-	347
quæsiturus, visitaturus, & liberaturus.	61	denter poenitentiam admonuit.	347
C		Christus adulteram dimitrens satisfactionem	347
Caiaphas simoniacus pontifex.	559	pro peccatis non abrogauit, sed confirma-	347
Calamitates cur immitrantur.	404	uit.	347
Calamitates publicæ ob peccata intelliguntur.	121	Christus apud quos maneat.	510
	121	Christus cum suo spiritu adest conciliis genera-	285
Calceamenta.	138	libus.	285
Calumnia crimen.	516	Christus cur passionem suam & mortem pocu-	162
Calumnia hypocritarum in Christum perfida.	124	sum & baptismum vocet.	162
	124	Christus exemplum compassionis in pauperes.	399
Calumnia Seniorum Babylonicorum aduersum	536	Christus exemplum lenitatis est prælati erga	349
Sufannam.	536	subditos.	349
Canonicæ preces non vana.	121	Christus Hierosolymitis, nec hospitem, nec man-	21
Caput nostrum quando vngitur.	10	sionem inuenit.	21
Cardiographus solus Deus.	325	Christus hostia & victima pro peccatis.	567
Castitas æque in matrimonio atque extra mari-	238	Christus in Ecclesia est, tanquam extra eandem.	221
monium seruari debet.	238		221
Castitas angelis germana est virtus.	335	Christus lapis reprobatus.	220
Castus interiorum in faciem.	219	Christus lapis angularis.	220
Cathedra Christi.	165		220
Cathedra Moysi quæ.	264		220
			Christus

I N D E X.

Christus maior Iona & Salomone.	87	Conterraneos suos paruo honore Christus non affectit.	265
Christus ministris verbi sui vult reddi honorem debitum.	263	Conuerſio quid fit.	2
Christus nescitur & scitur.	462	Conuerſio vera & poenitentia in quo consistat.	103
Christus omnia potest.	615	Coniugia quando retundenda.	476
Christus pastor & pabulum.	452	Coniugia Christianorum qualia debeant esse.	317
Christus quam necessarius nobis.	123	Conuiuium in quo Christus accumbit, quid praesignet.	568
Christus quare subleuatis oculis orarit.	572	Corban quid interpreteretur.	292
Christus quomodo mortuus pro peccatis.	154	Corde qui procul a Deo absint.	295
Christus quo pacto clarificari a patre rogauerit.	576	Cor hominis prauum non natura, sed vitio primi parentis.	190
Christus quomodo patrem glorificauit.	575	Corpus Christi non tantum mnemofynon, sed pignus & arrhabo salutis aeternae.	619
Christus quos diligit, castigat.	435	Corpus Domini, non fornicationi consecrandum.	136
Christus quos sua visitatione dignetur.	587	Corpus quale Christus Apostolis dedit.	620
Christus semper maiora dat quam rogatur.	21	Corredio fraterna.	276
Christus sibi ipsi non est contrarius.	511	Corredioni Pontificali adesse debet censura Censuriana.	219
Christus solus remansit, Mose & Helia dilapsis.	119	Cor seindere quid fit.	2
Christus sub figura Phariseorum corripit negligentiam & fastidium Ecclesiae Praelatorum.	162	Credere & operari hic opus est.	48
Christus voluntarie passus est.	177	Creatura nulla Deo praerenda.	59
Circumuentio in negotio crimen.	514	Culpa sua perit, qui quis perit.	527
Clauum legitimum vsus quando.	283	Cultus Dei patris opponitur caeremoniis Iudaeorum, Samaritanorum, & Gentilium.	328
Clementia & Ioanannitatis Dei signum.	92	Cultus laruatus quid fit.	302
Clementia Dei poenitentiam veram a nobis requirit.	105	Cura Angelorum de nobis, & affectus erga nos grandis.	60
Clementia Dei patris in Isaac exprimitur.	224	Cura & sollicitudo Dei quam habet pro populo suo.	62
Cleri & Laicorum est certa differentia.	289	Cura patris Iacob erga filios.	207
Cogitationes orationis & operationis.	397	Cura sua Deus omaem nostram indigentiam praeuenit.	357
Cogitationes Iudaeorum contra Christum.	565		
Comes diuitiarum luxus.	191	D	
Commercium idololatrarum fidelibus prohibetur.	94	Damnari non solum ob flagitia, sed de bono etiam oruſo.	71
Comparatio nulla rerum caelestium ad terrenas.	464	Damnatio Iudaeis cur praedicitur.	92
Comparatio rerum humanarum ad diuina nulla est, sicut nec finiti ad infinitum.	73	Damnatorum poenitentia fera & inutilis.	72
Concio Iona ad Niniuitas comminatoria.	485	Daniel exorauit Dominum, quod ritè oraret.	119
Concilium Iudaeorum quam multipliciter iniuratum.	565	Daniel p. sonam populi Israelitici sustinet.	532
Concordes qui verè dicantur.	284	Davidis mo. ui merita adhaerent iuueni.	17
Concordia virtutisque ordinis optimatum Deo gratia.	315	Declinatio a malo, & f. se be. u. n. quid fit.	169
Concordia, pax & vnitas inter vtrunq. e. magistratum esse debet.	83	De gloria h. mana tenatur. i. i. s. u. s.	55
Confessio ex vera cordis contritione proficisci debet.	149	De habendi cupiditate, di. tate & potètia tenatur Christus.	58
Confessio Sacramentalis.	234	Dei & Sacramentorum contemptores, eadem quae pertinaces Iudaeos manet sententia.	90
Confessio Naaman.	260	Dei gloriam, potentiam & maiestatem sibi vendicare conatur diabolus.	58
Confessio plebis Hierosolymitanae de Christo.	75	Dei ingens misericordia.	358
Confutatio Christi aduersus Scribas.	251	Dei misericordia, patientia & Ioanannitas immitte.	2
Confutatio erroris Samaritanorum & Iudaeorum.	326	Deo mortui curae sunt.	414
Confutatio contra Iudaeorum admirationem de doctrina Christi.	384	Deo quando homines placeant.	135
Coniuratio Iudaeorum contra Christum haereditatem.	218	De terra Genezareth.	24
Consilium malum consulti pefsimum.	175	Deus cur electos suos permittat ad extrema pericula devenire.	338
Consilium Domini irremum non potest esse.	222	Deus in omni loco & tempore quare.	72
Consolationis summa quae.	453	Deus in quem sine. i. vocauerit nos.	139
Consolatio contra desperationem.	64	Deus Ioanannis & Iesus.	485
Consolantur pii, & terrentur impij.	205		
Consolatio insignis pro bonis.	69		

I N D E X.

Deus nō de sola fide & incredulitate, sed de operibus iudicabit.	225	Dominus vitæ & mortis Christus.	400
Deus nunquam deserit, nisi deseratur.	456	Domus Simonis & cæli.	305
Deus non punit bis in idipsum.	226	Dona Dei periculosa continentis Dei cognitioe & timore.	314
Deus non solum fidem vult, sed etiam bona opera.	121	Donum Dei Samaritæ prius absconditum.	321
Deus nonnunquam finit suos variè affligi.	159	Doni gratuita bonis & malis communia.	560
Deus pater cur solus Deus dicitur.	574	Dona spiritalia vendi non debent.	267
Deus pater cur verus Deus.	574	E	
Deus quando sanctificari dicitur.	316	Ecclesia tamen spiritalis, non tamen inuisibilis.	352
Deus sic culpam & penam remittit, vt penam æternam mutet in temporalem.	104	Ecclesiæ vera Arca Noë.	305
Deus ubique est & exaudivit veros adoratores.	327	Ecclesiæ ordines quinque.	117
Dies extremus, cur redemptionis dies dicitur.	84	Ecclesiæ fides & oratio efficac.	147
Diem Sabbati sanctitate quid sit.	192	Ecclesiæ preces defunctis piis profunt.	199
Dies salutis.	450	Ecclesiæ preces defunctis piis profunt.	199
Differentia bonorū & malorum hominum.	222	Ecclesiæ persequuntur Iudæi & hæretici, sed ipsa eorum nomen.	351
Differentia legis & Evangelij.	288	Ecclesiæ vere certissima nota.	160
Differentia quod faciat in hominibus.	21	Ecclesiæ qui vitæ appeller.	304
Differentia temporis noui testamenti.	40	Ecclesiæ veri munus.	26
Difficultas bene agendi vnde accidit.	197	Ecclesiæ catholice adulator non est.	219
Diffidentia quid faciat in hominibus.	24	Aggritudinis notæ remedium agnitione peccati.	
Difidere est non obedire.	245	F	
Dignatio filij Dei.	615	Efficacia varij ex Christi miraculo secuti.	428
Dignitas exceptorum à potestate tenebrarū.	246	Efficacia & dignitas oblationis in cruce factæ.	465
Dignitatem pontificiam dono prophetæ commendavit.	560	Efficacia vocis & clamoris Christi.	427
Dilectionis Dei erga nos argumenta.	216	Electi tentat Deus austeris & prosperis.	42
Discipulorum crasse ignorantia.	400	Electi ex omni suo Christo dati & prædestinati.	
Discipulorum obedientia.	581	G	
Discernio spirituum singulari Dei donum.	201	Eleemosynæ commendatio.	35
Discrimen inter Christi & mundi discipulos.	572	Eleemosyna de præda facta Deo ingrata.	65
Discrimen inter iustitiam mundi & Christi.	450	Eleemosyna fructus charitatis præcipuus.	16
Discrimen verbi Dei & verbi sanæ.	479	Eleemosyna iusta dicit corporaliter & spiritaliter.	362
Disimulatio Dei & tentatio quod sentiant.	153	Eleemosynæ præmia.	36
Diuinitatem suam ostendit Christus.	483	Eleemosynæ vitæ.	37
Diuinitatis ne potentia Christi efficacissimum argumentum.	271	Elm quomodo miraculo dono vñs sit.	431
Diuitiæ & paupertas vnde diaphora.	106	Elisei manifestatio.	171
Diuitiæ parentum aliquando sunt filijs occasio perditionis.	226	Encomium & dignitas officij sacerdotalis.	148
Doctores catholici non spernenda.	112	Episcopi est infernus in fide suscipere.	119
Doctrina Christi quid in vna muliere peperit.	255	Episcopi officium est manere in quiete.	118
Doctrina Christi iustitiam quam vt ingenio humano apprehendat queat.	523	Episcopi, Pastoris & Pænitentis officium.	156
Doctrina Ethica pro peccatis.	147	Episcopis & Pastoribus quid incumbat.	301
Doctrina pharisea & sabbatariorum & aliorū.	177	Episcoporum & pastorum munus quod sit.	172
Doctrina iuanis Christi iustitiam ostendit.	386	Epitreta soli Deo propria.	172
Doctrinam suam cur miraculis Deus confirmare super valuerit.	411	Aequalitas Christi cum patre, vnde dignoscitur.	
Doctrinam suam de diuinitate confirmat Christus.	519	H	
Doctrina Principibus per maxime necessaria.	15	Hæreticus in omni opere seruanda.	65
Dolores inferni perpetui & æterni.	70	Aequitas maior esse debet in ecclesia quam in curia sithaicorū, atque in synagoga iudæorū.	528
Domus ad affectus in que mala nos rapiat.	52	Error assentium iustum in omni opere peccare, resistat.	96
Dominum qui nunc quaerunt, inueniunt.	151	Error hæreticus resistatur.	70
Dominus solus præbet corda & tenet.	100	Error libertinorum excusatur.	99
Dominum quando quaerendus.	72	Error operis damnosum.	76
Dominum tuos non affligit vt peccat, sed vt laute.	45	Error Platonicus conuincitur.	209
		Error VVycliffi refutatur.	561
		Accumulus multus & molestus Christus suos exercet.	316
		Elasias loquuntur in æternis personis.	178
		Esau nesciens suum, quomodo odio habuit Deum.	
		Esu non sine sua culpa relictus.	221
		Esu progenies typhæ hæreticorum.	226
		Aestu tribulationum manet fidelis.	452

I N D E X.

Ethicum incubationis prophetice.	418	Fideles lux vocationis esse memores debent.	134
Ehnicis etiam ad gratiam baptisimi vocati.	258	Fidelium fides & obedientia in Deo qualis.	199
Euangelij doctrina non est sanguinaria.	491	Fidelium vita sine offensione esse debet.	49
Euangelij doctrina orbem vniuersi peruasit.	453	Fides & obedientia mulieris vidue erga verbum Dei.	274
Euangelij effectus varij.	346	Fides nostra de extremo iudicio.	71
Euangelitarum opus fecit Samaritana.	350	Fides omnia merita precedit humana.	350
Euangelium non solum gratiam, sed iustitiam inculcat.	485	Fides operosa sola saluat.	60
Excommunicatio.	281	Fides quomodo dicatur vita eterna.	575
Excommunicatio ecclesiastica non inanis, neque contemnenda.	282	Fides sua habet incrementa.	444
Excommunicationis effectus æque efficax atque olim.	283	Fides Syrochamizæ magna quæ.	146
Exemplum duo inter se contraria.	107	Fiducia & securitas quorundam tollitur.	2
Exemplum fidei, humilitatis, patientiæ, & perseverantiæ in Chanana.	148	Fiducia inanis diuisidetur.	303
Exemplum optimarum maximè mouet.	427	Filij & serui dispar conditio.	101
Exemplum pro prelati Ecclesiæ.	288	Filij sæpe temporalibus supplicij ob parentum peccata puniuntur.	98
Exhortatio ad vitam Christianam.	50	Filius Dei se aperte Christus demonstrat.	523
Exhortatio virens ad penitentiam.	5	Filius Dei audiendus.	128
Ex humana ratione de Deo non cogitandum.	73	Filius Dei se Christus ingenitè fatetur.	403
Ex operibus possimus sperare mercedem.	14	Fimbriæ quid Iudæos docebant.	107
Ezechiel decumbentis penitentia & oratio & lacrymæ.	15	Finis Legis Charitas.	62
Ezechias consolatur per Isaiam.	14	Fœdus in quod Christus est datus.	458
Ezechias cur morbo tatus.	24	Fons reprobationis Iudææ incremullitas.	470
F		Fontes sicci, nubes sine aqua, & arbores aurum-nales qui dicantur.	91
Facies vera Ecclesiæ Christi.	568	Fructus fidei & obedientiæ.	163
Facinora hæreticorum grauiora sunt, quam Ecclesiasticorum scandala.	374	Fructus lucis in quibus consistant.	246
Facinus horrendum Iudæorum.	222	Fructus veræ penitentia.	422
Falx messoria.	333	Fructus voluntatis humanæ deprauatæ.	270
Fames quid significet.	217	Fuga persecutionis aliquando licita.	563
Famis plagar præcipuæ.	159	Fuga sua Christus docet, cur missus sit à patre.	394
Fatale fuit Salomonem primo meretricum causam iudicasse.	366	Furor hæreticus bonis operibus detrahere.	198
Felicitas & securitas in regno Christi non querenda.	180	Furti & mendaciæ crimen.	514
Felicitas fidelium quanta sit.	382	Furti poena.	515
Felicitas hominis in Domino confidentis.	188	G	
Fera pessima inuidia.	210	Gallinæ parabola affectum suum erga electos exprimit Christus.	453
Festa cur excoluerit Christus.	108	Genius inuidis peccatis.	210
Festa dies, de qua hæc agitur, tabernaculorum erat, Scenopegia.	381	Genium primitiæ Centurio.	15
Festa Iudæica præcipua fuere tria.	107	Giezi culpa quam grauis & quotuplex.	262
Festum cur occultè adierit Christus.	511	Giezi leprosi hodie qui sint.	161
Fidei articulus de secundo Christi aduentu astruitur.	65	Glorificatio Christi duplex.	577
Fide & spe animus ad Deum dirigendus.	150	Gloriam Dei qui mutant in idolum.	282
Fidei dictamen.	274	Gloria nostra inter ignominiam & bonam famam.	513
Fidei effectus.	217	Gratus primus ad salutem agnoscere propriæ naturæ miseriam.	146
Fidei & charitati peculiare.	51	Græcorum agnoscit aduersus adulteros.	117
Fidei & constantiæ primum.	3	Gratia Christi omnibus ex illa.	417
Fidei fructus penitentia.	5	Gratia Communionis Sanctorum concessa quæ.	416
Fidei natura.	407	Gratia Dei imbecis comparatur.	74
Fidei oratio cælos penetrat.	17	Gratia Dei nomine quid intelligat Apostolus.	47
Fidei peculiare quid sit.	429	Gratia Dei nulli peccatori, quamuis iusto, neganda.	286
Fidels cum timore & tremore salutem suam operari debent.	190	Gratia Dei opus est, vniuersum hominis bonum inicit & consummet.	212
Fidels Christum in reuerentia imitari debent.	51	Gratia Dei possibilibus omnia.	19
Fidels in quem finem imagines venerentur & colant.	289	Gratia Dei penitentia referenda, & accepta bona omnia.	74
Fidels quomodo ex scripturis dicantur iusti.	54	Gratia noui testamenti a veteri transferenda adhibetur.	269
Fidels sæcundibus tria tenentur.	148	Gratia noui Testamenti Iudæis primum præparata.	124
			Gratia

I N D E X.

Gracia noni testamenti mundo mortuo aduentu Christi exhibitā.	477	Impietas hereticorum circa eximonia.	169
Gratiarum actio in missa potissimum sit.	121	Impiis familiare peccatis propriis indulgere.	551
Gratiz precipuus effectus.	48	Impiis familiare pios persequi.	475
Gubernatorum negligentiz non raram impunitam reipub. calamitas.	314	Incubatio Helisei quid pręsignauerit.	418
H		Indignatio Naaman quid denotet.	259
Hæreditatem in regno Dei nemo habet nisi filius.	214	Indumenta mollia, mollium animi indicant.	191
Hæreses & schismata vnde excreuerint.	26	Infidelitatis Iudæorum meritum.	453
Hæretici idololatrz in excelsis sacrificantes.	94	Infirmitas humanæ naturæ.	550
Hæretici iniqui & inordinati.	118	Infirmi varij sunt in Ecclesia.	219
Hæretici meretricum more sibi mutuo iniuriantur.	366	Innocentia Christi.	596
Hæretici seueri aristarchi, & orbis iudices.	295	Insignis Christi misericordia.	596
Hæretici suis cupiditatibus consulant.	383	Intellectus merces fidei.	327
Hæreticis, vii & meretricibus, non est fidendum.	167	Intellectus verus scripturarum nusquam iuuenitur, quàm in Ecclesia.	362
Hebraismus est, familiares aut cognatos vocare fratres.	91	Intellectus scripturarum vero, scriptis falso adducis resistendum.	57
Hebraismus est ponere carnem brachium suum.	127	In templo quid faciendum.	79
Heliteus Eliz discipulus.	431	Inuidiz fracturæ gratiz exempla.	206
Heluidij & Epiphanij errores.	506	Inuidiz ferocia.	208
Hieremiz fides & constantia.	551	Inuidiz natura.	254
Hoedi impij.	68	Inuidiz fratrum Ioseph.	208
Homines Christiani ieiunium.	9	Inuidiz vox proverbialis.	568
Homines, multi plus timeat, quàm Deum.	511	Inuidia excreuit Iudæoz, vt hoc quod viderit, non videret.	76
Homo carnalis non intelligit que sunt spiritus Dei.	130	In vocatione qua vocati sumus permanendum.	49
Honor parentum in quibus consistat.	286	Ioram regis Israel perfidia erga Deum.	258
Hora sexta iudicis erat, quæ nobis est meridies.	325	Ordanis typus est baptisui.	260
Hore Christi quæ.	572	Iosephus sic 22. stadium esse latitudine montem Thabor.	124
Horrendus Dei iudicium in Iuda.	606	Ioseph typum & figuram Christi gessit.	205
Humilitas Centurionis.	22	Ira Dei quomodo occurrendum.	150
Humilitas innocenti probanda.	419	Ira & vindicta Deus Iudis oculo ponitur.	1
Hypocritis duplex apud Deum iniquitas.	166	Ira animus quando ad deteriora prouocetur.	148
Hypocritarum mimis.	27	Ismaelitz & Madianitz vna sunt gens.	202
Hypocritæ quæ.	6	Iudaica festa quorum vitio Deo abominabilia.	103
I		Iudæi bis peccabant lapides contra Iesum capiendo.	529
Iacob verè dixit se patris esse primogenitum.	223	Iudæi carnales & animales mysteria Christi non assequuntur.	378
Idololatrz hæretici & Simoniaci.	380	Iudæi duabus de causis tantum colebant Patrem.	601
Idololatria est non obedire.	380	Iudæi ex Deo, & non ex Deo.	472
Idololatris ferè in montibus fiebat.	94	Iudæi homicidij auctores.	329
Idololatrz prohibitio.	288	Iudæi quomodo Christum quæsierunt.	152
Idolum nihil est.	288	Iudæi sua sententia condemnari.	219
Ieiunium quando sanctificetur.	3	Iudæorum carceris.	218 458
Ieiunatores externi diximus imitatores.	10	Iudæorum consilia contra Christum.	564
Ieiunij nomine quid intelligat Christus.	10	Iudæorum ingratiudo.	216
Ieiunij nostri fundamentum ex Euangel. petitur.	50	Iudæorum ingratiudo detestabilis.	320
Ieiunia eleemosyna adungi iubetur.	11	Iudæorum malicia.	604
Ieiunium hypocriticum.	6	Iudæorum oblatione Moses & prophetæ prædixerunt.	519
Ieiunium legis & Euangelij testimonium habet.	43	Iudæos nunquam Deus reliquit sine sui cognitione.	216
Ieiunium, saccus & cinis ad penitentiam peruenit.	437	Iudæi cur longe sint à salute.	424
Ieiunium sanctificare quid.	10	Iudæi ex Deo, & non ex Deo.	472
Iesum Christum orator & exauditor.	322	Iudæi infij vaticinatur pronuntiandum.	497
Imaginem Christi qua Moses.	322	Iudæorum abiectio, & vocatio gentium prædictur.	24
Imitatores prophetae ad mortem non videbunt in æternum.	418		

I N D E X.

Judex Christus nec falli nec corrumpi poterit.	67	necnon eius sapientie.	158
Judex corruptus male examinat verum.	461	Laud virtutis est comes.	168
Judex in proferenda sententia non sit princeps.		Legis imperfectio.	349
343		Legis Moſaicæ imperfectio.	416
Judicandorum differentia.	68	Legis vetus & legitimus vsus.	389
Judicia Dei vera, iuſta & incomprehenſibilia		Legis veteris imperfectio.	30
male accuſantur ab impiis.	92	Legum moderatores perſixpe legum perverſores.	37
Judicia priuata ſunt prohibita.	398	Lenitatis exemplum in Chriſto.	391
Judicia temeraria fidelibus fugienda.	401	Lex actionem exarremam & non voluntatem co-	
Judicij æquitas omnibus præcipitur.	398	hibeat.	436
Judicij maieſtas et perſonæ & conditionis di-		Lex Moſaica cur in timore data.	288
gnitate iudicatur.	65	Lex Moſaica dilectionem proximi nobis com-	
Judicij veri officium.	343	mendat.	31
Judicis temeraria ſententia diſpar.	69	Lex Phariſæis tela araneacea & potentibus naſus	
Judicium carnis cæcum.	115	ceruus.	345
Judicium carnis de verbo Dei.	154	Lex tantum vmbra futurorum bonorum.	463
Judicium Chriſti perhorrendum inter Phariſæum		Liberalitas & munificencia Dei.	37
& peccatricem.	543	Liberator atque ſeruator orbis datus Chriſtus.	23
Judicium Chriſti verum, iuſtum & rectum.	461	Libertas bene faciendi hominibus relicta.	570
Judicium Dei horrendum.	562	Libertas Chriſtiana quæ ſit, & in quibus confi-	
Judicium & iuſtitiam cur Scriptura copulet.	94	ſtat.	98
Judicium quæ exercuerit Chriſtus.	461	Libertas Evangelica.	352
Judicium quàm terribile maneat relabentes.	90	Libertas prophetæ in docendo obſeruanda.	14
Judicium temerarium prohibetur.	302	Libertas omnis quæ aliunde quàm per Chriſtum	
Judicium Dei aliud quàm hominum iudicium.	73	paratur, imaginaria eſt.	102
Judicium carnis non intelligit quæ ſunt ſpiritus		Libertas ſpiritus, & carnis inter ſe pugnant &	
Dei.	84	differunt.	99
Judicium rectum quis faciat.	96	Libertas vitæ & fidei paſſim omnibus cõceden-	
Juri & legi gratitudinis contrarium, mala pro-		da non eſt.	49
bonis rependere.	529	Libertas veri fidelis.	381
Ius ſummum, ſumma iniuria.	343	Liberum arbitrium ad malum efficax, & ad bo-	
Iuſtitia ante obitum operanda.	199	num debile & infirmum.	227
Iuſtitia Chriſtiana eſt declinare malum, & facere		Libido regnat in orbe.	243
bonum.	30	Lingua Elue clauis cæli.	411
Iuſtitia Chriſti.	212	Locus euidentis contra eos qui ſolam fidem ſuffi-	
Iuſtitia Dei ſingularis & miſericordia eſtendi-		tere docent.	420
tur.	103	Locutio Prophetæ metaphorica quid exprimat.	
Iuſtitia Dei nullum peccatum ſinit iuſtum.	533	189	
Iuſtitia Chriſti ſeuera in iuſtios templi Dei vio-		Luceſc ſe dicit Chriſtus triplicem ob cauſam.	
latores.	77	454	
Iuſtitia Chriſtiana eſt declinare malum, & face-		Lugendi cauſa fidelibus non deſit, nec abeſt cõ-	
re bonum.	39	ſolatio.	110
Iuſtitia diuina vult, vt vnusquisque onus ſuum		Lutum quid præſignet.	405
portet.	56	Lux Chriſtus iuxta prophetarum oracula.	454
Iuſtitia hypocritica.	726	Lux noua Chriſtus orta.	453
Iuſtitia hypocritica fugienda.	35	Lux ſunt fideles omnes, ſed in Domino.	454
Iuſtitia perfecta.	72	Luxuria, fornicatio, & adulterium, non ſolum fi-	
Iuſtitia perfecta declinat à malo, & facere bo-		lios, ſed conſtituunt verum membra quæ Spi-	
num.	28	ritus ſancti templi eſſe debent, corrup-	
Iuſtorum præmia.	29	punt.	242
Iuſtitiam veram homo conſequi poteſt.	93	M	
Iuſtitia originali amilla, ſicuti ſequitur in ho-		Magdalenæ charitas erga Chriſtum.	168
mine rebellio.	217	Magiſtratus ciuilis & Eccleſiaſticus eſſi-	
Iuſtitiarum philant.	409	cium.	470
Iuſtus æque atque clemens Deus.	107	Magiſtratus ſua præſcribunt officia.	517
Iuſtus ſemper orat.	121	Magiſtratus Eccleſiaſticus & poliſticus, cur popu-	
L		lo præſicitur.	84
L Abijs honorare qui dicantur.	295	Magiſtratus tamen impius, rectè punit fontes.	
L Lucii Epilcopi & Præſbiteri deſerant.	117	145	
Ludent aliquando ſe ſancti, & quæ ratione.	16	Maieſtas Sacerdotij Chriſti.	463
Ludent Deo aſſerunt Chriſtus.	81	Mala non ſunt facienda vt inde euanſcant bona.	
Lapis Chriſtus facit nos omnes lapides viuos.		373	
220		Mala publicam pacem turbant, cur morte pu-	
Laud pietatis Danielis celebris apud Prophetas,		niri voluit Deus.	342

I N D E X.

Mala quæ Iudeis imminabant.	566	Mors duplex in scriptura insinuat.	481
Mali homines cedendo quam respondendo magis vincuntur.	81	Mori in peccatis quis dicitur.	154
Mali proficiunt semper in peius.	483 563	Mori pro peccato.	154
Maligni Iudæi obstitit quo minus electi sint.	524	Mors Christi quid in electis sustulit.	93
Maligna peior non est invidia.	250	Mors mala sequi non potest, ubi bona vita præcessit.	198
Malignam Pharisæicam superant.	9	Mors Sanctorum pretiosa in conspectu Dei.	497
Malignæ Iudaicæ exaggeratio.	117	Mortui Deo dormiunt.	419
Malum pro malo nemini faciendum.	110	Mortui moderatè lugendî.	413
Mandata hominum remota, aut servanda quæ sint.	253	Moses mortuus & Elias superstes in transfiguratione adiunt.	127
Mandatum Dei quid sit.	291	Mos Iudæorum & furiosorum.	531
Manere in sermone Christi quid sit.	97	Mos improborum.	390
Manifestatio Christi.	608	Munia pastoris se obituro pollicetur Deus.	64
Manifestatio Moysi.	381	Murmur Israelis quam graue facit.	317
Mariam virginem immunem à peccatis facit Augustinus.	470	Mutat Deus aliquando sententiam contra hominum iuram.	17
Maris dominus, & fluminum Christus.	46	Myrica qualis herba.	183
Mari mortuum, vjrum reddi quid sit.	423	Mysterium mortis Christi.	210
Maturè à peccatis abstinendum.	541	Mysterium redemptionis humanæ significatur.	450
Mediator novi testamenti Christus.	466	N	
Medicium veritatem proferre nequit.	346	Nathan gratiarum actio.	261
Mens Dei quæ sit.	105	Nazaman Syrus, merito regi suo charus fuit.	257
Mercedis detentio graue peccatum.	516	Natura cæca.	245
Mercenario merces reddenda.	516	Natura excecitate carnis.	496
Merveces quare hodie neque concipiant neque pariant.	367	Natura carnis exprimitur.	430
Metricium peccatis est plenum.	367	Natura impij & pij.	430
Mensis Ecclesiæ duplex.	331	Natio Christiana quare deploratissima.	531
Metu mortis & iudicij futuri, cur suos Deus aliquando percellit.	14	Naturæ humanæ prauitas.	257
Ministris verbi Dei vitæ forma præscribitur.	49	Natura mundi propria quæ sit.	510
Ministorum verbi Dei asylum Ecclesiæ.	160	Natura nihil verius.	168
Miracula edere proprie piorum est.	417	Nazaræorum malicia Satanz maliciam superat.	259
Miracula in noua lege cur fiunt.	111	Necessitas orationis caeteroquet.	31
Miraculi Eliæ duplex effectus.	432	Nemo ultra vires suas sese elere debet.	123
Miraculum Christi maius.	78	Nicolaus Lyranus ex opinione cuiusdam Rabbi.	430
Miraculorum omnium Christi præcipuum.	453	Ninuitarum serua penitentiæ.	486
Miseria eorum qui Deum deliberata malitia deserunt.	549	Ninivæ & Regia Austeri quomodo condemnabunt Iudicium generationum.	87
Miseria humanæ nature insinuat.	110	Nisus Satanz aduentus Christum.	53
Miseria, quam peccati tyrannis affert.	100	Nobilibus honestam iurare.	518
Misericordia Christi erga miseros præcipua.	80	Nomen Dei quando glorificatur.	118
Misericordia Dei immensa.	562	Nomen Dei quod Iudæos latebat.	177
Misericordia Dei patris erga nos summa.	34	Nex quæ sit.	403
Misericordia Dei singularis erga impios respicientis.	73	Nomothetes, seu legis actor novus Christus.	128
Misericordia Dei immensa erga Gælitæ.	182	Nunquam in prælio cessandum quia hostis semper nobis impertuosus est.	56
Misericordia Dei quo medio propitia nobis fiat.	435	O	
Misericordia Dei singularis quando pastores dat qui scientia ac doctrina iuxta cor suum pauperunt.	61	Obedientiæ Christi meritum.	581
Misericordiam suam patefecit Clivitus in hoc infirmo.	112	Obedientiæ Eliæ & Sionis mulieris.	160
Messia hodie iustus.	94	Obedientiæ & fides cæci.	407
Modus seruandi, & regula.	6	Oberratio Iosaph quid significet.	207
Monachi iugoci.	369	Oblatio Aronica imperfecta.	466
Momenta Domini contempnere qui digni sint.	131	Oblationes.	464
Momenta spei contraplorationi.	125	Oblitio non cadit in Deum.	105
Moti. Simil quos significet.	83	Ob nostrum filium prodigus fuit cõsumendo suum peccatum.	214
Mores mulieris peccatrici.	537	Oblitiua transitorum gratiam Deo, succedat iudicium morum.	101
		Observatiunculæ & ceteri. His exteros citra veram pietatem concernit Deus.	29
		Obtinatos	

I N D E X.

Obtinatos relinquit Christus.	484	Origo & radix æternæ vitæ fides.	574
Odij crimen.	512	Ovium Christi, hoc est, electorum propria.	525
Odium Iudeorum erga Christum.	512	P	
Odium vitium peccatum vitium apud Ethnicos.	206	Patentum commune vitium.	179
Officium magistrat. Politici & Dei legis.	63	Parti prima veræ poenitentia cessare à peccatis.	306
Officium prælatorum ac principum Ecclesie.	173	Parulis & mortuis profunt sacramenta & preces.	425
Olivi virtus & faciei lotio quâ denotetur.	9	Passio cunctis communis familiaris debita reverentia privata.	267
Omne rarum carum, vilescit quotidianum.	268	Pastor bonus Christus novo testamento præcipue promissus.	62
Opera bona fructus poenitentia Deo placent.	544	Pastore absente, ovium nullus usus.	380
Opera bona poenitentia meritoria & iustificatoria.	28 482	Pastor animarum Christus panes scripturarum nobis frangens.	362
Opera bono affectu facta probantur, & reprobantur pravo affectu facta.	27	Pastores ad exemplar veri pastoris Christi sese componere debent.	63
Opera bona futuraria.	304	Pastores mali captivitate Babylonice causa.	61
Opera Christiano homine digna fideles perficere debent.	135	Pastorum ut alij boni, alij mali, ita disparia eorum officia.	63
Opera Christi non fuerunt irrita ac fructu vacua.	75	Pater orphanorum & iudex viduarum Deus.	273
Opera Dei que sint.	491	Pater orphanorum & iudex viduarum Christus.	420
Opera Diaboli, Christi operibus contraria.	254	Patentia & longanimitas præcipue Prælati est necessaria.	110
Opera ex fide & charitate non proficiunt invidia.	6	Patentiam suorum exercet Deus.	45
Opera externa absque cordis pietate veniam non merentur.	2	Patentia commendatio.	485
Opera iustorum fidelium iustitie mercede donantur.	139	Patriam. morem Christus moriturus observat.	371
Opera misericordie paucis complectitur.	37	Petrocinium Mag. Isaac suscepit Christus.	510
Opera non placet sine fide.	217	Pauperes iniqui non minus quam ceteri fontes potentes puniendi.	517
Opera non damnat Deus, sed pravam intentionem.	17	Pauperes laudabilis cum timore Dei.	156
Opera sanctorum quanti apud Deum sint.	512	Pauperum elemosina Deo præcipue est grata.	168
Opera supererogationis nemo nisi impius damnat.	215	Peccata peccatis solet Deus vindicare.	245
Opera trinitatis indistincta.	411	Peccata sensu cæcæta.	208
Operum bonorum affectio.	486	Peccato mori quid.	113
Opiniones & sermones varij in populo de Jesu.	551	Peccator clancularius clamulum corripendus.	276
Opinio Pharisæorum falsa de ciborum delectu.	296	Peccator deploratus adeo est nullus, qui non possit redemptionis potentia ad vitam gratie revocari.	477
Opinionum novorum architecti de templo sepe decidunt.	57	Peccator omnino servus est.	100
Opus externum, non solum prohibetur, sed etiam concupiscitur.	227	Peccator publicus publice arguendus.	276
Opus quod Christus à Patre accepit consummandum, quale fuerit.	576	Peccatum facere quis dicitur.	100
Orbita filiorum aut parentum gravissimos dolores adfert.	422	Peccatum nullum in Sanctis, æquè detestatur Deus æquè incredulitate em.	316
Orare, opus martiriorum.	532	Peccatum Pharisæicum.	9
Orare sedulo contra hereticos religiosum.	552	Peccatum mors animæ.	419
Oratio Cæcætonis.	20	Per bonum, intellige pluvij benedictionem, proficitatem, veram sabulosam.	123
Oratio Christi pro electis quando & ubi facta.	571	Perfecta poenitentia sine hâc consistere nequit.	425
Oratio Danielis plusquam rhetorica.	142	Perfectio Christianorum absoluta consistit in imitatione Dei.	241
Oratio & precationis sine fide non placet.	231	Perfectio iustitie Christianæ, & quid officiat.	14
Oratio per se ad poenitentiam.	488	Perjurij crimen.	514
Oratio esset pulchra & emphatica.	174	Perseverantia corona debetur.	56
Oratio iuncta lacrymis in Ecclesia celebris.	2	Perseverantia in bono nobis est opus.	105
Oratio tonæ iustitiam Dei & misericordiam proponit.	425	Personarum acceptores Nobilitate.	22
Orationem humilem cum iustis Dei misericordia & benedictio.	3	Petri modestia & animi demissio.	610
Oratio salomonis facta & digna que Dominum exorat.	345	Perseverantia in oratione requiritur.	144
Ordines duo in mundo.	125	Petrus, Iacobus, & Joannes quid interpretantur.	111

INDEX.

Pharizæi propriâ malitia exsecrati.	211	Præsentia iusti salus communitati contingit, absentia vero dispendium.	500
Phariseus quo morbo laborabat.	536	Præfidentes Ecclesie pauperum elemosynarum esse debent.	363
Phasæ veteris terminus.	600	Preces Sanctorum credentibus & sperantibus patrocinantur.	145
Philanthropia & humanitas Dei erga homines.	216	Preces Sanctorum efficaces.	381
Phrasæ scripturæ est cognatos fratres vocare.	505	Presbyteri Sufanæ infidiores non fuerunt liturgi, sed decuriones.	332
Phylasteria quid significent.	167	Principes mundi & Ecclesie quare fiant.	126
Figus debitori reddendum.	95	Princeps pater patriæ, quid patriæ debeat.	315
Plebs mala pastorem malum meretur.	63	Principes præcipuè dominum sapientiam præcari debent.	355
Poenitentia amouendi mali remediū vnicum.	1	Principum prædicatores adulatōres esse non debent.	258
Poenitentia cito.	5	Principibus plebs obaudire debet.	314
Poenitentia arma, ieiunium, oratio, & cinis.	173	Priuari Christo, vel ab ipso deseri, quid sit.	155
Poenitentia corporis & animi puritatem requirit.	4	Principis veri & tyranni differentia.	381
Poenitentia Ezechie effectus triplex.	16	Probatio ad Eucharistiæ sumptionem.	622
Poenitentia inefficax sine baptismo.	397	Probaticus, qualis locus fuit.	108
Poenitentia in quibus consistit.	1	Prodigalitas prohibetur, & indiscreta parsimonia.	363
Poenitentia partes contra expressum Dei verbum Lutherus reiecit omnes.	2	Promissa gratiæ noui testamenti splendidissima quæ sint.	73
Poenitentiam prædicat Luangelium in remissionem peccatorum.	25	Promissio amplissima gratiæ noui Testamenti.	62
Poenitentia secunda tabula est post naufragium.	111	Promissio noui testamenti.	358
Poenitentia sine merito passionis Christi & virtute humilitatis inefficax.	176	Promissio spiritualis.	32
Poenitentibus sperandum, non præsumendum.	3	Promissiones suas omnes Christus adimpleuit.	452
Poenitentia vera & falsa distinguitur.	2	Promissio temporalis.	39
Poenitentia veræ initium vnde.	231	Propheta magnus Christus.	428
Poenitentia vera non est tantum noua vita.	487	Prophetas scripturæ sepe huiusmodi verborum figuris vitur.	217
Poenitentia vera quæ sit.	42	Propinqui Iesu veri qui sint.	91
Pontificum & Pastorum officium.	62	Prouidentia Dei, non solum erga vniuersalia, sed particularia.	112
Pontificum est reformare abusus, non Principum.	72	Pseudoprophetæ accepti in patria sua.	263
Populus Iudaicus ad poenitentiam inuitatur.	1	Pseudoprophetarum & hereticorum ingenium.	352
Populitatis nonnunquam prodest maiorum religio.	313	Puerorum epinicion quid adumbrat.	80
Potentia Christi cum misericordia.	429	Q uæ Vermonia Christi contra Iudæos.	566
Potentia Christi circa infirmum, & verbi Dei vis.	183 494	Quæstio soli Christo competens.	470
Potentia Dei admirabilis qua Sufannam liberauit.	337	Quando maximè tentatur à seipso.	61
Potentia cum Pontificia, tum Regia à Deo est.	99	Quid agendum sit ad iustitiæ cōseruationem.	37
Potentia expellendi dæmōnes soli Christo reseruata.	47	Quid in rebus antiis agendum.	114
Potentia omnis carnis, quomodo Christo data.	521	Quid spectandum in correctione fratris.	279
Præcepta Dei duo potissimum à nobis postulant.	514	Quis in Domino considerare dicitur.	182
Præcepta Dei non sunt impossibilia.	241	R apina contrariatur naturæ & conditoris naturæ.	95
Præcepta Dei quare sunt data.	285	Rapina prohibetur.	55
Præcepta secundæ tabulæ.	226	Ratio & causa idonea inueniendi concessio.	556
Præceptorum duorum, negligens, parit grauissimos motus & seditiones.	286	Ratio humana sub Euangelij prætextu honores, diuitias, & gloriam venatur.	178
Præceptum de diligendis parentibus quomodo obliget & quam fortiter.	286	Ratio vera Deum colendi præscribitur.	289
Prælatorum Ecclesie officium est, non tantum pascere animas, sed etiam corpora subditorum.	361	Rebecca non peccauit fraude Esau circumueniens.	223
Præsentia à vitiis ad virtutes redeuntium.	18	Rebus ex præsentibus iurura conditio non metienda.	101
Præsentia seruantium & peccata negligentium præcepta promittunt.	287	Reformationis seipsum modus tenuissimus.	487
Præsentatio de Apostolis, quales futuri sistent.	578	Reges ac principes prophant, quare sint constituti.	211
Præpositiōe poenitentia.	103	Regis est protegere innocentes.	501
		Regiones	

I N D E X.

Regiones iam nigrae, & non albae ad messum.	Sanctificatio praesertim Ecclesiae ministros de-	4
332	cer.	4
Regni affectati mendaciter arguitur Christus.	Sanctificare sabbatum quid.	117
558	Sanctimonia Pharisaeica superflua.	146
Regnum Christi quale.	Sanctorum communio in Ecclesia.	305
358	Sanctorum merita, vnde.	532
Regnum Christi quibus constet.	Sardanapalorum commentum & impudentia.	9
120	Sardani nostri à virtutibus Apostolicis alien-	50
Regnum Romanum quomodo corruit.	nissimi.	50
212	Scandala in secundo adventu auferentur om-	nia.
Reipublicae administratio eget autoritate mi-	Scandalum impiorum contemnendum.	297
nistrorum Ecclesiasticorum, & politicorum.	Scribae & Pharisei susceptorum malicia excusa-	82
62	ti.	82
Religione magna defunctorum corpora semper	Scribarum & Phariseorum impudens invidia &	caecitas.
sepulta.	409	409
424	Scriptura praeteritum pro futuro aliquando vsur-	par.
Religionis miseriam dolent omnes, sed nemo	576	576
apertè poenitentiam.	Secularij suas haereses pro diuinis oraculis populo	proponunt.
150	170	170
Remedium contra inanem praesumptionem.	Secularij propria perditione non contenti, & tron-	carum scripturas adferunt & omittunt.
64	57	57
Remissio peccatorum gratuita.	Securitatem nemo sibi polliceri debet.	105
310	Senatores impij raro populum bene gubernant.	315
Remmon idolum Syrix.	Senes iniquitatis caput nonnunquam esse so-	lent.
261	335	335
Rempromissio Abrahae facta, non Ismaeli.	Sententia damnationis contra Iudaeos iusta.	87
350	Sententia dura contra Iudaeos.	566
Res ipsa tollenda non est, sed abusus corrigendus.	Sententia Pauli ab aduersariis, de coniugio Sa-	cerdotum perperam intellecta.
79	312	312
Res periculosa abuti beneficio gratiae Dei.	Sepulturae conditio & pompa exequiarum, magis	sunt solacia viuorum quam mortuorum.
47	198	198
Returressio nostra Christus.	Sermo Dei varie auditur.	97
878	Sermo Christi quo se resurrectionem & vitam	ditur, consolatorius omnibus mortem haeretic-
Resurrectio passioni semper additur.	442	442
442	Seruis aequabilitas praesumenda.	12
Res vna eademque & veritas esse potest & figura.	Serui humiles amici.	88
621	Seueritas Dei erga incredulos.	66
Rex Cyrus Christi tyfus.	Siloe quid sit & signet.	448
450	Simoniacorum & hypocritarum proteruitas ori-	nigin Ecclesiae tragicediae causa.
Rigore seditiosus quid significet Christus.	378	378
373	Signum sibi datum non intellexerunt Iudaei.	87
Rubeo & Gamaliel ubi hodie rari.	Signa moris Arabum lingua etiam Agar.	312
208	Signa data non fidelibus, sed infidelibus.	85
5	Signus Abrahae qui.	197
Sacco cooperiri, & cinere aspergi.	Socrus Simonis, id est, mater uxoris eius.	305
395	Sola fides ad iustitiam non sufficit.	579
Saccus & cininum arma sunt poenitentiae.	Sollicitudo Dei & providentia erga suos electos.	501
484	501	501
Sacerdotes, Leuitae, & Prophetae, quare à Deo	Solacia humana plerumque frivola & inania.	441
dati.	441	441
211	Spes liberationis ad grauius laborium in ad-	uersis nos animare debet.
Sacerdotes sese iuxta Dei opponant.	47	47
4	Spes non statim abiecienda de peccatore impu-	dente.
Sacerdotium nouae legis Sacramentum & sacer-	400	400
dotis infirmum.	Spes resurrectionis confirmatur.	503
619	Spiritus S. orat in scriptura contra omnes haereticos.	650
Sacerdotum officium pro suis & populi erratis	650	650
orare.	Spiritus in baptis. susceptum, nemo suo vitio	extinguat.
5	122	122
Sacramenta instrumenta gratiae.	Stola prima quae.	238
308	Stupenda Dei erga nos misericordia & benigni-	tas.
Sacramentarij quid Christo tollant.	595	595
615	Summa doctrinae Christianae.	451
Sacramentorum confusio.	451	451
252	Superiorum	
Sacramentum voluntatis diuinae de gentium sa-		
lute.		
224		
Sacrificia.		
463		
Sacrificia externa quae erant, & quid conferbant		
Iudaeis.		
534		
Sacrificij Leuitici tres species.		
464		
idem non potuit ex parte.		
ibidem		
Sacrificium Christianorum quo Deum colere		
debent.		
534		
Sacrificium crucis inuentum auferre student		
Calumniae.		
514		
Sacrificium Moisaicum typus veri sacrificij		
Christi.		
464		
Salina quid significet.		
405		
Salustij sententia verissima.		
81		
Salutem dimissam sperare nefas est.		
304		
Samaritana discipula euangelij Christi.		
325		
Samaritanus se Iacob inquam cur designauerit.		
325		
Sanctis aliquando utilis est lapsus.		
221		

I N D E X.

Superiorum est & gubernatorum, subditorum vitam & mores leniter ferre.	614	Trinitatis opera inuidia sunt.	139
Superstitio Iudaica.	26	Tria quaedam damnatorum poenam exaggerantia.	71
Supplicationes hic fundantur.	4	Typus Christi Salomon.	165
Supplicio maximo digni erunt Christiani, nisi Ethnicos virtute superent.	90	Tyrannis & violentia prohibetur.	91
Supplicia quam horrenda maneant in scipis confidentes.	187	Tyraeni diaboli.	248
Sufanna clamitans, legis praecepto satisfecit.	316	Tyrannos superandi modus.	173
Sufanna conuicta ex exemplar pudicitiae data.	316	Tyranni irae perniciosa sunt.	178
Sufanna rosa inter spinas.	318	Tyrannis cum damnationum tum hominum contra electos nihil potest.	188
Sufano pudicitia & constantia.	315	V	
Surdi & caeci qui intelliguntur.	517	Verba Dei quomodo audiatur qui ex Deo sunt.	473
Symbols duo praecipua noui testamenti adumbrata.	269	Verbi Dei efficacia.	15
Synagoga misculorum donis etiam ornata fuit.	266	Verbi Dei praedicatori necessaria.	25
T		Verba isaniae quae vocet Apollolus.	245
T Abulz post naufragium.	217	Verba summatim dicitur Heliconis quid expriment.	416
Tadus & polpatio Isaac, quod spectent.	225	Verbum Christi ad consolandum miseros vnicè efficax.	45
Techni Pharisaei.	252	Verbum consolatorium pro electis.	154
Technis quibus nos tentet Diabolus.	54	Verbum Dei contententibus praedicatur interitum.	522
Templi Hierosolymitani triplices dedicatio.	519	Verbum Dei non fructificat, ubi contemptus est ministrorum eius.	263
Templum rebus diuinis consecratum.	519	Verbum Domini in primitiua Ecclesia in maximo pretio fuit.	261
Templis suis honos seruari debet.	374	Verbum penitentiae efficax.	485
Templorum decus neglectum corrigendum.	79	Verbum ritè missorum efficax.	486
Tempus praecipuum.	450	Verax & fidelis Deus in promissis suis.	74
Tempore acceptabili & die salutis quid Deus promittat.	454	Veritas à mortuis non querenda.	201
Tentationes cur electis suis Deus immittit.	500	Veri discipuli à falsis distinguuntur.	97
Tentationes promittuntur ad nostram salutem.	61	Veritatis cognitio quae promittitur, qualis sit.	28
Tentatur Christus de cura & sollicitudine vltus.	51	Veritas de conseruanda rerum & locorum religione confirmatur.	374
Tentatus est Christus nobis.	51	Veritas ex diabolo & haereticorum libris non querenda.	309
Tergimetro iacob quid significet.	224	Veritas Ezechiae.	16
Terra quid Christus inscripserit.	344	Veritas non querit angulos.	384
Terra soluginis est, quae humore salis acerbiorque sterilis est, atque sabulosa.	122	Vestes odoriferæ & cibi quid denotent.	274
Terra impiorum liber & exilium electorum.	244	Vestium vsus luxuriosus non debet.	192
Terror ingens pro malis.	69	Viticum dedit Christus à festiuitate domum recipientibus.	458
Testamentum nouum & vetus sibi consentiunt.	158	Vitam Dei ingredi non sufficit, sed in ea persistere oportet.	39
Testimonium saluum non proferendum.	312	Vindicta & execrationis gentes sunt.	451
Testimonium suum Christus probat esse verum.	418	Vindicta Deo relinquenda.	518
Testimonium Christi praclarum de fide Centurionis.	23	Vincta Domini domus strata.	211
Thesauri Christianorum qui.	11	Vita aeterna non solum fidei, sed operibus tanquam merces redditur.	70
Thesaurizate cur veniat in terra.	11	Vitae aeternae significat Ecclesiam.	211
Thesauri per Christum nobis allati.	516	Virtutes & patientiam suorum quomodo Deus exerceat.	430
Timo Dei inuolantur.	517	Virtutes praecipuae iustitiae & iustitia iustitiae sunt huic inuolae.	205
Timore & Charitate germanae sunt virtutes.	519	Virtus nulla propterea nos Deo reddit atque electio.	12
Traditiones humanae quales.	201	Virtus voluntaria est.	573
Traditiones quales damnantur.	201	Vita nostra Christus.	442
Transfigurationis historia necessaria fuit.	113	Vita nostra vniuersa iuge sacrificium esse debet.	534
Transfiguratio Domini fidem & spiritum Ecclesiae confirmat.	116	Vitium fornicationis Ethnici peculiarissimum.	147
Transfiguratio cur reuelari inhibita.	112	Vitulus saginatus quid significet.	219
Transfigurationis historia solutaria.	111		
Transubstantiatio.	612		
Tribus mundanae.	29		
Tria circa excommunicationem notanda.	122		

I N D E X.

Vltor ante Deum non est, quàm sit homo peccator.	93	gloria, aut æterno supplicio.	106
Vocationi suæ satisfaciens nunquam deserit Christum.	41	Voluntatis suæ occultam rationem explicat Christus in cæci illuminatione.	405
Vocationis gentium assertio.	451	Vfura prohibetur.	95
Voluntate antecedente vult omnes homines saluos fieri.	3	Vfus cognominum simpliciter non prohibetur, sed vehemens affectus.	170
Voluntas Dei duplex.	305	Vfus Eucharistiæ in sumptione & adoratione.	621
Voluntas Dei & mundi longè differunt.	101	Vfus miraculorum huius Euangelij quis.	165
Voluntatis diuinæ cognitionem vt habeamus, quid requiratur.	388	Vfus rerum non damnatur, sed abusus.	192
Voluntatis & arbitrij libertas.	37	Vtilitas penitentis.	104
Voluntas & opus Dei patris.	313	Vulgus bellua mutorum caput.	314
Voluntas humanarum actionum origo quid efficiat.	297	Z	
Voluntas impia ludæis non defuit, sed non erat data facultas.	462	Zelus Dei hodie in paucis æstuat.	376
Voluntatem vltimam dignatur Deus aut æterna		Zelus condidus scientia vel verbo Dei.	373
		Zelus Sancti Augustini & Bernardi.	377
		Zelus quid sit.	376
		Zelus Christi erga Patrem.	81

I N D I C I S F I N I S.



ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
PLANTINVS, ARCHITYPOGRAPHVS RE-
GIVS, ANNO D. M. D. LXXII I.



